THESAURUS CATECHETICUS,

Sive

DECADES DUÆ DE VIGINTI PROBLEMATUM PARTIM ΘΕΩΡΗΤΙΚΩΝ: partim πρακτικῶν:

Ex quinq; Catecheſeωs Lutheranæ partibus,
Diſtinctis diſputationum exercitijs explicatæ atque ventilatæ,

In Electorali ad Albim Academia.
Editio ſecunda priori multò locupletior & emendatior.

AUTORE

IOHANNE FÖRSTERO SS.
Th. Doctore & Profeſſore Ordinario.

Comentatio tam Docentibus quàm Diſcentibus, tùm in Scholis, tùm in Eccleſia utilis.

Cum Gratia & Privilegio Electoralis Saxon.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni, Anno 1614.

M. Elia Schingeri sum.

Constat 1 f 4 ß.

DE CADDESPOLE
DE VILLENEUVE-

Ad Lectorem

A B C D
Autoris Præfatio.

QUANTA sit quámque latè-patens Scripturæ Divinitus traditæ ac patefactæ amplitudo, quàm profunda item & abstrusa ejus intelligentia: Scriptor ille παράφρων Syracides haud obscurè innuit; dum eam cap. *24.* alias inter similitudines jucundas ac suaves, Oceano comparat vasto & immenso, quique propter profunditatem, & aquarum vim ac multitudinem stupendam, planè inexhaustus.

Nemo fuit, inquit, *qui totam complexus sit, nec quisquam erit, qui eam totam complectatur. Amari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium ejus in abysso magna.* Rivulos tamen indè deduci mox ibidem asserit, inter quos locum non postremum sibi vendicant, Doctrinæ Christianæ compendia, quæ usitatè Catecheses sive Catechismi, appellatio

nec è Scripturâ mutuò sumpta, Luc. 1, 4. Actor. cap. 18, 25. Gal. 6, 5. insigniri consueverunt.

Quid enim tales libelli sunt aliud, quàm jugis aquæ rivuli, quibus salutaris principum articulorum fidei notitia, teneris juniorum ac rudiorum animis, institutionis assiduæ canalibus, instillatur. Et hæc sanè docendi consuetudo non casu quodam fortuito cepit in Ecclesia: sed jussu & hortatu Scripturæ, & præsertim Ecclesiastæ, qui Commentarium illum suum, de rerum omnium hujus seculi vanitate & inanitate futili & inutili, hoc demum finit sive Epiphonemate, sive Episodio:

> *Finem* (vel summam) *verborum* (DEI) *Omnium teneamus: DEUM time & mandata ejus observa. Hoc est omnis homo.*

Observarunt id mox, in primativa olim Ecclesia, Patres Orthodoxi, quorum complures Catechetas egisse, & tum voce, tum stylo præcipua religionis Christianæ capita rudioribus, methodicè inculcasse: ex historiarum monumentis tam notum est, quàm quod notissimum. Quid dico de Patribus? imo, Apostolorum etiam ætate, institutionem Catecheticam usitatissimam fuisse, in locis jam modò allegatis, Sacræ testantur literæ.

Quæ

Quæ & id genus alia cum ſecum expendiſſet, Organon illud DEI lectiſſimum Lutherus, & hanc ſibi ſpartam καλλύναμεν ornandam ceuſuit, præſertim cum, in *Viſitatione Eccleſiarum* A.C *1527. Electorali* autoritate inſtitutâ, non absq; ingenti dolore cognoviſſet, quantò cum animarum diſpẽdio, Exercitia Catechetica, in Papatu neglecta fuiſſent. Domum igitur reverſus, ilico Catecheſin conſcribebat Minorem, conſcriptam edebat, editam omnibus ac ſingulis Eccleſiarum Miniſtris, ſingulari ſtudio commendabat.

Atq; hoc eſt Palladium illud & precioſſimum Eccleſiarum τῇ ὀρθοδοξίᾳ Lutheranæ, γνησίως καὶ εἰλικρινῶς addictarum κειμήλιον, quod, ut Symbolon earundem lucidiſſimum, Syſtemati etiam Libri Chriſtianæ Concordiæ, inſertum eſt. Et non immeritò quidem. Eſt enim præcipuorum fidei capitũ ἀπταιστὴ abſolutiſſima, dexteritate ſumma, judicio gravi, & non absque ſingulari SPIRITUS Sancti afflatu concinnata. Cujus gratia & nonnulli eò accommodant oraculum illud Propheticum ab Apoſtolo productum *Rom. cap. 9.* λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. v. 28.

Quæcum ita ſe habeant, & hactenus in inclita hac Academia, cetera Libri Concordiæ, Scripta pleraque omnia, diſputationibus eruditis explicata

& ventilata ſint: moræ & operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi ad Catecheſin Lutheri Minorem me accingerem, deq; ſingulis ejus partibus diſtinctas aliquot Problematum Decades, adornarem. Duce igitur DEO: luce verò Scripturâ, *duas-de-viginti Decades* Problematum Catecheticorum adornavi, adornatas, ſub incudem Diſputationum, diſtinctis temporis periodis, vocavi, vocatas, tecum communico, mi Lector φιλοθεόλογε, idq; in uſum tuum, qui in *quadruplici* differentia.

Primus eſt ἐξηγητικὸς, pro Docentibus ſive in Scholis, ſive in Eccleſia; è quibus illis συνοπτικὴ: his διεξοδικὴ doctrinæ Catecheticæ explanatio incumbit. Utrisque Diſputationes iſtæ in Catecheſin Lutheri plurimum adjumenti & emolumenti afferre poſſe, nemo tam obtuſi & confuſi eſt judicij, quin videat.

Secundus eſt διδακτικὸς, inſerviens Sacroſanctæ Theologiæ Studioſis, quibus, in his Elucubrationibus, propè integrum *Locorum communium* Syſtema exhibemus.

Tertius eſt ἐλεγκτικὸς; ſiquidem plures eæque difficilis inibi tractantur cõtroverſiæ, ita ut veritas ſolidè confirmetur; falſæ autem & erroneæ ἑτεροδόξων opiniones, ex verbo DEI, accuratè confutentur.

Quar

Quartus deniq; est πραικτικὸς, pro Ministris Ecclesiæ, quibus varij in praxi Ecclesiastica casûs occurrunt, in quibus quid agendum, quid admittendum, quid omittendum, in hoc etiam commentario, passim commonstratur.

Ceterum, quia Docentium & Discentium *duæ* Classes: *Divitum* una: *Pauperum* altera, *illis* Librorum copia: *his* verò eorum inopia: ut *utrisque* studium probarem meum, operam dedi sedulò. *His* ut gratificarer: ἀυτολεξεὶ & ἰδιογλώσσως ex ipsis verba ubiq; adscripsi. *Illis* ut consulerem, sub finem cujusq; ferè Problematis, annotavi ex Luthero aliisq; Theologis loca, ubi plura, de Problemate illo legere ipsis liceat.

In ipsâ verò Problematum enodatione, methodos observavi quidem specie diversas; sed perspicuas & cujusq; argumenti genio & ingenio accõmodatas. In margine *partium & connexionis* earum ὑπογεγραφὴ delineata cernitur, unde in proclivi est animadvertere, quòd ordine concinno & nexu indissolubili omnia ac singula cohæreant, id quod in omni, quæ de re aliqua suscipitur, institutione, summoperè est necessarium.

Inprimis verò totâ mente in eam curam incubui, ut juniores quasi manu ducerem ad *scripta* Megalandri

landri illius *Lutheri*, quibus ut nihil nobilius & nervosius: ita (proh dolor!) hodie plurium negligentiâ nihil abjectius & vilius. Quid ista nostrorum hominum incuriâ minitetur, in propatulo est. Prægustum proinde aliquẽ tibi, mi Lector, in hac πραγματείᾳ præbere volui, illius succi & lactis, quod in Scriptis Lutheri pleno manat flumine. Qui prægustus ut suavis & gratus tibi accidat, unicè opto, teq; protectioni Divinæ commendo. Si DOMINUS vires corporis & animi servaverit integras: proximas ad nundinas habebis Systema Disputationum in *Quatuor Concilia Oecumenica*, instituta ἀντιπαράθεσι Hæreticorum *Veterum*, qui istis olim damnati conciliis: & *novorum* hoc seculo, qui ex illorum Cineribus circa hanc ultimam Mundi vesperam, in Ecclesia, renati, Scribebam Witebergæ 17. Martij Anno 1612.

TRES DECADES
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM

Partim θεωρητικῶν : partim πρακτικῶν,

EX DECALOGO,

Novem disputationibus breviter ac perspicuè explicata ac ventilata,

in Electorali ad Albim Academia,

AUTORE AC PRÆSIDE,

IOHANNE FÖRSTERO
AUROBACHIO, SS. TH. D.
& Professore Ordinario.

Accessit Disputatio ἐπεισαγωγικὴ, de meritis bonorum operum, nugis Roberti Bellarmini oppesita.

Roman. cap. 7.

ὁ Νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία & δικαία καὶ ἀγαθή.

VVITTEBERGAE,

Ex Officinâ Typographicâ, Johan. Gormanni.

Anno M. DC. XIII.

ILLUSTRISSIMIS ATQUE CELSISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

Dn. IOHANNI PHILIPPO, Dn. FRIDERICO,

Fratribus Germanis,

Ducibus Saxoniæ, Landgravijs Thuringiæ, Marchionibus Miſniæ, &c.

Dominis ſuis clementiſſimis.

Gratiam & pacem cum omni proſperitate corporis ac animi à Deo Patre, per Ieſum Chriſtum, in Spiritu Sancto V. & P.

VAriæ & diverſæ à diverſis editæ extant, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principes, Domini Clementiſſimi, de educatione & inſtitutione Principis, lucubrationes. Et meritò quidem extant. Nec improbari poteſt, quòd noſtrâ hac ætate Magnates Regio diademate etiam inſigniti, argumentum illud utiliſſimum vereque regium & ipſi tractandum ſuſcepe-

runt, & aggreſſi ſunt PRINCIPES *enim eo nati & ſati ſunt loco & genio, ut cum* DEO *& tempore non ſibi; ſed Reipublicæ vivant,*

vivant, suisq; subditis ita præsint, ut placidam ac quietam vitam degant, cum omni pietate & honestate. *1. Tim. 2.*

Verumenimverò, si dicendum quod res est: in hujus utique thematis præclari & eximij tractatione non pauci, à regia & militari viâ ad metam hanc Principi CHRISTIANO *unico propositam rectâ ducente, non parum deflexerunt, & in præcipitia errorum, judicij vitio, se abripi passi sunt. Impium & impurum illum Italum, Nicol. Machiavellum Florentinum (licet non desint, qui ipsum excusent) non dignum judicamus, cujus nomen, coram II. VV. CC. exprimatur. Hic enim est, qui negare ausus: Principem oportere esse verè probum. Hic est, qui statuit, licere Principi datam fidem fallere. Hic est, inquam, qui in Principe requirit, ut sciat homines versare, quò eos fraude circumveniat. Alij probitatem quidem Principi commendant: sed, si altiori animi trutina rem pensitaveris: prudentiæ utique Civili, rerumq; variarum usui & experientiæ, primas ferè eos tribuere deprehendes.*

At verò si ex veris & immotis veritatis cœlestis fundamentis veritas extruenda solidè: principatum sanè ac dominatum isthoc in negocio meritò & jure optimo sibi vendicare potest ac debet PIETAS, *veræq; ac sinceræ Religionis studium, ac cura. Si enim, profano teste Philosopho, μία ἀνθρώπῳ φυλακὴ ἐυσέβεια; si, Scripturæ autoritate, quâ major ac sublimior esse nequit,* Initium sapientiæ TIMOR DOMINI, *si, juxta Pauli Apostoli Divinissimi pronunciatum,* PIETAS ad OMNIA utilis est: *quis adeo ab omni ratione alienus & aversus est, qui non ipse intelligat, nihil melius, nihil sanctius, nihilq;* CHRISTIANO *Principe dignius esse & esse debere, quàm* PIETATEM. *Romanos certè non calliditate aut robore: sed pietate ac religione omnes gentes superâsse gloriari ausus est Ethnicus Orator & Philosophus.*

Vera autem ac genuina pietas, *ac sinceræ Religionis cognitio acquiri ac comparari potest, tribus potissimùm rebus, in quibus Christianos omnes, maximè verò Principes, qui Agnimis Christianorum Capita salutari volunt, assiduo & indefesso studio occupari convenit.*

I. Primum *eorum est* Oratio, *qua sapientiam illam cœlestem Divinitus sibi dari postulavit, postulatam impetravit, impetratam literarum monumentis ad omnem posteritatem transmisit Regum potentissi-*

mus, felicissimus, sapientissimus Salomon, *quemadmodum testatur non tantùm Historia Regum Hebræorum* 1. Reg. 3. *verumetiam* formula precationis *illius, quæ memoriæ prodita continetur* Sap. 9. *Hanc sibi Principes Christiani summè caram, summeq; commendatam habere debent, nec ullam prætermittere dieculam, quin devota attentione, & attenta devotione eandem recitent, &, in conspectu* DEI, *pro impetranda cœlesti theosophia effundant.*

Proximum â piarum *precum studio locum sibi vendicat,* Auditus verbi Divinitus patefacti. *Ex auditu enim nascitur fides, & sic consequenter etiam Pietas & veræ Religionis Cognitio. Vtriusq; enim fundamentum, & anima quasi est Fides, unde & res religionis res fidei usitatè appellari consueverunt.*

Quantoperè autem pij Reges ac Principes studio frequentandi Domum DOMINI, *verbumq; ejus salvificum audiendi, fuerint delectati: suo abundè comprobat Exemplo Rex pientissimus Davides, in his & consimilibus Psalterij sui locis, ut :*

Psalm. 27. Unum petij à Domino, illud requiram, ut habitem in domo DOMINI, omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem DOMINI, & visitem templum ejus.

Psalm. 42. Hæc cum recordor, effundo in me animam meam: quoniam transibam in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum DEI, in voce exultationis & confessionis cum multitudine sacrificante.

Psalm. 84. 2: Quàm dilecta tabernacula tua Domine Zebaoth! Concupiscit & de-

ficit anima mea in atria Domini : Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.

Psalm. 122. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum DOMINI ibimus. Stantes erunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem.

O insignem & admirandam Pietatem ! ô illustre & verè regium amoris erga Verbum Divinum ardentissimi exemplum ! ô verè fortunatos, ac ter & amplius beatos Principes, Principumq; Filios, qui, imitatione Regis hujus pientissimi, verbum DEI *pariter amant, benignè fovent, attentè audiunt, fideliter custodiunt !* Beati *enim*, beati, *inquam, ait Os veritatis*, qui audiunt sermonem DEI, & custodiunt illum, *Luc. 11.*

Non autem tantummodo Rex ille Hebræorum Davides tanto tamq; fervido audiendi verbi divini studio flagravit : sed idem ardor, idem zelus erga doctrinam cœlestem se quoq; exeruit in I. I. V. V. C. C. Majoribus, pientissimis Saxoniæ Ducibus. De IOHANNE FRIDERICO *Electore I. I. V. V.* C. C. Proavo *memoriæ proditum reliquit Theander Lutherus* Tom. 7. Ien. Verbum DOMINI in summo honore ac precio habuit. Quando sacræ conciones habendæ erant : ipse primus in templo cum Conjuge sua Princips fœmina illustrissima conspiciebatur. *De* IOHANNE *Electore I. I. V. V.* C. C. Abavo *Iohannes Manlius & Georgius Fabricius annotârunt, quòd sæpè integras & penè ad Verbum Conciones in palimpsestis manu sua excipere consueverit.* FRIDERICVS GVILIELMVS I. I. V. V. C. C. PATER *sanctissimæ beatissimæq; recordationis, nullam audijt Concionem, nisi Codicem Biblicum ad manum haberet, & haut raro etiam Tomos Lutheri, & quæ ex ijs adducebantur, dicta & testimonia, ilicò inquireret memoriæq; mandaret.*

Tandem, quoq; ad institutum istud plurimum faciunt alia Pietatis ac Religionis exercitia, *cujusmodi sunt*, doctrinæ Christia-

næ fundamenta, ex Lutheri Catechismo, *quem ut Principes cum lacte, quod dicitur materno, combibant, crebrâq; ejus repetitione & intelligentia in succum & sanguinem convertant, opera danda est sedulò ac diligenter ijs, quorum curæ & fidei pueri & adolescentes Principes præcipuè commendati sunt. Facilè enim fieri potest, ut venenum Calvinismi vel alius hæreseωs teneris eorum mentibus tectè instilletur, quod postea, per universam sæpè vitam, ijsdem rursus nequit eximi. Rectè igitur ac piè à Rege Dævide factum fuit, quòd Salomonem Filium, quem sibi successorem designârat, à prima statim pueritia, tradiderit in disciplinam Nathani, Prophetæ Aulico, quem veræ ac sinceræ Religioni addictissimum esse, certò sibi persuasum habebat* 1. Reg. 12, 24.

Eôdem pertinet crebra & assidua Bibliorum *Sacrorum lectio, ad quam Salvator nos seriò hortatur,* Scrutamini, *inquiens,* Scripturas Joh. 5. *Cui sanè exhortationi tanto pietatis studio ac zelo obsecutum esse legimus, potentissimum olim Arragoniæ Regem Alphonsum, ut Codicem Biblicum quindecies legendo perlustrârit.*

Si à Bibliorum lectione paululum abierimus: ilicò occurrit aureus ille & nunquam satis laudatus Christianæ Concordiæ liber, *in quo procurando illustrissima* DOMVS SAXONICA *tam præclarè tamq; magnificè de Ecclesia* CHRISTI *universâ, merita est, ut dubium nullum sit, quin totus Electorum cætus, in altera olim vita beatissima, publica voce, gratias eidem actura sit devotas & solennes. Quanquam igitur omnes Christiani Principes Lutheranæ religioni ex animo addictos decet, ut multum operæ ac studij in sanctissimo isthoc libro nocturna & diurna manu evolvendo collocent: istud tamen vel maximè Principibus ex illustrissima Domo Saxonicâ natis prosatisq; convenit.*

Inter scripta autem Symbolica, quæ Libro illo augustissimo comprehensa extant, non ultimum sibi vendicat locum Catecheſis Lutheri minor, quam Adversarij hodiè nostri Zvvinglio Calviniani linguâ passim maledicâ allatrant, eo fine, ut aureolum istud Enchiridion suis hominibus è manibus excutiant: nostris verò ὀρθοδοξίαν illius suspectam reddant.

Cui malo ut obviam eatur, officij sanè mei esse duxi, Catecheſeωs Lutheranæ defensionem & explicationem in me suscipere, facto ejus rei initio à Decalogo, prima illius parte. E qua hasce Tres Problematum Decades *concinnavi, novemq; disputationibus SS. Th. Studiosis, in hac nostra Academia ventilandas proposui, conceptâ spe indubiâ, laborem hunc*

in DOMINO *susceptum non omnino vanum & inanem futurum esse.*

Quod autem Lucubratiunculam hanc meam II. *V. V.* C. C. *inscribo & dedico, ob causas sit non unas.* Primò *enim illud ipsum, gratitudinis loco, insigni & eximiæ pietati, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Domini* FRIDERICI GVILIELMI *Ducis Saxoniæ, &c. Patris* II. *VV.* CC. *dilectissimi, piæ & sanctæ memoriæ, me debere lubens libensq; fateor. Ejus enim tanta sunt, tum in universum Ecclesiarum in his regionibus Ministerium, tum & in me immeritum merita, ut nullius tantum sit flumen ingenij, tantaq; dicendi vis & copia, non dicam exornare: sed enarrare illa possit.*

Sicut verò II. *VV.* CC. *alia pietatis Patris beatissimi, &c. præmia debentur, ex promissione illa longè amplissima :* Semini justorum benedicetur. Psal. 112. *ita pium quoque & justum esse existimavi, ut illud gratitudinis meæ debitum vobis, illustrissimi & celsissimi Principes, Domini clementissimi, vobis inquam, Patriæ pietatis hæredibus inclytis, persolverem.*

Accessit præterea singularis ille affectus, quo II. *VV.* CC. *complecti cepi ab eo tempore, quo Reverendus & eximius vir,* Dn. M. David Meissius *Aulæ vestræ Illustrissimæ Concionator dignissimus, &c. Anno 1606. mense Ianuario, me dignum judicavit, quem in Musæum illud introduceret, in quo* II. *VV.* CC. *tum temporis à præstantissimis & cultissimis Viris, in veræ pietatis & liberalium artium studijs, dextrè & fideliter instituebantur.* DEVM *testor immortalem, ingenti me perfusum fuisse lætitiâ cùm mihi Serenissimos* II. *VV.* CC. *vultus & oculos intueri contingeret. Non pauci certè Patriæ & avitæ Pietatis ac clementiæ radij jubare nitidissimo, indè effulgêre cernebantur. Ego sanè tum hæc mecum :*

En pietas! en prisca Fides! en Candor apertus,
STIRPIS Saxonicæ, nulli pietate secundæ!

Argumentum denique istius commentatiunculæ non omnino indecorum & inconveniens visum fuit, quod II. *VV.* CC. *nomini, humilimæ*

subie-

ſubjectionis ſtudio, à me inſcriberetur. Quandoquidem inibi tractantur & traduntur ex Catecheſi Lutherana ea, in quibus vel maxime generoſa Principum ingenia exerceri debent ac poſſunt.

Accipite igitur Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principes, accipite, precor, munuſculum iſtud levidenſe ſerenâ fronte, meq́, indignum licèt, gratiâ ac benevolentiâ veſtrâ complecti, dignemini. Ego viciſſim precibus meis DEVM *omnipotentem & immortalem aſſiduè ſupplex venerabor, ut* II. VV. CC. *quàm diutiſſimè florentes præſtet, & ad juſtam ætatem incolumes ac vividas perducat, in ſui nominis gloriam, Illuſtriſſimæ Dominæ* MATRIS *lætitiam, Subditorum omnium ſalutem. Ejusdem protectioni paternæ* II. VV. CC. *unà cum Domina Matre dilectiſſima, &c. generoſiſſimiſq́, Dominis Fratribus ac Sororibus debitâ devotione commendo. Scribebam VVitteberga 15. Aprilis Anno redonatæ ſalutis 1610.*

II. VV. CC.

humilimè colens

Johannes Forſterus SS. Th. D. & P. P. in Academia Electorali ibidem.

AD LECTOREM
A. B. C. D.

EXhibeo Tibi, mi lector, tres Decades Problematum ex Decalogo. Quanquam verò hæc materia prolixiùs cùlè tractari potuisset: placuit tamen brevitas, propter causas non contemnẽdas. Interim a. non dubito, quin pleraq; omnia sic discussa & explicata inibi, ut expectationi tuæ si non omni: maximâ tamen ex parte satisfeciſſe videri poßim. Sphalmata Typographica, & si quæ forsan minùs commodè dicta fuerunt, tuo Candori commendamus, Te autem DEO; qui si vires animi & corporis integras conſervaverit: exſequentibus Catecheſeos Lutheranæ partibꝰ itidem suo tempore aliquot Problematum Sacrorum Decadas exhibebimus.

✠✠

INDEX

INDEX
PROBLEMATUM THEOLOGICORUM EX DECALOGO, TRIbus Decadibus comprehensorum.

DECADIS PRIMÆ PROBLEMATA;

I. An distinctio præceptorum Decalogi, in plerisque Ecclesiis, Augustanæ Confessionis γνησιως addictis, usitata, simpliciter improbanda & abroganda sit?

II. An Ecclesiæ Confessioni Augustanæ addictæ, ideò quòd in Catechesi Lutherana aliqua omittantur, nec omnia, quæ Moses habet, in recitatione Decalogi â verbo ad verbum inculcentur, Decalogum mutilatum habere dicendæ sint?

III. An Decalogus ex Ecclesiâ Dei proscribendus & eliminandus sit?

IV. An omnes indiscriminatim imagines ex templis tollendæ & abrogandæ sint?

V. Quid de Sagarũ factis, factorumq; pœna statuendũ?

VI. An concessum sit homini Christiano jurare?

VII. An Sabbathũ in N.T. rectè fuerit ab Apost. abrogatũ?

VIII. An & cur festa Sanctorũ in Ecclesia celebrare liceat?

IX. An usitatæ Evangeliorum Dominicalium pericopæ retineri expediat?

X. An necessaria sit legitima vocatio, ad docendi ministerium, quæq; istius προσκείμενα vel requisita?

DECADIS SECUNDÆ, PROBLEMATA:

I. An Magistratus sit bona Dei ordinatio, in qua homo Christianꝰ, illæsa conscientia, versari, Deoq; placere possit?

II. An Imperator Romanus subjectus sit & esse debeat Romano Pontifici?

III. An liceat, à magistratu suo, Religionis causa, deficere, & contra eum arma capere?
IV. An liceat homini Christiano bella gerere?
V. An in casu necessariæ defensionis homini Christiano, salva conscientia, vim vi repellere liceat?
VI. An hæretici, quatenus hæretici, capitali supplicio afficiendi?
VII. An licita & concessa sit polygamia?
VIII. An cælibatus ijs personis, quæ in Ecclesiastico vitæ genere versantur, autoritate humana, ut res ipsis ad istud vitæ genus necessaria, injungi possit?
IX. An & quas potissimùm ob causas facere liceat divortium?
X. An Choreæ, quales hodie exerceri solent, homini Christiano licitæ sint & concessæ?

DECADIS TERTIÆ, PROBLEMATA:

I. An homo Christianus necessariò teneatur bona sua conferre in commune, adeò, ut nihil ipsi liceat habere proprium?
II. An homini Christiano bonâ conscientiâ, ab aliquibus interdum liceat usuram accipere? NB.
III. An mendicis promiscuè omnibus dandum?
IV. An homini Christiano liceat causam suam in foro coram Magistratu politico agere?
V. An omne indiscriminatim mendacium in Scriptura sit prohibitum, & proinde peccatum?
VI. An omnis delatio sit in vitio?
VII. An sint duæ distinctæ species concupiscentiæ, quarum una IX. altera X. Decalogi præcepto prohibita?
VIII. An Concupiscentia sit peccatum?
IX. An peccatum Originale sit ipsa hominis substantia
X. An liberi teneantur portare iniquitatem parentum?

DISPVTATIO ἐπειοαγμαλικὴ.

De meritis bonorum Operum.

DISPU-

DUCE DEO

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM EX DECALOGO, DECADIS PRIMÆ Problemata I. II. III.

Ad disputandum proposita

In inclitâ Academia VVittebergensi

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNE FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Publico.

Respondente

M. GEORGIO BURMEISTERO
Lunæburgâ-Saxone.

Ad 17. Februarij horis locoq; consuetis.

VVITTEBERGÆ
Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. XII.

PRIMUM PROBLEMA.

An distinctio Præceptorum Decalogo in plerisque Ecclesijs Augustanæ Confessioni γνησίως addictis usitata, simpliciter improbanda & abroganda sit?

I.

VT Problematis hujus ἐξήγησις sit expeditior: principiò utiq; diligenter invicem distinguenda sunt: τὰ ἀναμφισβήτητα ex una: & τὰ ἀμφισβητήσιμα ex altera parte.

II Ἀναμφισβήτητα ἔγγραφα sunt tria, quæ ὡς ἐν τύπῳ oculis jam subjicimus.

I. τὰ ἀναμφισβήτητα tria.

III. 1. Quòd Decalogus non pluribus nec paucioribus præceptis constet, quàm decem.

1.

IV. Hoc enim de numero luculentissima in promptu sunt Scripturæ testimonia, quibus Lex moralis dicitur עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים, i.e. *Decas verborum, Deut. 4, 13, cap. 10, 4.*

2.

V. 2. Quod decem illa verba vel præcepta duabus tabulis lapideis manu JEHOVÆ fuerint inscripta.

VI. Nam & hoc in confesso est, & manifestum ex plusculis Scripturæ locis. *Exod. c. 34, 14. Deut. 4, 13. 9 10. c. 10, 1.*

3.

VII. 3. Quòd *prior* tabula comprehendat præcepta de dilectione Dei: Posterior autem ea, quæ de dilectione proximi agunt.

VIII. Hac enim generali distributione ipsemet Filius Dei tabulas Decalogi distinguit, adeoque priorem *primum*: posteriorem verò *secundum Legis Mandatum* appellat.

Matth. 22, 37. Marc 12, 30. Luc. 20, 27.

II. Τὸ Ἀμφισβητήσιμον.

IX. Ἀμφισβητήσιμον verò est ἄγραφον, *quot & quæ præcepta, & quo ordine in tabula tum primâ tum secundâ consignata extiterint.*

Triplices opiniones de numero præceptorum 1. tabula.

X. Hic enim ingens se opinionum ingerit diverticulum. Sique rem illam paulò altiùs repetere volueris: in *triplici* illas differentia esse deprehenderis; & quidem respectu primæ tabulæ.

XI. Quidam enim illi accensent præcepta V. Quidam IV. Quidam III.

I. Quinq;

XII. 1. *Quibus* præcepta priori tabulæ accenſent *Iudæi* & qui *Iudæorum autoritatem* hac in re *ſequuntur*.

XIII. Inter *Iudæos* primas tenent (b) Joſephus & (c) Philo, qui Decalogum per medium quaſi ſecantes, unicuiq; Tabulæ quinq; præcepta fuiſſe inſcripta aſſerunt, & ita quidem, ut in ſingulis cujusque tabulæ faciebus exiterint, *δύο καὶ ἥμισυ*, id eſt, duo integra præcepta cum dimidio.

(b) *lib. 3. Antiquit. Iud. c. 4. itemq; lib. 8 c. 6.* (c) *lib. de Decad.*

XIV. *Autoritatem Iudæorum ſequuntur* (c) Athanaſius & Autor operis imperfecti in Matth. hom. 12. (c) *lib. 2. Synop. Script. & ad Eph. 8.*

XV. 2. Qui *quatuor* præcepta priori tabulæ tribuunt, viciſſim in *duas* claſſes diſtribui poſſunt.

XVI. *Prior* claſſis eſt eorum, quibus Præfatio Decalogi, *Ego ſum* DOMINUS DEUS *tuus, &c. eſt* 1 Præceptum. 2. de Dijs alienis. 3. de profanatione Nominis Divini. 4. de Sabbatho.

XVII. Hanc diſtinctionem allegant inter *Veteres* (d) Philo (e) Cyrillus (f) Burgenſis. (d) *in lib. Antiquit. Bibl. f. 12.* (e) *lib. 5. contra Iulianum.* (f) *in additionibus ad Lyram.*

XIIX. Inter *recentiores* ex Zwinglio-Calvinianis eandem amplectuntur (g) Petrus Martyr & (h) Georgius Sohnius.

(g) *in L. C. Claſſ. 2. 17. f. 376.* (h) *in opere theſeon f. 167.*

XIX. *Poſterior* claſſis eſt eorum, qui primum præceptum faciunt de dijs alienis, 2. de ſculptilibus & ſic deinceps, adeoque ne ad undecimum uſque excurrat numerus, 9. & 10. præceptum in unum contrahunt.

XX. Hanc diſtributionem citant inter *veteres*, (i) Joſephus, (k) Philo, (l) Origines, (m) Autor operis imperfecti, (n) Nazianzenus, (o) Ambroſius, (p) Johannes Zonaras, &c.

(i) *lib 3. Antiquit. Iud c. 4.* (k) *in lib. de ſpecial. legibus : ſub initium* (l) *Hom. 8. ſup. Exod.* (m) *in hom. 49.* (n) *in Carmin.* (o) *in cap. 6. ad Eph.* (p) *Tom. 1 Hiſt. Byzanth.*

XX. Inter *recentes* eandem probant & propugnant (q) Calvinus, ejusq; aſſeclæ (r) Zacharias Urſinus, & ceteri plerique omnes. Et inter hos præcipuè Novi Reformatores in Principatu Anhaltino & Haſſiaco.

(q) *lib. 2. Inſt. c. 8. ſect. 13. & ſeq.* (r) *in compendio doctrinæ Chriſtianæ.*

3.

3. III. 3.

XXI. 3. *Tria* denique præcepta primæ Decalogi tabulæ accenſent ij, qui interdictum de ſculptilibus primo præcepto de dijs alienis adjungunt; adeoque in tabulam ſecundam referunt VII. præcepta, prohibitionem de non concupiſcendo repetitam in duo diſtincta præcepta dividentes, quorum alterum eſt nonum præceptum, alterum verò decimum.

XXII. Hæc diſtinctio eſt *Lutheri in Catechesi*, hodieq; uſitata eſt in Eccleſijs plerisque omnibus Auguſtanæ Confeſſioni γνησίως καὶ ὁλοψύχως addictis.

Ἀντίθεσις Adverſariorum.

XXIII. *Quid verò Zvvinglio Calviniani & præſertim αὐτονεόφυτοι* illi in Principatu Anhaltino, Marpurgi & alibi?

XXIV. Quantum in ſe eſt: iſtam Lutheranorum diſtinctionem explodunt, ſuamq; illam (qua textum de ſcupltilibus pro præcepto peculiari, & quidem ſecundo venditant: prohibitionem autem geminam de non concupiſcendo, in unum præceptum cõtrahunt) ſub ſalutis diſpendio, neceſſariò recipiendam imperant.

XXV. Sic enim *Anhaltini* fulminare non perhorreſcunt: Dieweil ſie auch nicht nur einen tüttel / oder einzigen Buchſtaben / ſondern ein gantz Gebot in der erſten Taffel außgelaſſen / vnnd daſſelbe nicht leiden können / Wie wollen ſie denn vor dem Sohne Gottes am jenem Tage ohne ſchrecken erſcheinen / wenn ſie jhme darauff werden antwort geben müſſen / der doch für ſolchem grewlichen Sacrilegio die gantze Welt ſo ernſtlich gewarnet / da er nicht allein ſo offt verbeut / etwas darzu oder davon zuthun / ſondern auch mit ſeinem eigenen heiligen Munde abermal ſo hoch bethewret, **Das / wer da eines von dieſen kleineſten Geboten** (denn was der Abgöttiſchen Welt nicht dienet / das verkleinert ſie) **aufflöſet** (geſchweige gar außmuſtert) **vnd lehret** die Leute alſo / (wie der Bapſt gethan / vnd die ob ſolchem Sacrilegio halten / freilich der Sünde ſich mit theilhafftig machen) **der wird der kleineſte** (das iſt / Nichts) **heiſſen im Himmelreich** / Math. 5.

Item:

Welcher aber vnter dieſen Admonenten, wenn jhnen einer zehen Thaler ſchüldig were / der acht gantze vnd zween halbe auffzehlete würde den Betrug nicht mercken? Noch halt man Gott für ſo alber / das er in der Taffel verſtümmelung vberſehen / vnd in dem letzten

Gebot-

Gebot die fallaciam divisionis nicht mercken sol. Denn das die verbotene concupiscentz in ein Gebot zusamm en gehöre/ beweiset nicht allein der Apostel zun Römern im gantzen 7. Capitel. vnnd 13. v. 9. Sondern alle/ die den Decalogum nach der gestümmelten ordnung erkleren/ können nicht fürüber/dieselbige beyde auffgetheilete Gebot für eins zunehmen. So wird sie einmahl der Sohn Gottes fragen: **Habe ich euch nicht zehen Gebot gegeben/wie habt jhrer denn nicht mehr denn neun?** Da werden sie freilich müssen **verstummen**/ in jhrem Gewissen hoch erschrecken / vnnd zu schanden werden plötzlich vnd ewiglich/ &c. In scripto cujus titulus: Verantwortung auff die Erinnerung der Schrifft/fol. 28.29.

XXVI. *Marpurgenses*, licèt velint videri modestiores: causam tamen hanc ita agunt, ut ijs, qui ad suas partes accedere nolint, itidem tremendam judicij extremi sententiam denunciare non vereantur. Marpurgens. abgenötigte Antwort fol. 111, 112, 143.

XXVII. Hic jam oritur magnâq; contentione agitatur quæstio, an res ita se habeat, &c.

An distinctio Præceptorum Decalogi in plerisq; Ecclesiis Augustanæ Confessioni γνησίως addictis usitata, simpliciter improbanda & abroganda sit?

XXIIX. Hostes Lutheri & Catecheseos ejusdem ἀντοῦδοι Zwinglio Calviniani, ζηλωμένῳ istius ὁδῷ καὶ ὄνυξι καὶ πάσῃ μηχανῇ τῷ Ἰσὸν Affirmativam Δὰ Φυλάττειν saragunt. *Adversarij Affirmativam propugnant.*

XXIX. Imò vi istam in actum deducere nusquam non nituntur & allaborant strenuè.

XXX. Nos verò Negativam tenemus nostramq; distributionem contrà meritò propugnamus, asserimus, vindicamus, ob causas & rationes non tam numero quàm pondere gravissimas. *Rationes Lutheranorum pro sua distributione I. V.*

XXXI. Inter quas *primas* omnium sibi vendicat Libertas Christiana, in quam Redemptor noster JESUS CHRISTUS precioßissimo sanguinis sui λύτρῳ nos adseruit, & ad quam sartam rectamq; custodiendam seriò exhortatur Apostolus *Gal.5,1.*

XXXII. Ad libertatem verò hanc etiam pertinet numeratio præceptorum Decalogi, quæ ἄγραφος & proinde ἀδιάφορος.

XXXIII. Scriptura enim solummodò *recitat*, *non* autem *numerat* præcepta, adeoq; quot eorũ in prima: quot in secunda tabula exti-

serint, quodnam item primum, secundúmve aut tertium fuerit, uspiam expresè enunciat.

XXXIV. Quando igitur Zwinglio-Calviniani suam tanto conatu & boatu urgent distributionem, nostramq; simpliciter improbandam & eliminandam censent, quid aliud agunt, quam ut libertatem nostram Christianam hostili animo impugnent?

XXXV. *Secundam* rationem nobis suppeditat Lutheranæ illius distributionis autoritas.

XXXVI. Ea namq; non demum à Luthero excogitata & in Ecclesiam invecta fuit: sed autores habet longè antiquissimos.

XXXVII. „Nolumus attingere, quòd distinctio illa in Romana etiam Ecclesia usurpetur, quodq; Magister ille sententiarum eandem tradat. *lib. 3. Dist c.37.*

XXXIX. Beda (f) certè & hoc antiquior (r) Isiodorus Hispalensis, & hoc adhuc multo antiquior (u) Augustinus, imò omnium antiquissimus (x) Clemens Alexandrinus illam inculcant, & commendant apertissimè.

(f) *in Epist. ad Rom.* (r) *in gloss. ordin. sup. Exod. 20.* (u) *Tom. I. f. 87. Tom. IV. f. 147. Tom. VIII. f. 203. 209.* (x) *lib. 6. στρωματέων.*

XXXIX. *Tertiò* momenta causarum, ob quas & prohibitio Deorum alienorum & εἰκονολατρεία ad unum idemq; præceptum referendæ, quarum *duæ* sunt præcipuè.

XL. *Prior.* Quia sub prohibitione Deorum alienorum, etiam prohibitio Idolorum, ut species sub genere συνεκδοχικῶς καὶ ὑπαλλήλως continetur; sicut Scriptura: passim prohibitonem Deorum alienorum *generalem*, per prohibitionem idolorum *specialem* interpretari solet, & vice versa.

XLI. Idola enim vel imagines, quibus cultus Divinus exhibetur, verè sunt & dicuntur Dij alieni, id quod ostendunt tum *Testimonia*, tum *Argumenta* Scripturæ.

XLII. Scripturæ *Testimonia*, quibus Idola Dij alieni appellantur, extant:

Gen. 31. 19. Gen 53, 24. Exod. 20, 32, cap. 23, 1, 4. Lev. 19, 4. Deut. 28, 36. 1. Paral. 14, 12.

XLIII. Nec est, ut objiciant illud Deuteronomij: (x) *Sculptilia Deorum eorum* (gentium) comburite igne. Est enim Hebraismus.

(Sculptilia

(Sculptilia Deorum pro Dijs sculpribilibus, interprete etiam Francisco Junio) cujusmodi quoque est hoc: *glabrities*, vel *lubricitates lapidum*, pro glabris & lubricis lapidibus, 1. *Sam.* 17, 4. (x) *cap.* 7.

XLIV. *Argumenta* Scripturæ ex his fontibus hauriri possunt: 1. Quia DEUM per Idola colere, & non eo modo, quem in verbo suo præscripsit, nihil aliud est, quàm servire Dijs alienis.

Exod. 32, 5. *Os.* 2, 16.

XLV. 2. Quia (y) solus Deus est colendus. E. Quicquid præter hunc colitur est Deus alienus. (y) *Deut.* 6, 13. *Matth.* 4, 13.

XLVI. 3. Quia honor imaginibus exhibitus (in oculis Dei) in ipsis imaginibus hæret, cum præter unum verum Deum, nulla revera in mundo Dij sunt. 1. *Cor.* 8, 9.

XLVII. 4. Quia, quando (z) Paulus scribit: *Gentiles per imagines mutasse gloriam immortalis Dei*, haud obscurè docet, eos inde sibi Deos finxisse. (z) *ad Rom.* 1, 23.

XLIIX. *Posteriorem* causam illius conjunctionis desumimus à comminatione & promissione illa: *Ego* DOMINUS DEUS *tuus fortè zelotes &c.*

XLIX. Quanquam enim hæ prohibitioni sculptilium immediatè subjungãtur; ejus tamen præ ceteris Decalogi præceptis, tanta ἐξοχὴ non est, sicut Adversarijs quidem videtur, ut ei potiùs; quàm alij illam annexam esse censendum, præsertim cùm plurale מִצְוֹתַי id est, PRÆCEPTA MEA, sententia huic contradicit.

L. Imò istud ipsum indicio est: Appendicem illam esse communem, & proinde ad omnia Decalogi præcepta ex æquo pertinere: annecti autem perinde ut & *Exod.* 34, 6. 7. primo præcepto, quod verbis ijs omnibus, quæ ibi immediatè præcedunt, cõprehensum.

LI. Idque ideò, ut sicut primum præceptum fons & caput est cererorum, seque ad illa omnia & singula extendit: ita quoque promissionem & comminationem illam communem in ea omnia & singula simul spargat atque diffundat.

LII. *Quartò & ultimò* pro nostra Divisione plurimum faciunt *causæ* numero *duæ*, ob quas prohibitionem de concupiscentia geminam, duo distincta præcepta, *IX & X.* videlicet, constituere asserimus.

LIII, Prior

LIII. *Prior* & maximè *principalis* est, distinctio concupiscentiæ non tam ratione objectorum, quàm modi & actus concupiscendi: in *actualem* & *Originalem*.

LIV. Quarum *illa* à (z) Jacobo dicitur συλλαβοῦσα estq; prohibita præcepto decimo: *Hæc* verò ἔκτισσα, & damnatur præcepto nono.

(z) *in Epist. Iac. cap. 2.*

LV. Et hoc est quod SPIRITUS sanctus, *tum* emphatica repetitione verbi חָמַד in (a) Exodo, *tum* verbo הִתְאַוָּה in (b) Deuteronomio innuere voluit. (a) *c. 20.* (b) *c. 5.*

LVI. Quod enim repetitio verbi in Exodo rectè insinuat: illud verbi in Deuteronomio mutatio apertè declarat.

LVII. הִתְאַוָּה enim propriè seipsum facere avidè concupiscere, seipsum ad concupiscendum irritare originaliter, id quod concupiscentiæ originalis proprium esse, quis est, qui non videat?

LVIII. *Posterior* causa eaq; *minus principalis* est litera סְתוּמָה ס in Deuteronomio, itemque accentus athnachta in Exodo, è quibus duo postrema præcepta à se invicem distincta esse, scitè & eruditè colligitur.

LIX. Sed ut rem in pauca contrahamus, ex his utique quæ dicta & adducta sunt hactenus, hunc syllogismum generalem extruimus:

Distributio præceptorum Decalogi, quæ nititur causis & rationibus gravissimis, non est simpliciter improbanda, multò minus abroganda.

Sed talis est distributio in Ecclesiis plerisq; omnibus, Augustanæ Confessioni γνησίως addictis, recepta.

Ergo non simpliciter est improbanda, multò minùs ex illis abroganda.

PROBLEMA II.

An Ecclesiæ Confessioni Augustanæ addictæ, ideo, quòd in Catechesi Lutherana, aliqua omittantur, nec omnia, quæ Moses habet, in recitatione Decalogi á verbo ad verbum inculcentur, Decalogum mutilatum habere dicendæ sint.

IX. Ita quidem censent Censores illi novitij in Republica Zwinglio-Calviniana, quorũ censurã suprà thesi XXV. vidimus.

LXI. Multi

LXI. Multi etiam eò insaniæ procedunt, ut Ecclesias nostras propterea sacrilegij anathematis fulmine digni, insimulare ausint.

LXII. Quid nos? Causam agemus Lutheri & Ecclesiarum γνησίως Lutheranarum, ostensuri:

1. *Quòd Catechesis nostra in recitatione Decalogi falsò mutilationis accusetur.* Duo ἐξηγητέα.

2. *Quodq; non necessum sit, ut omnia, quæ in Mose extant, protinus etiam institutioni Catechetica conveniant.*

LXIII. 1. *Prius* illud quod attinet: tum demum utique Lutherani mutilationis Decalogi vel καταλύσεως alicujus, ut Adversarij loquuntur, rei peragi possent: Si quædam ex Decalogo in Exodo vel Deuteronomico è codice Biblico penitus expunxissent, qualia sacrilegia Judæos in Biblijs commisisse, autor est Justinus Martyr in Triphone. I.

LXIV, Id verò Luthero nunquam in mentem venit. Et si quis est, qui Biblia integritati suæ tum quoad literam, tum quoad sensum restituere laboravit: Lutherus fuit, Lutherus fecit.

LXV. Quod autem omisit quædam in Catechesi sua: id fecit absque omni dolo, brevitatis studio, propter captum rudiorum, quorum memoriæ σωτομῆ ἢ σωτόψει ejusmodi succinctâ & perspicuâ consulendum.

LXVI. Atqui σωτόψις non est κατάλυσις, sicut nec σωτομὴ ἐκτομὴ, aut ἀπτομὴ ἀποτομή.

LXVII. De *posteriori* porrò tenendum, quòd illa, quæ à Luthero, in Epitome Catechetica, sapienti consilio, omissa, *duûm* sint generum. II.

LXIIX. *Quædam* enim simpliciter, & in specie tantùm ad Judæos in Veteri olim Testamento pertinuerunt: *Quædam* verò ὁλικῶς, id est, quatenus & *Ceremonialia pariter & Moralia* Judæos in V. T. spectarunt: μερικῶς autem & μέχρί τινος vel secundùm quid, id est, quatenus *Moralia* Christianos in Novo hodiè Testamento quoque attinent.

LXIX. *Prioris* generis sunt: 1. In *Primo* præcepto Eductio ex Ægypto beneficium proprium Ecclesiæ non Christianæ N. T. sed Judaicæ V. T. *Ier. 16, 15. c. 23, 7. c. 31. 37. & alibi.*

LXX. 2. In *quarto* præcepto. Promissio vitæ prorogandæ in terra

9

(Canaan) Judæis promissa, quæ ab Apostolo in allegatione illius præcepti omissa. *Ephes. 6, 2.*

LXXI. *Posteriorii* generis sunt 1. in *tertio* præcepto sanctificatio Sabbathi vel diei septimi, quam in Novo Testamento autoritate Apostolica, vi & vigore libertatis Christianæ, abrogatam, vel in diem septimanæ primum translatam esse, animadvertere licit ex his Scripturæ locis: 1. *Cor. 16. 1. Gal: 4, 10. Col. 2, 16. Apoc. 1, 9.*

LXXII. 2. *In apendice primi præcepti* prohibitio sculptilium, cujus duo membra: alterum de sillis faciendis & habendis: alterum de ijsdem adorandis, & colendis.

LXXIII. *Vtrumq;* interdictum fuit *Iudæis*, eò quod populus illo naturâ φιλειδωλος, testibus Philone & (f) Athanasio.

(f) *in quæst. ad Antiochum Principem.*

LXXIV. *Christianis* verò tantùm *posterius*, id quod prohibitione de non habendis Dijs alienis comprehensum.

LXXV. *Prius* verò illis in N. T. non esse prohibitum vel hinc colligi potest, quòd nec CHRISTUS, nec Apostoli, in Catalogis peccatorum cum Decalogo pugnantium ullam illius mentionem faciunt uspiam.

LXXVI. Legatur hac de re Lutherus:

Tom. 3. Ien. Germ. in parte 1. lib. contra cœlestes Prophetas.

Itemque Tom. 4. Ien. Germ. fol. 487. 469. & seq. in expositione 20. cap. Exodi.

LXXVII. Nos concludimus ex his, quæ breviter ac leviter jam delibavimus, Ecclesias Augustanæ Confessioni addictas mutilationis Decalogi falsò insimulari.

III. PROBLEMA.

An Decalogus ex Ecclesia Dei proscribendus & eliminandus sit?

LXXIIX. Ita quidem contendunt Antinomi, quorum ἔξαρχος omnium primus extitit *M. Iohannes Islebius Agricola*, qui Anno 1538. contra Lutherum Præceptorem insurgere & has περιτολογίας publicè effutire & propugnare cepit:

I. Ψευδοδοξία Antinomorum.

1. Das Gesetz ist nicht werth / das es Gottes Wort genant sol werden.

2. Deca-

3. Decalogus, oder die Zehen Gebot / gehöret auff das Rathaus / nicht auff den Predigtstuel.
3. Alle die mit Mose vmbgehen / müssen zum Teuffel fahren / An Galgen mit Mose.
4. Wir sollen nicht die Menschen bereiten zum Evangelio / durch die Predigt des Gesetzes / Gott mus es thun / des Werck sey es.

LXXIX. Sed contrarium ostendunt, tum CHRISTI, Baptistæ & *Apostolorum praxis*, tum *Rationes* gravissimæ, ob quas Lex in Ecclesia æquè ut Evangelion tradenda & inculcanda est assiduè.

2. ὀρθοδοξία *Lutheranorum, probata.*

LXXX. *Praxi* (g) CHRISTI, (h) Baptistæ, & (i) Apostolorum ab. undè patet, quòd tam legem quàm Evangelion suis auditoribus proposuerint.

1. Πρᾶξις *Christi, Bapt. & Apost.*

(g) *Matth. 5, 6, 7.* (h) *Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.* (i) *Act. 6. 2, 23. 6. 24, 25. Rom. 3. 1. Cor. 6. Gal. 5. & alibi passim.*

LXXXI. *Rationes* omnium summæ maximeq; præcipuæ *duæ* sunt, quarum *prima* constat ex usibus Legis, quorum tres numerari solent.

2. Duabus Rationibus.

Legis usus 3.

LXXXII. *Primus* est πολιτικὸς consistens in conservatione disciplinæ externæ; seq; extendit ad omnes pariter non renatos.

1. Timoth. 1, 9.

LXXXIII. *Secundus* est ἐλεγκτικὸς perducens ad agnitionem peccati & iræ Dei, pertinetq; principaliter ad justificandos.

Rom 3, 20. & 6. 4, 14. 15, 56.

LXXXIV. *Tertius* est παιδευτικὸς, tradens institutionem vitæ Christianæ partim διδακτικῶς, partim ἐλεγκτικῶς, partim νουθετικῶς respicitq; unicè ac propriè jam renatos & justificatos. *Psal. 119, 105. Rom. 7. 22.*

LXXXV. *Secunda* sumitur ab imperfectione Regenerationis in hac vita, unde per facilis lapsus, vel ad arcanos raptus cum Enthusiastis; vel ad carnis licentiam, cum Libertinis; vel ad ἐθελοθρησκείαν cum Pontificijs, vel ad spiritualem superbiam, cum Justitiarijs.

LXXXVI. Sed his malis omnibus Conciones *vocatæ* assiduo & indefesso studio inculcatæ efficacissimè medentur.

LXXXVII. Non error igitur tantùm est; sed furor potiùs: contendere, legem ex pomerijs Ecclesiæ proscribendam & eliminandam esse.

EX DECALOGO
DECADIS PRIMÆ
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
M. SIMONE VVOLLIN,
Rugenvvaldâ-Pomerano.
24. Februarij Anno 1610.

IV. PROBLEMA.
An omnes indiscriminatim imagines ex templis tollendæ & abrogandæ sint.

I.

Controversia de imaginibus.

HÆC de imaginibus controversia magnas in Ecclesia turbas dedit & excitavit: tûm *olim seculo* post nativitatem Domini *octavo*: tùm *Lutheri tempore* Anno 1522. tum exinde in *Gallijs*, & *nostro hoc tempore* in Germaniæ ijs in locis, ubi religio Zwinglio-Calviniana clam palamve invehi cepit.

II. 2. *Seculo* olim *octavo* tantæ exarserunt de imaginibus contentiones, ut earum gratiâ aliquot coactæ & habitæ fuerint Synodi.

III. Quarum tamen *tres* præcipuæ extiterunt:

1. Constantinopolitana *VII. sub Constantino Copronymo, Anno Domini 755.*
2. Nicena *II. sub Irene Anno Christi 788.*
3. Francofurdiana *ad Menum, auspicijs Caroli Magni. Anno 794.*

IV. Constantinopolitana Synodus κατ' ἔλλειψιν peccavit, stabiliens τὴν εἰκονοκλασίαν, adeoque imagines promiscuè omnes ἁπλῶς καὶ ἀχέτως damnans esse decernens.

Verba decreti hæc sunt:

Nemo hominum, qualiscunq; tandem fuerit, tale institutum & impium & impurum posthac sectetur. Qui verò ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi parare, aut adorare, aut in Ecclesia, aut in privata domo constituere, aut clàm habere, *si Episcopus fuerit, aut diaconus deponito, &c.*

deponitor, si verò solitarius aut laicus, anathemate percellitor, Imperialibusq; constitutionibus subjicitor, ut qui divinis decretis repugnet, & dogmata non observet.

V. *Nicena* contrà erravit *κατ' ὑπερβολὴν* sanciens & confirmans (a) *τὴν εἰκονολατρείαν*, imaginesq; ex mandato DEI in Ecclesia necessariò habendas, & insuper cultu religioso venerandus esse præcipiens. *πικρεστὶν*

(a) *in sept. & ult. Confes. qui fuit 3. Idus Octobris, ubi tota Synodus exclamavit:*

Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum DEUM, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntor; qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta patrum custodimus, nos adjicientes aliquid aut auferentes Ecclesiæ, anathemizamus. Nos venerandas imagines suscipimus: nos, qui secus faxint, anathemate percellimus.

VI. Synodus *Francofurdiana* inter utrumque istud extremum *εἰκονομαχίαν* & *εἰκονολατρείαν* media ac regia incedens via & ad *εἰκονοπαιδοσίαν* inclinans, imagines earumq; usum historicum non damnat: damnat verò earum cultum & adorationem rationibus *τῶν εἰκονολάτρων* itemq; argumento *τῶν εἰκονομάχων* solidissimè refutatis.

VII. *Lutheri tempore*, cùm ipse anno 1522. in Pathmo VVartburgi lateret: tunc interim Andreas Carolstadius hic VVittebergæ bellum *εἰκονοκλαστικὸν* tot retro seculis consopitum redintegravit, adeoq; imagines ex templis, vi publica, exturbare non erubuit.

VIII. Coactus (b) igitur fuit Vir Dei Lutherus hac Hominis importunitate revertiex Pathmo VVittebergam, & Lupo huic, qui in ovile ipsius irruperat, se opponere; id quod etiam mox post reditum expeditum dedit, (c) *septem concionibus*, septimanâ primâ Quadragesimæ contrà Carolstadium habitis.

(b) *lege Tom. II. Ien. Germ. à fol. 68. usq; ad f. 78.* (c) *Tom. I. Isleb. à f. 82. usq; ad f. 95.*

13 3. IX. 3 Quid porrò Spiritus Carolſtadij deinde in Gallia auſus fecerit: id Beza ipſe non diſſitetur:

Non negamus, inquiens, hujusmodi in Gallia, in exortis tumultibus & civilibus bellis facta esse aliquo zelo, sed non secundùm scientiam, quoniam modum excesserunt. *In Colloq. Momp. f. 398.*

X. Mox tamen alio ſpiritu abreptus in verba hæc vel auditu horrenda & blaſphema erumpit:

Quapropter fateor, ME EX ANIMO CRUCIFIXI IMAGI-
3 NEM DETESTARI. *Quæ est imago crudelitatis Iudæorum in* CHRISTUM, IDEO EAM NON POSSUM FERRE.

Colloq. Momp. f. 418.

4. XI. 4. Quanto deniq; cum ſcandalo infirmorum εἰκονομαχία illa infelix noſtro hoc tempore excitata fuerit, notius eſt proh dolor quàm expedit.

XII. *Anhaltini* certè ſuperioribus annis tam acerbè & odioſè ſcriptis publicè editis hanc egerunt cauſam, ut Chriſtianæ caritatis & modeſtiæ omnino obliti videri potuerint.

XIII. Et præcipuè in libro, cujus Epigraphe, **Verantwortung auff die Erinnerungs ſchrifft/&c.** cui, inter alia, & hoſce flo-ſculos interſerunt:

f. 32. Pugnare pro imaginibus esse peccare in Spiritum Sanctum.
f. 34. Imagines esse abominationem coram Deo.
f. 40. Quod imagines tamdiu tolerentur esse causam, cur tot illustres familiæ subinde intereant.
f. 43. Imagines esse idola Antichristiana.
f. 45. Qui imagines extrudi molint, esse idololatras.
f. 55. Imagines esse Symbola Antichristi.

XIV. Parùm modeſtiores ſunt *Caſſellani & Marpurgenſes*; ſicut prolixiùs doceri poſſet: ſed ſufficiat hoc unicum Caſſellanorum:

In Antiqua fide Cattorum p. 89.

Domi privatim licet habere imagines Apoſtolorum, quàm primum autem conſtituuntur in templo, exercetur per illas Idolatria.

Duæ quæſtiones circa hanc controverſiam

XV. *At enimverò ut Controverſia iſthæc pleniùs diſtinctiusq;* explicetur & dirimatur, duæ hic quæſtiones ordine ſed breviter evolvendæ veniunt.

XVI. *Prima*

XVI. *Prima est: Quales imagines in templis tolerare & habere non liceat, & quales contrà liceat.* Quædam enim earum licitæ sunt: quædam verò illicitæ,

XVII. Inter illicitas referimus *primò τὰς μεταμορφωτικὰς* id est, imagines illas, quib. Deus, qui est Spiritus, adeoq; essentia invisibilis & infinita, humano ingenio, ad similitudinem mortalis hominis vel volatilium aut quadrupedum vel reptilium, effingi & pingi posse aut debere præsumitur. I. Quæst. I. *Imagines illicitæ.*

XIIX. Excipimus tamen hinc imagines earum rerum, quibus Deus se in Scriptura revelavit & quasi conspiciendum præbuit, ut (d) DEUS PATER in forma *Antiqui dierum* (עַתִּיק יוֹמִין) (e) DEUS FILIUS *in imagine hominis peregrinantis, Ducis armati* (f) DEVS SPIRITUS SANCTUS *in specie columbæ.* (d) *Dan. 7, 13.* (e) *Gen. 18. Ios. 5.* (f) *Matth. 3.*

XIX. Etsi enim Anthropomorphitarum errorem nullatenus probamus, Deumq; adeò quoad *essentiam* pingi posse aut debere ultro inficiamur: inficiari tamen non possumus, Deum se ipsum istiusmodi imaginibus quasi depinxisse, oculisque hominum aliquomodò intuendum obtulisse.

XX. Quando igitur tales res, quibus DEus se revelavit, pinguntur: tum utiq; DEus dicitur pingi non *ἰδίως*: sed *κατὰ χρῆσιν*: non *αὐτοσίως*; sed *συμβολικῶς*; id est, ea tantùm *Symbola* pinguntur, quibus Deus præsentiam suam modo singulari patefecit.

XXI. 2. Illicitis imaginibus præterea accensemus *imagines Ethnicas*, ut Apollinis, Minervæ, Cybeles, Proserpinæ, & ceterorum Numinum Gentilium, quorum ne Nomina quidem inter Christianos audiri vult DOMINUS. *Exod. 23. 13. Deut. 12, 3. Os. 2. 17.*

XXII. 3. Imagines *obscœnas* & ad libidinem modò excitandam fictas pictasq;. Quales in templis Papisticis per Italiam & Galliam plures conspici, Beza retulit *in Colloq. Monpelg. f. 407.*

XXIII. Hæc imaginum genera singula & universa nos seriò repudiamus, easq; in templis haberi nolumus, siq; uspiam habeantur, ordine & decenter tollendas esse asserimus.

XXIV. Et quidem per Magistratum Politicum, sicut docent exempla (g) Mosis, (h) Gedeonis, (i) Jehu, (k) Hiskiæ, (l) Josiæ, &c.

(g) *Exod. 32.* (h) *Iud. 6.* (i) *2. Reg. 10.* (k) *2. Reg. 18.* (l) *2. Reg. 23.*

XXV. Atq;

XXV. Atque huc sanè tendunt illa Scripturæ interdicta, quæ Antagonistæ magno agmine contra nos in aciem producunt, ut:

Levit. 26, 1. Deut. 12, 4. 1. Samuel. 7, 5. Hos. 2. v. 2.
Deut. 27, 15. 1. Cor. 10, 14. 2. Cor. 6, 14. 16. 17. 18. Apoc. 16, 5.
Deut. 4, 12. 24. Rom. 1, 21. 22. 33. 24. 25.

III. *Imagines licitæ.*

XXVI. Et tantum de imaginibus illicitis, in templis non ferendis. Imagines *licitæ*, accuratioris distinctionis gratiæ, subdividi possunt *in minus magisq; licitas.*

1. XXVII. *Minùs licitæ* appellari possunt imagines *fabulosæ ac superstitiosæ* Monachorum, ut Mariæ & aliorumquorundam Sanctorum, quæ vel Scripturæ adversantur, vel cum aliarum hostiarum veritate pugnant.

XXIIX. Hæ, isthoc quidem respectu, potius illicitæ inq; templis minimè tolerandæ censeri possunt ac debent; cujus gratiâ etiam earum nullæ apud nos hodiè fieri, multò minùs factæ in templa collocari solent.

XXIX. Quatenus tamen inde & Jesuitarum impudentissima mentiendi libido redargui, & juniores doceri possunt de abominationibus quæ in Papatu olim ante Lutherum, viguerunt, adhuc, aliquo maximè in angulo, tolerantur.

XXX. Sicut Theodosius Imperator & Theophilus Episcopus eo sine idolorum quorundam Ethnicorum statuas leguntur retinuisse, ut essent Idolomaniæ Ethnicæ testes.

2. XXXI. *Magis licitæ* sunt, quæ sacris è Biblijs pinguntur & habentur in templis, tum ut *doceant*, tum ut *ornent*

XXXII. *Docent* imagines non eo, quo sacra Biblia, sed suo quodammodo, idiotas præsertim literarum ignaros, qui picturarum ope, historias sacras, sibi imaginari, illarumq; intuitu has in memoriam sibi revocare possunt ac solent.

XXXIII. Cujus gratia ὁμοιώματα, παραδείγματα, ἐκτυπώματα καὶ βίβλοι τῶν ἀγραμμάτων, à Basilio & Damasceno appellantur.

XXXIV. Et huc facit etiam illud Lutheri in c. 1. Micheæ.

Adoratio si absit, potest imaginum, sicut literarum, usus esse, quæ admonent nos rerum, & res quasi repræsentant.

XXXV. *Ornare*

XXXV. *Ornare* verò imagines Biblicas, probatione nulla indiget. Utinam modò plures essent, qui ea in re aliquid sumtuum facerent!

XXXVI. Interim tamen nimios & non necessarios sumtus in cumulandis imaginibus, vitandos inq; meliores usus collocandos esse censemus.

XXVII. Et tantum de quæstione, quales imagines in templis habere & tolerare liceat. Cui indissolubili nexu cohæret hæc altera:

XXIIX. *Cur tales imagines, quas licitas modò vocabimus; habere & tolerare liceat.* II. Quæstio.

XXXIX Hic jam causæ istius rei breviter, & ὡς ἐν τύπῳ, consignandæ sunt, ut & amici & inimici intelligant, sententiam nostram non infirmis niti præsidiis. *Causæ ob quas imagines historicæ tolerandæ.*

XL. *Prima* verò causa est *Libertas Christiana* in rebus adiaphoris, ad quam sartam tectamq; custodiendam plena Apostolicæ severitatis oratione nos cohortatur Paulus *Gal. 5. v. 1.* 1. Causæ.

In libertate, inquiens, qua CHRISTUS *vos liberavit, state, & ne rursus jugo servitutis implicemini.*

XLI. Atqui imagines non Idololatricas esse res indifferentes vel ex eo liquet, quod nullibi in scriptura, Novi præsertim Testamenti prohibitæ.

XLII. Unde rectè Beda: *Imagines in Ecclesia fieri nulla divina litera prohibuit.*

XLIII. Res autem istiusmodi medias, quæ nec præceptæ nec prohibitæ sacris in literis *habere pro rebus necessarijs*, id est, pro talibus, quæ necessario vel *retinendæ*, ut contendunt *Pontificij*, vel *abolendæ*, ut volunt *Carolstadiani*: quid hoc aliud est, quàm Christianam libertatem evertere, imò in ψυχολυμανίαν intolerabilem convertere.

XLIV. Ea enim, quæ DEUS libera esse voluit, isti κομιζόμενοι in necessaria transformant, & proinde, hoc ipso, sibi plus potentiæ & sapientiæ arrogant, quàm DEUS ipse.

XLV. 2. Causa liberi imaginum usus, in nostris templis est, *vera ac genuina interpretatio & sententia textûs de imaginibus*, quem Adversarij itentidem, ut alterum Ajacis clypeum, nobis objectare consueverunt. Eoq; faciunt hi sequentes *quatuor* ἀφορισμοὶ κεφικοί. II. Causa. 4. ἀφορισμοὶ κεφικοὶ.

XLVI. 1. Lex, de imaginibus faciendis, planè, ut præceptum de Sabbatho, quatenus Sabbathum, non eſt moralis, ſed ceremonialis, adeoq; tantùm pertinet ad Judæos in V. T. quo per CHRISTUM in N. T. abolito, & illa ſimul abolita expiravit, perinde ᵒ ut præceptum de Sabbatho.

XLVII. Sicut ἀκριβῶς καὶ διεξοδικῶς docet Lutherus: *Tom. 3. Ien. Germ. f. 43. & Tom. 4. f. 501. 502. 503.* ᵒ *Gal. 4. 9. 10. Col. 2. 16. 17.*

XLIIX. Quò facit, quòd nec *Matth. 5. 6. 7.* ubi Chriſtus totam legem repetiit, & accuratiſſimè explicavit; nec etiam in ᵉ Synodo Hieroſolymitana (ubi cetera, quæ aliquamdiu adhuc juxta præſcriptum legis Moſaicæ obſervanda, ſingulari ſtudio fuere ventilata) ulla imaginum fiat mentio. ᵉ *Act. 15.*

2. XLIX. 2. Quia Judæi in Ægypto imagines colere & adorare viderant, & (ut Philo & Athanaſius loquuntur & teſtantur) natura erant populus φιλειδώλους: ipſis utiq; non modò τῇ εἰκονολατρείᾳ interdictum fuit; ſed etiam τῇ εἰκονοποιήσει; ne ſortè ex hac illius ἀφορμὴν arriperent; id quod Thaumaſiander ILLE ſimilibus accommodatiſſimis, ab infantibus, quibus uſus cultrorum & alia prohiberi ſolent, eleganter illuſtrat. *Tom. 4. Ien. Germ. f. 502.*

3. L. 3. Si ἀκριβολογεῖν licet; non omnes promiſcuè imagines facere & habere DOMINUS vetuit: ſed illas maxime, quæ eſſe deberent סְמוּנָה id eſt, *ſimilitudo* ſc. DEI, **Nemlich die man auffricht/ als werens Gottes Bilder/** inquit *Lutherus* loco jam allegato.

LI. Sic enim Deus ipſe mentem ſuam alibi explicat, imprimis verò *Eſaiæ 46. v. 5.* Et *ad Rom. 1.* accuſantur gentes, quòd, contra hoc interdictum, gloriam immortalis Dei, in ejusmodi imagines impiſſimè transmutârint.

4. LII. 4. Aliàs imagines non ἁπλῶς damnavit DOMINUS: ſed κατὰ συμπλοκὴν, id eſt, reſpectu cultûs & adorationis, uti προσδιορισμὸς ibi additus, luculenter oſtendit, & adhuc luculentius iſtud Levitici: *Non facies idola, nec ſculptile, nec ſtatuam erigatis vobis: ſed nec lapidem figuratum ponetis vobis in terra veſtra* לְחִשְׁתַּחֲוֺת עָלֶיהָ *ad* ADORANDUM *ſive ut* ADORETIS. *Lev. 26.*

LIII. Quòd ſi omnem & ποίησιν & χρῆσιν imaginum ἁπλῶς καὶ ἀχρέτως in univerſum prohibere voluiſſe DOMINUS: fruſtra utique illud

illud προθήκης μέρος, de prohibitione εἰκονολατρείας, superaddidisset.

LIV. Tertiam causam hoc argumento ἐκ τοῦ τόπου comprehendimus: III. Causa.

Si statuæ & altaria p Lege DOMINI *prohibita: post illam etiam prohibitionem in V. olim Test. extra rationem cultus fuere concessa; multo utiq; magis imagines jam in N. T. non prohibitas, extra cultus & venerationis rationem, habere licuerit.*

Atqui verum est prius.

Ergo & posterius. p. *Lev. 26. v. 1.*

LV. Assumti veritas nititur exemplis: *Ios. 24, 26. 1. Sam. 7. 12. Iob. 22, 29.*

LVI. *Quarto & ultimo* accedit συγκαταψηφισμὸς præcipuorum ex senatu Zwinglio-Calviniano procerum, qui & ipsi imagines pro rebus indifferentibus & in libertate Christiana positis habent, IV. Causa.

Bucerus in *Enar. 1. cap. Epist. ad Rom.*

Petrus Martyr in *locis pag. 214.*

Beza *passim in Colloq Mompelg. in Disp. de imaginibus, & alij.*

LVII. Nos ex his, quæ prolata & disputata sunt hactenus, tandem concludimus, non omnes promiscuè imagines è templis tollendas, sed aliquas earum, vi & vigore libertatis Christianæ, salva religione, inibi ferendas esse.

V. PROBLEMA.

Quid de sagarum factis factorumq; pœna statuendum?

De Sagis.

LVIX. Varia sunt incantatorum genera, qui in secundum Decalogi præceptum atrociſſimè impingunt, dè quibus videantur alij.

LIX. Non postremum tamen inter eos locum sibi vendicant *sagæ* vel *veneficæ*, sic dictæ à potiori, quòd diaboli instinctu & ope, venena conficiant, quibus hominibus & jumentis noxam inferre satagunt. *Duo in hoc problemate quæruntur.*

LX. De his in proposito problemate *duo* quæruntur? *Alterum* est de ipsorum factis: *alterum* de factorum pœna.

LXI. Facta earum, *generali divisione* duplicia sunt; *Quædam* fiunt vel potius fieri videntur solùm κατὰ φαντασίαν: Quædam verò sunt κατ' ἀλήθειαν. I. *De factis sagarum.*

19 I. LXII. Κατὰ φαντασίαν multa fieri ipsis videri, id testatur, tum historia illa Saulis (1. Sam. 28.) tum δοκιμὴ sæpius institui, solita; dum profundo somno correptæ immotæ jacuere, & tamen postea ex morte quasi, derepentè expergefactæ, se hic vel illic fuisse & admirabilia vidisse, audiisse, fecisse affirmant, quæ tamen mera fuerunt somnia vel φαντάσματα ἐνύπνια, à Diabolo ipsis objecta. *Augst. lib. de Div. Dæm. c. 3. 5. Item lib. de Spir. & anima. cap. 28.*

VVierus lib. 3. de præstigijs dæmonum.

LXIII. Et ad talem somnum maximè conducunt unguenta, quibus tempora illinere consueverunt.

II. LXIV. *Quæ* fiunt κατ' ἀλήθειαν, *partim* fiunt ab ipsis sagis: *partim* sagarum vice & nomine à Diabolo, cui se mancipárunt, & in obsequium tradiderunt.

LXV. *Quæ ab ipsis fiunt*, eorum *partim* naturales causæ dari possunt: *partim* non possunt.

LXVI. *Dari possunt* causæ, ut quando herbis vel aliis rebus venenatis hominibus & jumentis noxam inferunt, & quidem plerumq; instinctu diaboli, Physici & μυριοτέχνα exercitatissimi, qui res illas & alia φθορικὰ ipsis suggerit.

LXVII. Sæpissimè autem *nequeunt* dari causæ, ut quando ejusmodi reculas ad hominum & jumentorum noxam & interitum apparant, & commiscent, quarum nulla vis & efficacia naturalis.

VVierus lib. 3. cap 34. & seq.

2. LXIIX. Cererùm *loco & nomine sagarum* ab ipso diabolo fiunt quamplurima, maximè verò omnis generis tempestates in aëre, quas, diaboli, Dei permissu, excitant; idq; eo faciliùs, quia sunt l πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *quibus in potestas aëris*, rerumq; naturalium scientia & experientia exquisitissima.

l *Eph. cap. 6, 12.* m *cap. 2, 2.*

LXIX. Et talis haud dubiè fuit tempestas in stagno Genezaret orta, *Matth.* 8.

LXX. Præsentiebat enim Christum in Gadarenorum regionem jam tendere, ut ipsum fortem armatum ex atrio suo expelleret.

LXXI. Id ut præverteret: Christum cum discipulis, procelloso turbine subitò excitato evertere conabatur.

LXXII. Ea autem quæ sic à diabolo excitantur & peraguntur, à se ex-

se excitari & peragi sagæ sibi imaginantur, fascinatæ à diabolo, cui miseris hominibus illudere perquam volupe est.

LXXIII. Hæc non ἀκριβῶς: sed ἀκροθιγῶς saltem de *factis sagarum.*

LXXIV. De *pœnis* factorum earum hæc *duo* breviter & strictim notamus. II. De pœnis duo. sagarū

LXXV. 1. *An pœna capitali afficiendæ.* Esse autem afficiendas sacræ docent & confirmant literæ, tum x πρόσταξιν: tum y παραδρ-αγμαλιῶς, x *Exod. cap. 22. 18. y. 1. Sam. 28, 3.*

LXXVI. Imò etiam illos, qui ejusmodi cum hominibus rem habent, se ex terra exterminaturum minatur JEHOVAH. *Lev. 20, 6.*

LXXVII. 2. *Cur vel quo respectu potissimum pœna capitali afficiendæ sint;* cum pleriq; omnia non ab ipsis: sed à diabolo fiant & designentur.

LXXVIII. Hic tenendum, quòd mortis pœna, tum maximè eis infligi soleat ac debeat; si quando ab illa cum Diabolo pacta insuper accesserint veneficia, quibus vel hominibus vel jumentis, vel segeti, &c. damnum ab ipsis vel diabolo datum.

LXXIX. Tum pœnæ veneficij, id est, igni & rogo adjudicari solent.

LXXX. Et quidem hoc maximè respectu, quòd licet damni dati ipsæmet *non* extiterint *causa proxima* efficaciter operans: prō causa tamen illius *remota*, meritò haberi possint ac debeant.

LXXXI. Etsi enim ipsis deest facultas facinora istiusmodi patrandi, quorum causa, mortis supplicio adjudicantur: tamen nec voluntas nec voluptas talia perpetrandi ipsis deest.

LXXXII. Usq; adeo ut illa à seipsis perpetrata esse, certō sibi persuadeant, tacitèq; secum in sinu gaudeant.

LXXXIII. Ad quam impietatem accedit, quòd non exhorrescant in talibus facinoribus operam suam dicare Diabolo, hosti Divini Numinis juratissimo, & pati, ut is ipsis, ceu instrumentis, pro arbitrio, utatur.

LXXXIV. Et hinc fit, quòd propter horrendam istiusmodi impietatem, DEUS justo judicio, Satanæ permittat, & indulgeat, ut istiusmodi facinora summè noxia, Sagarum nomine ac vice designet.

LXXXV. Quemadmodum, propter Davidis ſuperbiam permiſit Angelo ἐξολοθρεύτῃ, ut perexiguo temporis ſpacio 70. millia hominum, ſubito peſtis contagio perderet. *2. Sam. 24.*

LXXXVI. Nolumus tamen patrocinari ijs, qui in medicina illa modum excedunt.

LXXXVII. Vel *nimiâ præcipitantiâ*, dum promiſcue quaſvis abſque prævia eaq; ſufficiente & legitima cauſæ cognitione, earumque rerũ, qua ad illã ſpectant, exploratione accuratiori, ad ignem rapiunt, vel *ſuperſtitioſâ probatione*, qualis eſt illa per aquam frigidam, quæ per z Lotharium Imperatorem ſublata legitur, hodieq; à Jureconſultis præſtantiſſimis improbatur.

z *in jure Longob. lib. 2. tit. 54.*

LXXXVIII. Sed meminerimus potiùs Diabolum eſſe Mendacem & homicidam ab initio, & proinde nulla in re majori ſtudio occupari, quàm ut ſuis mendacibus præſtigijs vitæ & ſaluti hominum inſidietur.

LXXXIX. Concludimus igitur hujus ζητήματος Διάκρισιν hiſce Concilij Bracarenſis juſſu regis Ariamiri ſeu Gundemiri *Anno Domini* 610. in Portugalia celebrati, verbis memoriâ dignis:

In hac miſeriarum valle verſutiſſimus inſidiatur hoſtis, mille nocendi artibus inſtructus.

Nec non his, ex ſermone acclamatorio Epiſcoporum ad Conſtantinum Imperatorem.

Deſiderabile eſt Dæmoni, qui generi humano ſemper infeſtus eſt, ſeparare hominem à DEO, qui factus eſt ad imaginem DEI, & multimodis deceptionibus fallere. Sic nihil eſt ei ſic ſtudioſum atq; officioſum, quam pietatem oppugnare, & Eccleſiaſticæ pacis ſtatum perturbare. Cent. 7. Magdeb. f. 89.

VI. PROBLEMA.

An conceſſum ſit homini Chriſtiano jurare?

Diſtinctio juramentorum 6D

XC. *Negantem* hic partem tenent ſtrictèq; obſervant Anabaptiſtæ, qui omnia promiſcue juramenta in univerſum damnant & averſantur, male intellecta iſthac Chriſti ſententia:

OMNINO non jurabitis, &c. *Matth. 5.*

XCI. Nos

XCI. Nos distingvimus inter juramenta *temeraria & gravia*.

XCII, *Temeraria* vocamus, quæ quis ex mera levitate, nulla urgente causa gravi & necessitate, temerè & ultrò effurit. I. *Temeraria.*

XCIII. Et talia sanè juramenta homini Christiano licere non modò negamus: sed etiam peccatis *ἀναπολογήτοις*, quæ contra secundum Decalogi præceptum designantur, accensemus.

XCIV. *Gravia* autem juramenta sunt & dici possunt, quæ justis & gravibus de causis, & sic postulante necessitate, præstantur, & maximè quidem ea, quæ officij ratione & autoritate imponuntur, ab ijs, qui Magistratum gerunt, qui etiam exinde *ὄρχωται* Græcis appellantur. II. *Gravia.*

XCV. Hæc verò juramenta licita esse & omninò necessaria, sine omni hæsitatione affirmamus, his innixi Scripturæ *fundamentis* planè *ἀμεταχινήτοις*. *Fundamenta pro juramentis licitis.*

XCVI. Ac I. quidem religiosissimo DEI *mandato*. Deut. 6. **DEVM** *tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen ipsius jurabis.*

XCVII. II. *Exemplis*, ut: 1. Ipsius DEI, *a* qui juravit per seipsum, *b* itemque per vitam & animam suam.

a *Genes.* 22. 16. *Ierem.* 22, 5,

b *Num.* 14, 21. *Ierem.* 51, 14. *Amos.* 6, 8.

XCIIX. 2. CHRISTI, qui tamen *ἀυτοαλήθεια* (*Ioh.* 14.)

Ioh. 5, 24, 25. *cap.* 16, 23. *Luc.* 21, 32.

XCIX. 3. *Angeli* DOMINI jurantis *per viventem in secula seculorum.*

Apocal. cap. 10, 6.

C. 4. *Patriarchum*, *c* Abrahami, *d* Isaac, *e* Jacobi, *f* Josephi, &c.

c *Gen.* 14, 22. d *Gen.* 26, 31. e *Gen.* 31, 54. f *Gen.* 42, 15. 16.

CI. 5. *Pauli* Apostoli.

Rom. 1. 9. *cap.* 9, 1. 1. *Cor.* 15, 31. 2. *Cor.* 23. *cap.* 11, 31.

Gal. 1, 20. *Phil.* 1, 8. 1. *Thes.* 2, 5. 10. 2. *Thes.* 2, 1.

CII. III. *Rationibus*, quarum hæ *duæ* primariæ ac palmariæ dici merentur. *Altera* fidei confirmatio. Sic enim de DEI juramento scribitur, Hebr. 6.

Quain re DEVS, *cum eximiè* (*περισσότερον*) *vellet hæredibus promissionis ostendere*, FIRMITATEM *consilij sui* (*τὸ ἀμεταθέτον τῆς βουλῆς αὐτοῦ*) *interposuit jusjurandum.*

CIII. *Altera* est, *τὸ πάσης ἀντιλογίας πέρας*, docente & dicente ibidem Apostolo *vers.* 16.

CIV. Quæ

CIV. Quæ cum ita ſeſe habeant: inferimus quòd juramenta poſterioris illius generis licita ſint, quòdq; nullo modo conſcientiam lædant, ſi modò corde ſincero præſtentur, vel ſanctè præſtita ſanctè quoq; ſerventur.

De juramento vi extorto.

CV. Quo etiam referimus juramenta, quæ vi & ſcelere extorquentur, (modò ſervantis conſcientiam non lædant.)

CVI. Erſi enim vis & actio illa injuſta eſt: juſta tamen eſt obligatio, & paſſio, propter haſce cauſas:

CVII. 1. Quia obligatio iſtiusmodi eſt voluntaria; conjuncta ſiquidem cum electione libera, qua minus malum præfertur majori.

CIIX. 2. Quia ij, qui talia juramenta violant, in vanum duxiſſe nomen Dei, adeoq; conſcientiam, quâ juramento obſtricti tenentur, vulnerare rectè cenſentur.

CIX. Ceterùm quod dictum CHRISTI attinet, Matth. 5. cui Anabaptiſtæ errorem ſuum tanquam fundamento ſuperſtruunt: ad illum jam olim ſcite & eruditè reſpondit Auguſtinus:

Dictum eſt, inquiens, à DOMINO ne omnino juretis, ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur; & ex facilitate, ad conſuetudinem; atque ita ex conſuetudine in perjurium decidatur, quod etiam Iacobus dicit: Ne in condemnationem incidatis.

Lib. de Mendacio cap. 15.

EX DECALOGO
DECADIS PRIMÆ.
Problemata VII. IIX. IX. X.

RESPONDENTE,

M. ERASMO ZOLNERO,

Ratisbonensi,

Ad 3. Martij Anno 1610.

VII. PROBLEMA.

An Sabbathum, in Novo Testamento rectè fuerit ab Apostolis abrogatum.

I.

PRænotamus hic quòd nomen Sabbathi non à Græco σαββάζειν vel à σάββοις, id est, Bacchis trahat originem, sicut a Plutarchus putat: neq; etiam à nomine Hebræo שֶׁבַע, id est, *septem*, eo quòd sit dies hebdomados septimus, ut vult Sypontinus: sed à verbo שָׁבַת, id est, *quievit.* I. *Nominis Etymologia.*

a *Lib. 4. συμπ.*

II. Hinc τὸ שַׁבָּת & שַׁבָּתוֹן est ἀνάπαυσις vel quies, sicut septuaginta alicubi interpretantur, in specie verò dies quietis & cessationis à laboribus profanis.

III. Et talis quidem in Veteri olim Testamento erat Dies Septimanæ Septimus, quo, Deus exacto opere Creationis ἐξαημέρῳ, quievisse ἀνθρωποπαθῶς dicitur, *Gen.* 2, 2. *Origo.*

IV. Suaq; hac quiete vel σαββατισμῷ diem septimum sanctificavit, id est, destinavit, Sabbatho, vel diei festo, quo à laboribus consuetis quiescendum, & contrà sacris vacandum exercitijs.

V. Verba Mosis loco jam allegato hæc sunt:

Et Requievit (וַיִּשְׁבֹּת) DIE SEPTIMO *ab omni opere quod fecerat:*
Et benedixit DEUS DIEI SEPTIMO & SANCTIFICAVIT *illum,*

lum, quia in ipso tessaverat (שָׁבַת) *ab omni opere, quod creârat* DEUS, *ut faceret.*

VII. Eadem istius sanctificationis Sabbathi causa repetitur, eiq; fundamenti loco, substernitur, in promulgatione tertij præcepti, in Decalogo. *Exod. 20, 11.*

2. *Observatio ante Decalog. promulgationem.*

VII. Atq; inde factum, quòd religiosa Sabbathi observatio etiam ante tertij præcepti Decalogi promulgationem in Ecclesiæ Patriarcharum usu fuerit recepta; quemadmodum vel ex cap. 16. Exod. luculentissimè apparet.

VIII. Ibi enim ternâ vice memoriæ proditum legitur, quòd, ex DEI instituto, Israelitis licuerit tantùm sex diebus mannam colligere, die autem septimo oportuerit eos feriari, idq; ideo, quòd dies ille *Sabbathum Domini.*

IX. Hanc verò tam antiquam & ab ipso DEO tam sanctè institutam & præceptam Sabbathi observationem, in Novo Testamento abrogatam esse scimus.

3. *Abrogatio.*

X. Et quidem auspicijs Apostolorum, mox post gloriosam Christi à mortuis resurrectionem, sicuti Patres, & hos secuti hodie Theologi inde colligunt, quòd Apostoli sacros suos conventus, non die Sabbathi, more Judæorum, celebrarunt: sed, ἐν μίᾳ σαββάτων, id est, *primâ Sabbathorum. Act. 20, 7. 1. Cor. 16, 2.*

Ejusq; rationes.

XI. Ceterùm an abrogatio istha:c Sabbathi probanda sit, non immeritò jam quæritur.

XII. Probandum autem esse illam nos demonstrabimus prolatis & explicatis rationibus, ad quas ea in re sancti Christi Apostoli haud dubiè respexere.

1.

XIII. *Prima* est: quòd particula illa præcepti tertij de Sabbatho *quatenus* dies septimus, pertinuerit ad involucra tantùm Mosaica, quæ non ad moralia: sed ad *ceremonialia*, solùm pertinuere, adeoq; Judæos saltem attigere: *Luth. Tom. 3. Ien. Germ. f. 41. 43. Tom. 4. Germ. f. 515. & seq.*

XIV. Hinc est, quòd Sabbathum dicitur *b* signum κατὰ πάνοε-ως, videlicet spiritualis ab operibus carnis inquietæ. *Esa. 56, 2, 58. 13. Heb. 4, 10.*

b *Exod. 31, 13. & 20, 20.*

XV. Hinc est, quòd Apostolus Sabbathum annumerat ijs, quæ sunt

sunt UMBRA *rerum futurarum*, quam, Luce Evangelij in Novo Testamento orta, dissipare oportuit. *Col. 2, 7.*

XVI. Hinc est, quòd idem Gentium Doctor τὰς καιρὰς refert inter στοιχεῖα ἀδύνη καὶ πτωχὰ, ad quæ nos denuò converti non vult. *Gal. 4, 9.* 2.

XVII. 2. Accedit insuper Libertas Christiana, in his, quæ sunt ἀδιάφορα καὶ ἐν τῷ μέσῳ κείμενα. Cujusmodi quoq; esse distinctionem dierum manifestò liquet ex Epist. ad Rom. c. 14, 5.

XIIX. 3. Denique huc non parum facit glorioſissima Christi à mortuis resurrectio, qua totam umbrarum Leviticarum nubem plenè dispulit & dissipavit. 3.

XIX. Placuit igitur Apostolis, in continuam hujus rei memoriam, ut πάσχα ἕτερον publicum, loco Sabbathi, sacris ritibus & exercitijs consecrare diem illum, quo Christus ex mortuis resurrexit.

XX. Is verò incidit in diem Solis, id est, in primum diem septimanæ, & ob id ipsum quoque dicitur μία σαββάτων, id est, interprete d Marco, πρώτη σαββάτου, ad imitationem Phraseos Hebrææ, qua יוֹם אֶחָד ἡμέρα μία, pro primo die usurpatur *Gen. 1, 5. & alibi passim.* c *Matt. 28, 1.* d *c. 15, 9.*

XXI. Eôdem pertinet, quòd dies illa dicta est. Κυριακὴ ἡμέρα, *dies Dominica*, eò quòd DOMINUS & Salvator noster JESUS CHRISTUS, die illa, resurrectione suâ glorioſissima, DOMINUS & Filius DEI evidenter & potenter declaratus fuerit, *Act. 2, 36. Rom. 1, 14.*

XXII. Atq, hæc est, brevis & umbratilis potissimarum causarũ ὑποτύπωσις, mutationis Sabbathi, cujus præludium quasi quoddã fuit, quòd CHRISTUS sæpius primum Seprimanæ diem Sabbatho proximum, quàm alium docendo insumsit, ut *Luc. 8, 22. & alibi.*

XXIII. His ἐκ τῆς θεοσεβείας addi potest, quod Sacrosancta Trinitas, singulari studio & consilio, diem illum in perpetuam beneficiorum suorum Cardinalium ἀνάμνησιν, solenniter consecrare voluerit.

XXIV. Et *Pater* quidem *Opere Creationis*, quod eo die ceptum.

XXV. *Filius* verò *Opere Redemtionis*, quod die isto resurrectione sua absolvit.

XXVI. *Spiritus* deniq; *Sanctus*, *Opere Sanctificationis*, ad quod, in discipulis

pulis CHRISTI peragendum, eodem die, ὁ Φθαλμοφανῶς effusus fuit.

XXVII. Quæ omnia & singula opponenda sunt partim *Iudaïs*, partim *Sabbatharijs*, id est, Christianis, qui à Judæis seducti, æquè ut illi, contendunt: observationem ac durationem legis Mosaicæ, & sic Sabbathi quoque, necessariò oportere manere & esse æternam.

XXVIII. Contra quos Megalander Lutherus peculiarem scripsit & edidit Epistolam, quæ habetur. *Tom. 7. Ien. f. 31.*

IIX. PROBLEMA.

An & cur festa Sanctorum in Ecclesia celebrare liceat?

XXIX. Hic *duo* scopuli sibi ex adverso oppositi prudenter nobis sunt declinandi, ita ut media & regia via inter ὑπερβολὴν à dextra & ἔλλειψιν à sinistra recto & erecto gradu incedamus.

1. ὑπερβολή. XXX. ὑπερβολὴν à dextra tenent *Pontificij*, sub ratione mandati & cultus sanctorum festa celebrari debere contendentes.

XXXI. Inde primum illud inter quinq; Ecclesiæ præcepta:

Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

XXXII. Et quàm operosam & superstitiosam istius instituti defensionem suscipiat robustus & fortis ille armatus Romani Antichristi, notum est ex *lib. 3. de cult. Sanct. c. 16.*

XXXIII. Id verò omne eò tendit, ut hoc modo stabiliatur sanctorum invocatio, pro qua χεροὶν τε ποσίν τε dimicat idem Romanæ bestiæ Adorator. *Lib. 1. de sanct. beat. c. 19*

2. ἔλλειψις. XXXIV. Ἔλλειψιν à sinistra occupant Zwinglio-Calviniani, qui quàm sanctè & religiosè hac de re sentiant, ex hoc utriq; *Lamberti Danæi* pronuncisto satis liquet:

Nobis hodie eosdem dies observare nihil est necesse, quibus cum Ethnicis aut CHRISTUM *natum vel passum negantibus res non est,*

Lib. 2. Etb. Christ. f. 160. edit. B. 601.

3. τὸ μέσον. XXXV. Nos inter utramq; ἀντιμετάβασιν regiâ incedimus viâ *f* Augustanæ Confessionis filum, quasi Ariadneum, secuti, adeoq; docentes & dicentes ἀΦοε σαφῶς:

Festa

Festa sanctorum pro more & consuetudine cujusq; Ecclesiæ vi libertatis Christianæ, sine peccato servari & celebrari posse. f. Art 15.

XXXVI. Quo autem respectu celebrari illa possint, per ἀπό-Φασιν καὶ κατάΦασιν sic exponimus clarè & distinctè. *Per* 1 ἀπόΦασιν,

XXXVII. *Rejicimus fines falsos*, ut sunt 1. *Superstitio.* 2. *Opinio* ne-*cessitatis, cultus & meriti, 3. Sanctorum invocatio.* *finium falsorum.*

XXXIIX. *Recipimus* contrà, piæ antiquitatis exemplo, fines *veros & pios*, cujusmodi sunt potissimum hi, quos hic tanquam in tabella cognatos exhibemus. & 2. κατάΦασιν *fin. verorum.*

XXXIX. *Primus* eorum est, *gratiarum actio*, ad DEUM, quòd Evangelium ejusq; Doctores dederit, & adhuc det suæ Ecclesiæ, conjuncta cum precatione, pro ministerio verbi deinceps quoq; purè & integrè conservando.

XL. Arq; huc pertinet formula illa gratiarum actionis, vel ut vulgo dici solet Collecta, in Ecclesijs, ubi festa sanctorum celebrantur, eodem die quo celebrantur, recitari solita. Cujus initium tale:

> Wir dancken dir HErr Gott himlischer Vater von grund vnsers Hertzen / das du vns dein heiliges Evangelium gegeben / &c.
>
> *in Agend. Eccles. Sax.*

XLI. *Secundus* est *fidei confirmatio*, quæ dependet ac provenit ex assiduâ & attentâ consideratione zeli & constantiæ sanctorum incredibili, qua spem suam vitæ æternæ toti mundo *testatissimam* reddiderunt. 2.

XLII. *Tertius* est, *virtutum* illorum *imitatio*, ad quam graviter nos cohortatur Apostolus: *Heb. 13.* 3.

> *Memores*, inquiens, *estote eorum, qui præsunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem* (ἀναθεωροῦντες) *considerantes qui fuerit exitus conversationis illorum.*

Et hæc sufficiant etiam de hoc problemate.

IX. PROBLEMA.

An usitatæ Evangeliorum Dominicalium Pericopæ retineri expediat!

XLIII. Improbant morem hunc non pauci ex Calvini grege, Calvinisti

29

improbant. secuti sui hujus Magistri autoritatem, qui morem illum ultrò rejicere & exautorare non dubitat.

in 2. defens. contra VVestph. pag. 913. Col. 1. edit. Genu. An. 97.

XLIV. Cui suffragatur praxis in multis hodiè Ecclesijs fermento Zwinglio-Calviniano infectis.

Nos approbamus propter VII. Rationes.

XLV. Rectè autem consuetudinem illam in nostris Ecclesijs *retineri* & retinendam esse, sequentes VII. rationes abundè docent & confirmant.

1. XLVI. *Prima* est *Christiana libertas*, quâ etiam hoc in negotio liberè utendum juxta præceptum Apostoli *Gal. 5. 1.*

2. XLVII. *II. Augustanæ Confessionis autoritas*, cujus quæ sit de rebus ejusmodi sententia, ex his ejusdem verbis datur intelligi:

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut ceteræ feriæ, festa & SIMILIA. Art. 15.

3. XLVIII. *III. Consuetudinis illius antiquitas.* Referunt vulgò illam Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium distributionem ad *Flaccum Alcuinum*, Abbatem Turonensem & venerabilis Bedæ quondam Auditorem, Caroli Magni Præceptorem, & *Paulum Aquilegiensem* Diaconum, qui floruerant circa *annum Christi 800.*

XLIX. Et congessisse quidam illas lectiones Dominicales & digessisse in ordinem facile largimur: eos autem primos illius ordinis & instituti autores extitisse largiri non possumus.

L. Ex *sermonibus* enim *Augustini de tempore*, itemq; ex *Epistola 118. ad Ianuarium*, rectè colligi potest: lumina Ecclesiæ clarissima, Divum *Hieronymum* & *Augustinum*, harum lectionum Evangelicarum primos ἐξάρχας extitisse, quinto à nativitate Christi seculo.

LI. Et haud dubiè quidem, imitatione unici illius Capitis Ecclesiæ Christi, qui prima sua concione, quam [c] Nazarethæ habebat, non integrum Esaiam, sibi enarrandum proposuit, vel primos capitis primi versiculos: sed certam duntaxat pericopen ex Esaiæ *c. 60.* quæ suo proposito tum videbatur accommodissima.

[c] *Luc. 4.*

Videantur ista de re plura *in Orat. Ambros. Tom. 3. in Chrysost. Tom. 2. & 3. in Durando in Proœm. lib. 1. Rational. Divin.*

LII. In fumos igitur abit Calumnia Sacramentariorum, qui

con-

consuetudinem illam inventum & commentum Papisticum vocare solent, cùm constet, illam longè antea cepisse, quàm Papatus invaluerit.

LIII. *IV. Ordinis concinnitas*, quàm seriò commendat Apostolus 4.
1. Corinth. 14. jubens ut omnia in Ecclesia fiant

εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν.

LIV. Quæ verò continnior *Διαταξία* monstrari poterit, quàm in Evangelijs Dominicalibus, quæ sapienti consilio, secundùm distincta anni tempora, ita distributa sunt, ut omnes & singuli Religionis Christianæ articuli perquam *εὐκαίρως* annuatim indè proponi & explicari possint.

LV. *V. Repetitionum istiusmodi utilitas*, de qua Apostolorum Co- 5.
typhæus Phil. 3.

Eadem scribere vobis ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλὲς, id est, *firma & explorata certitudo.* Unde cautio scripta & sigillo corroborata dicitur *ἀσφάλεια.*

LVI. *VI. Auditorum rudit as*; quæ requirit *οὐ μόνον τὰ αὐτὰ λέγειν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν*, ut Socratica habet sententia. 6.

LVII. Quò etiam collimat istud Epicteti:

εἰδέναι χρὴ, ὅτι τὸ ῥᾴδιον δόγμα οὐδαμοῦ ἀνθρώπῳ, ἐὰν μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγῃ τις, καὶ ἀκούῃ, καὶ ἀμὰ χρῶτο πρὸς τὸν βίον.

Nec non exempla *f* CHRISTI, *g* Salomonis, *h* Petri, &c.

f Luc. 24, 27. 44. ubi eandem concionem eodem de argumento bis repetit. *g* Prov. 22. *Vt sit in Domino fiducia tua, inde & ostendi eam tibi hodie. Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, ut ostenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt me.*

h 2. Pet. 1, 12. *Quapropter haud negligam vos semper commonefacere de his, tametsi sciatis, & confirmati sitis in præsenti veritate.*

LIIX. *VII. Simpliciorum* infirmitas, qui non offendendi temerè & turbandi, quasi hactenus non fuerint rectè instituti, vel quasi delectemur frivola *Φιλονεικία.* Quod utrumque seriò improbatur & prohibetur. Matth. 18, 6. 1. Cor. 4, 1. 15. 1. Cor. 8, 9. 10. & seqq. 1. Cor. 11, 16.

LIX. Atq; hæ sunt rationes potissimæ eæque satis prægnantes, ob

ob quas in Sacramentariorum gratiam, ordinem & consuetudinẽ illam tam antiquam, utilem & necessariam retinemus, & retinebimus deinceps, ne impingamus in illud Regis sapientissimi:

Prov. 22, & 23. 10. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.*

X. PROBLEMA.

An necessaria sit legitima vocatio ad docendi ministerium, quæq; istius προκείμενα vel requisita.

LX. Vocatio legitima totius muneris Ecclesiastici fundamentum est, & proinde summè necessaria:

Nemo sibiipsi sumit (λαμβάνει) honorem, sed qui vocatur à DEO, *quemadmodum & Aaron.* Heb. 5.

I. *Vocatio est necessaria.*

LXI. Necessaria verò est justa & legitima vocatio, 1. *Propter* DEUM, 2. *Propter Ministros*, 3. *Propter eorum auditores.*

LXII. 1. Ac *propter* DEUM quidem, quia 1. DEUS non est autor Confusionis: sed ut in dogmaticis ὀρθοδοξίαν; ita in pragmaticis εὐταξίαν postulat & requirit. 1. Cor. 14, 33. 40.

1. *Propter* DEUM,

LXIII. 2. Quia non vult esse efficax, nisi per eos Verbi ministros, qui legitimè missi & vocati sunt, juxta illud Apostoli apposita Gradatione figuratum;

Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient absq; prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi (NB) missi fuerint? Rom. 10.

Eôdem collimat istud Jeremiæ, quo docet & testatur JEHOVA PseudoProphetas *ideo* prophetare mendaciter, quòd non miserit eos, & ob istud ipsum eos audiendos esse vetat:

Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non servietis Regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquentur vobis (NB) Quia non misi eos dicit DOMINUS c. 27.

2. *Propter ministros verbi.*

LXV. II. Propter *ministros verbi* necessaria est legitima vocatio, ut certi sint, promissiones de efficacia ministerij ad se quoq; pertinere, ac DEUM proinde & ipsis adfuturum, adeoq; στόμα καὶ σοφίαν ἀναντῶς largiturum esse.

LXVI. Quò fit, ut majori cum animi alacritate & παῤῥησίᾳ officio fungi possint suo.

Pro-

LXVII. III. Propter *Auditores*, ut & ministros Ecclesiæ, & eorum doctrinam in majori habeant precio, deque efficaciâ ministerij eorum minûs dubitent; certi nimirum, illos non proprio ausu: sed singulari DEI consilio sibi missos & præfectos esse. *Propter Auditores.*

LXIIX. Atq; hæc causa est, quòd tum Prophetæ tum Apostoli passim in concionum & scriptorum suorum exordijs vocationis suæ privilegia tantoperè urgeant & inculcent.

LXIX. Plura qui de necessitate legitimæ vocationis scire avet, legat scriptum Lutheri insigne & grave:

Von den Schleichern vnd Winckelpredigern/quod hac πεῤῥησίᾳ seriâ & severâ tandem concludit:

Darumb sey gewarnet vnd vermanet geistlich Ampt / sey gewarnet vnd vermanet weltlich Ampt / sey gewarnet alles was Christen vnd Vnterthanen sein sol / das mann sich für jhnen hüte / vnd höre sie nicht / oder wer sie leidet vnd höret / der wisse / das er den leidigen Teuffel leibhafftig selbst höret / nicht anders / denn wie er aus einem besessenen Menschen redet. Ich habe das meine gethan / vnd vber den 82. Psalm auch davon gesagt / Ich bin entschüldigt. Eins jeglichen Blut / der nicht folget gutem trewen Rath / sey auff seinem Kopff.

Tom. V. Ien. f. 491.

LXX. Ceterùm omnis legitima vocatio à DEO est, Domino ac Patrono Ecclesiæ suæ summo & unico, & penes quem jus vocandi & mittendi ministros Ecclesiæ propriè & unicè residet. II. *Omnis legitima vocatio est θεόπεμπτος.*

Psal. 68, 12. Ier. 23, 20. 27, 14 15. Ioel. 2, 23. Matth. 9, v. ult. Eph. 4, 8. 11. Act. 13, 24. 6. 20, 28.

LXXI. Istud verò jus sunum DEus exercet vel *διέσως per seipsum modo extraordinario*, vel *ἐμμέσως* per *aliorum ministerium*, modo ordinario.

LXXII. Atq; inde nata est distinctio inter vocationem, *immediatam* vel *extraordinariam*, & *mediatam* vel *ordinariam*.

III. *Quod vocatio Mediata sit Divina.*

LXXIII. *Illa* quòd sit Divina, impium foret dubitare; hæc an talis sit, sub dubitationis aleam vocari potest.

LXXIV. Sed quòd mediata quoq; Vocatio verè sit Divina, id *tum* Apostoli *pronunciatum*: *tum exempla Timothei & Presbyterorum Ecclesiæ Ephesinæ*, liquidò docent & confirmant.

LXXV. *Pronunciatum* Apostoli extat ad *Eph.* 4, 11. ubi disertè affirmat, quòd DOMINUS etiam Doctores & Pastores (*qui* non immediatè *vocantur* ut Apostoli, sed *mediatè*) suæ det Ecclesiæ.

LXXVI. De *k Timotheo* constat, quòd per Paulum & Presbyterium fuerit vocatus & ordinatus ad docendi ministerium: in *posteriori tamen ad Corinth. cap.* 5. cui Timotheus quoq; subscripsit, Gentilium Apostolus, de se & Timotheo conjunctim edisserit:

> DEUS *dedit in* NOBIS *ministerium reconciliationis, & posuit in* NOBIS *Verbum reconciliationis. Nomine igitur* CHRISTI *legatione fungimur.*

k 1. *Tim.* 4, 14. 2. *Tim.* 1, 6.

LXXVII. De *Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ* pariter liquet, quòd docendi munus ipsis commendatum fuerit à *l* Timotheo vi & vigore mandati Paulini: eos tamen idem Apostolus in oratione sua valedictoria sic alloqui non dubitat:

> SPIRITUS SANCTUS *posuit vos Episcopos*, & *Act.* 20.

l 2. *Tim.* 2, 2.

IV. *Vocatio Mediata fit per Ministerium Ecclesiæ in quas pres Ordines.*

LXXVIII. Ad vocationem autem mediatam DEus utitur aliorum ministerio, uti modò annotatum: sed non Angelorum ministerio in cœlis, sed Ecclesiæ suæ in his terris; sicut rectè colligitur, ex *Actis cap.* 6, 3 *c.* 14, 23.

LXXIX. Hæc enim est Sponsa CHRISTI electa, *m* cui claves regni cœlorum commendavit, *n* simulq; tàm ministros quàm ministerium verbi passione & morte sua partum ipsi tribuit & concessit.

m *Matth.* 18, 18. n *Eph.* 4, 12. 1. *Cor.* 3, 21.

Cor-

LXXX. Corpus autem Ecclesiæ *tribus* distinctis ἱεραρχίαις vel ordinibus constat; quorum *primus* ordo Ecclesiasticus sive presbyterium. *Secundus* ordo Politicus sive Magistratus: *Tertius* ordo Oeconomicus sive populus.

LXXXI. Ad hos ordines singulos & universos, *tanquam unius & ejusdem Corporis Mystici membra socia & indivisa*, conjunctim negotium vocationis spectat.

LXXXII. Et de ordine *Ecclesiastico* quidem nota sunt Scripturæ testimonia. 1. *Ecclesiasticus.*

Act. 14, 23. 1. *Tim.* 4, 14. 2. *Tim.* 2, 2. *Tit.* 1, 5.

LXXXIII. Magistratum Politicum quod attinet, differi sanè nec possumus nec volumus tempore Apostolorum, & in primitiva olim Ecclesia aliquot seculis suffragia illius non fuisse requisita, siquidem is, tum adhuc *Ethnicus*, adeoque non nutritius & defensor, sed hostis & persecutor Ecclesiæ; quales etiam sub initium repurgatæ doctrinæ, Lutheri tempore complures Magistratus fuisse liquet. 2. *Politicus.*

LXXXIV. Hoc autem tempore ad pios & Christianos Principes & Magistratus curam Ministerij probè constituendi duplici nomine spectare ἀναμφιδόξως καὶ ἀναμφιβόλως asseveramus.

LXXXV. Primum *generali* ratione, quia sunt Christiani & membra Ecclesiæ, ac quidem maximè præcipua.

LXXXVI. Deinde speciali modo quia sunt & esse debent custodes utriusq; tabulæ Decalogi.

LXXXVII. Quò pertinent tum *Mandata* Dei, tum *Exempla*.

LXXXIIX. *Mandata* à Deo promulgata extant *Deuter.* 17, 19. *Ios.* 1, 8. *Esa.* 49, 23.

LXXXIX. *Exempla* obvia sunt tum in *Scriptura*, tum in *Historia Ecclesiastica.*

XC. E *Scriptura* huc facit 1. quòd *David* Cantorum ordinem instituit, quòd item Levitas in singulis urbibus cis & ultra Jordanem disposuit.

1. *Paral. cap.* 25, *&* 26.

XCI. 1. Quòd Salomon seditiosum Pontificem Abiatharum Sacerdotio exuit, eiq; Zadokum substituit, &c.

1. *Reg.* 2, 26. 36.

XCII. In *Historia Ecclesiastica* præ ceteris insigne est exemplum Theodosij Imperatoris, qui Gregorium Nazianzenum à Patribus secundæ Synodi œcumenicæ, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum postulavit, *Sozom. lib. 7. c. 7.*

XCIII. Et huc quoq; referri debet *Ius Patronatus*, autoritate Piorum Imperatorum, approbatum & relictum ijs, qui etiam ante primatum & dominatum Romani Antichristi, præcipuam annuorum redituum partem ad sustentationem ministerij pio affectu legarunt.

Authent. de sacros. Episc. cap 18 *& in Novell.* 57. *c.* 2.

XCIV. Et quanquam ad jus illud postea in Papatu abusus accesserit: usum tamen ejus legitimum Lutherus nostro tempore maximè approbavit, sicut videre licet.

In 1. *parte Libri contra cælestes Prophetas* Tom. 3. Ien. Germ. *& Tom.* 4. *in libello cujus* Πατροφωνὴ.

Vnterricht an die Visitatorn im Churfürstenthumb Sachsen.

3. Oeconomicus.

XCV. Ordinem denique *Oeconomicum* vel populum quod attinet, eidem quoq; suas deberi in hoc negotio partes, ex his Scripturæ locis patet:

Act. 1, 15. *Act.* 6, 2. 5. 6. *Act* 14, 23.

XCVI. Sacrilegium igitur committunt. 1. *Papa.* 2. *Magistratus tyrannicus.* 3. *Anabaptistæ*, & his similes in quibusdam ubibus Ecclesiarum præfecti vel Diaconi, quando jus vocandi Ministros, exclusis ordinibus ceteris, ad se solos rapiunt, sibiq; in solidum vendicant, unde nullo non tempore passim cruenta certamina orta sunt, hodieq; oriri solent sæpissimè.

V. Quæ cujusq; ordinis partes.

XCVII. At enim verò sicut Deus aliâs omnia vult εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν in Ecclesia fieri: ita etiam in hoc negotio singularem εὐταξίαν observari convenit.

XCVIII. Quæ ne turbetur, consultum visum est Ecclesiæ cuivis ordini suas certas partes ipsiq; maximè *convenientes* assignare.

XCIX. Et quanquam ex historia Ecclesiastica liquet: partes illas sæpius invicem permutatas fuisse; si tamen exempla in Actis Apostolicis, si canones in jure Canonico, si constitutionem Ecclesiasticam harum regionum, si praxin deniq; usitatam attenderimus:

mus: talis utique illarum partium distributio instituí debet ac potest, ita ut ordini Ecclesiastico *judicium*, Politico *arbitrium*: Populo *suffragium* concedatur.

C. Referantur huc, ἐπεισοκτμάτων loco, canones sequentes ex *1. parte Decreti Grat.*

Distinct. 24. cap. 2.

Nullus ordinetur Clericus nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.

Distinct. 63. cap. 26.

Cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur.

& cap. 27.

Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus Sacerdotum expectantur.

CI. Imprimis verò studij Theologici & Ministerij Candidatis summè commendamus lectionem Constitutionis Ecclesiasticæ Electoris Saxoniæ, &c. sub titulo:

Vom Beruff vnd annemung der Kirchendiener / Vnd wie alle Pfarrer / Predicanten / Diaconat vnd Subdiaconat bestellet werden sollen.

fol. 86.

Item sub titulo:

Gemeine Form vnd Weiß / auff welche ein newer Kirchendiener ordinirt / vnd durch den Superintendenten / seiner jhm verordneten Kirchen commendirt vnd investirt werden sol.

fol. 100. edit. Lipsi. anno 80.

CII. Nos processum Ordinariæ vocationis unâ atque alterâ lineolâ tanquam in tabellula designaturi breviter & ordinè subjungemus ea, quibus velut membris integra illius σωματοποίησις continetur & absolvitur.

CIII. Pertinet igitur ad Systema Ordinariæ Vocationis;

1. Ut locus ministerij *legitimè* vacet,
2. Ut *Patronus* præmissis publicis Ecclesiæ *precibus*, de persona in locum vacantem surroganda, cogitet.
3. Ut illam *Antistiti*, cui inspectio Ecclesiæ & Cathedræ illius lo-

ei commendata, vel *Consistorio nominet*, petens, ut eam *præsentet Ecclesiæ*, facta potestate habendi *concionem δοκιμαστικὴν*.

4. Ut in præsentia Antistitis Patroni, & populi, *Concio δοκιμαστικὴ* habeatur.

5. Ut *suffragia populi*, post concionem, audiantur, & num vel in persona quoad *vitam*, vel quoad *pronunciationem* habeant, quod jure desiderari possit.

6. Ut, suffragijs collectis, Ecclesiæ nomine, exarentur à Patrono *literæ vocationis*.

7. Ut, si persona nominata has acceptârit, *præsentetur* (literis præsentationis) Consistorio vel Presbeterio ad Examen, Ordinationem & Confirmationem.

8. Ut *examinetur* à Consistorio vel Presbyterio.

9. Ut, si in examine steterit, ad ministerium *ordinetur*.

10. Ut à Consistorio (per literas Confirmationis & testimonium Ordinationis) *confirmetur*.

11. Ut, per usitatum *Investituræ* ritum, ab Ordinario Antistite, *ministerio* Ecclesiæ suæ publicè destinetur.

Ex

EX DECALOGO
DECADIS SECUNDÆ,
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE,

JOHANNE VVITHENIO,
VVestphalo Tremoniano,

Ad 10. Martij Anno 1610.

I. PROBLEMA.

An Magistratus sit bona Dei ordinatio, in qua homo Christianus, illæsa conscientia, versari, Deoq; placere possit?

I.

SIà Veteribus illis hæreticis Montanistis, Manichæis, Pepusianis, &c. paululum abierimus: *duo* hodie hominum genera occurrunt, qui in Magistratum insurgunt & tumultuantur. *2. Hostium Magistratus agmina.*

II. *Vnum* est *Libertinorum & Anabaptistarum; alterum Clericorum* & eorum hodiè potissimum, quas à Loiola *Loiolitas* rectissimè denominaveris, perinde ut Johannes Nicolaitas à Nicolao, *Apoc. 2, v. 15.*

III. *Libertini & Anabaptistæ* non tantùm τῷ λόγῳ & chartis propagaverunt: sed τῷ ἔργῳ & lacertis etiam furorem illum suum contra Magistratum propugnarunt. I.

IV. Sicut testantur tragœdiæ in Germania seculo proximè elapso, *Anno Domini* 1525. & 1535. à plebe rustica excitatæ.

Luth. Tom. III. Ienens. à fol. 105. *usq; ad f.* 156. *& Tom. VI. à fol.* 315. *usq; ad f.* 318.

V. Quid *Clerici olim* & *Iesuitæ hodie* de Magistratu civili sentiant, ex ipsis ipsorum apophthegmatis satis abundè æstimare licet. II.

VI. In gratiam *Clericorum* hi olim conditi fuerunt Canones lepidi & perbelli scilicet:

In

In Concil. Roman. Can. 16.

Nemo Clericus vel Diaconus aut Presbyter propter ſuam cauſam quàmlibet intret in curiam, quoniam omnis Curia à CRUORE *dicitur, &* IMMOLATIO *ſimulacrorum eſt.*

In Concil. Elibert. Can. ult.

Magiſtratum verò anno, quo agit duumviratum probibere placet, ut ſe AB ECCLESIA *cohibeat.*

VII. *Ieſuitarum* cura hodie non ultima verſatur in hoc, ut ſubditis perſuadeant, *non licere* ipſis tolerare *Regem, qui non ſit Pontificiæ religioni addictus*, uti *a Bellarminus* contendit, vel, ut ſubditos in cædem ſuorum Magiſtratuum arment, ſicut *b* Johan. Mariana docet:

Quid intereſt, inquiens, *ferro an veneno perimas: hoc tamen temperamento me Autore, uti licebit, ſi non ipſe, qui perimitur, venenum haurire cogitur; quo concepto pereat; ſed exteriùs ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus eſt.*

a *lib. 5. de Rom. Pontiſ. c. 7.*

b *lib. 1. de Rege cap. 7.*

Refutatio ex Script.

IIX. Quid verò Scriptura? Præclaris Magiſtratum *ornat & donat* tum *Encomijs* rum *Privilegijs.*

1. *Encomijs.*

IX. *Encomia* quibus *ornatur*, ſunt iſthæc, quòd dicuntur: 1. אֱלֹהִים *c* id eſt, *Dij*, non quòd tales ſint τῇ Φύσει per ſe σοιωδῶς; ſed τῇ θέσει ὡσοπροσώπως reſpectu officij, quod vices Dei quodammodo gerunt, ejuſque perſonam ſuſtinent in terris, interprete CHRISTO, *Iohan. 10, 35.*

c *Exod. 22, 28. Deut. 10, 17. Pſ. 82, 16. Pſ. 95, 3. Pſ. 135, 5. & 136, 2.*

2. X. d *Angelus Dei* ratione vocationis & muneris functionis Divinæ, quâ utrâq; Magiſtratus Chriſtianus, quàm proximè ad Angelorum conditionem accedit,

d *2. Sam. 14, 17, cap. 19, 11. 27.*

3. XI. 3. *e* Διάκονος καὶ λειτουργὸς θεῦ, quia DEI mandato & autoritate ſubditis miniſtrat. e *Rom. 13, 4.*

4. XII. 4. *f* Τάξις καὶ διαταγὴ τοῦ θεοῦ à cauſa ordinatrice, confirmatrice & conſervatrice. f *Rom. 13, 1. 4.*

XIII. Etſi enim ordo Politicus à *g* Petro appellatur κτίσις ἀνθρωπίνη, eò quòd is non immediatè & αὐτοσοσώπως à DEO conſtitutus, ſicut reliqui duo ordines; ſed ab hominibus primùm introdu-

troductus; divina tamen autoritate postea ordinatus & huc usque conservatus fuit. g 1. *Pet.* 2, 13.

XIV. Hinc est, quòd *h* CHRISTUS ait: *Pilato* (Gentili Magistratui) DESUPER *traditam esse potestatem*, & quod *i* Paulus scribit:

Non est potestas NISI à DEO. Quæ verò sunt Potestates à DEO ordinatæ sunt. h *Iohan.* 19, 11. i *Rom.* 13, 1.

XV. *Privilegia*, quibus Scriptura Magistratum *donat*, plura proferri possent: sed sufficiant hæc primaria maximeq́; præcipua. *II. Privilegÿs.*

XVI. *Primum* est, quôd subditi tenentur pro Magistratu suas interponere ἐντεύξεις. 1.

1. Tim. 2, 2.

XVII. *Secundum*, quôd ijsdem injungitur, ut Magistratui quoq; suo sint subjecti, eiq; obedientiam præstent debitam. 2.

Rom. 12, 3. *1. Pet.* 2, 13. *Tit.* 3, 1.

XIIX. *Tertium*, quòd illi quoq; tenentur reddere vectigal, tributum, timorem, honorem. 3.

Rom 12, 7. *Matth.* 22, 21.

XIX. *Quartum*, quòd subditis rebellibus & immorigeris pœnæ multò atrocissimæ denunciantur. 4.

Exod. 22, 28. *Proverb.* 24, 21. *Syr.* 7, 7 8. *Rom.* 13, 2. 4.

XX. *Quintum*, quòd ipse JEHOVA dicitur in judicijs Magistratui adesse, summoq́; loco præsidere. 5.

2. Paral. 19, 6. *Proverb.* 8, 14. 15. 16.

XXI. Ex quibus omnibus singulis nos contra Magistratus Hostes & Thersitas ἀναπολήτως concludimus: Magistratum esse bonam Dei ordinationem, in qua homo Christianus illæsa conscientiâ versari Deoq́; placere possit.

XXII. Quòd si ἀταξίαι nonnunquam in Imperijs exoriantur: illæ utiq; non DEO Magistratus Autori, nec huic ipsius ordinationi: sed partim Magistratus ἀνηδίαι; partim subditorum μοχθηρίαι: partim Satanæ Archecaci, omnisq́; ordinis Divini hostis juratissimi πονηρίαι adscribenda sunt.

XXIIII. Plura quibus de hoc themate legere lubido est: consulant Lutherum.

Tom. II. f. 172. in tractatu eruditissimo de Magistratu Politico.
Tom. VI. f. 135. in Exegesi Psalmi CI.

II. PROBLEMA.

An Imperator Romanus subjectus sit & esse debeat Romano Pontifici?

XXIV. *Ajentem*, hujus Problematis partem Romanus Pontifex ejusq; Adulatores defensitant: *Negantem* verò tenent & tuentur, qui ex Babylone Romana egressi certò sciunt: Pontificem Romanum, nihil aliud quàm verum merumq; Antichristum esse.

XXV. Et sanè quanta quàmq; cruenta olim de hoc themate inter Gibellinos & Guelphos, id est, inter Cæsarum & Pontificum Romanorum asseclas dissidia & bella orta fuerint, ex historiarum monumentis notius est, proh dolor, quàm expedit.

XXVI. Nos saltem in præsentia utrasque acies ex adverso sibi invicem opponemus, & quid *Papani* pro sua causa, & quid contrà *Antipapani* vel *Cæsariani* pro sua proferant asserantq;, breviter proponemus.

I. *Papanorum sententiæ.*

XXVII. Papanos igitur ut priori in ordine collocemus; dispiciamus agite, primò sententiæ ipsorum τὸ ὅτι & deinde τὸ διότι, id est, *Rationes*, quibus sententiam suam suffulcire conantur.

I. Τὸ ὅτι.

XXVIII. Τὸ ὅτι, id est, *quòd* Papæ Romanum Imperatorem sibi subjiciant, id tum *Papa* in *jure* suo *Canonico*, tum ejus *Assentatores* suis in *scriptis* luculentissimè testantur.

I. E jure Canonico.

XXIX. E *jure Canonico* huc pertinet integra *distinctio 96.* ex *prima parte Decreti Gratiani*, imprimis verò C. 7. & 14.

XXX. Nos βραχυτητος φιλίας χάριν, lectorem eò remittimus, alios eodem ex horto flosculos decerpturi.

Lib. 1. Decretal. Gregor. Tit. 33. cap. 6. cujus hic titulus:

Imperium non præest sacerdotio, sed subest; & ei obedire tenetur, vel sic: *Episcopus non debet subesse principibus, sed præsse. h. d. & est multum allegabile.*

Idem *Innocentius* III. Illustrissimo Constantinopolitano Imperatori.

Potuisses autem prærogativam Sacerdotij, ex eo potiùs intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo: non Regi sed Sacerdoti:

doti: *non de regia stirpe: sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathoth.* Ecce constitui te super gentes & Regna, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes.

Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria, in firmamento cœli; luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præsset nocti: *utrumq; magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit* Deus *duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas.* (NB.) *Sed illa, quæ præest diebus, id est,* spiritualibus, major *est, quæ verò* carnalibus, minor, *ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.*

Lib. 2. Clementin. tit. 11. cap. 2.

Clemens V. in Concilio Viennensi.

Nos tam ex superioritate, quàm ad Imperium non dubium est nos habere, quàm ex potestate, in qua (vacante imperio) imperatori succedimus: & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus *Rex regum, & Dominus dominantium nobis licèt immeritis, in persona beati Petri concessit, sententiam & processus omnes prædictos, & quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum, de fratrum nostrorum consilio declaramus fuisse ac esse omninò irritos & inanes.*

Lib. 1. Extravag. Commun. tit. 8. c. 1.

Bonifacius VIII.

Porrò subesse Romano-Pontifici *omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus omnino* esse de necessitate salutis.

XXXI. *Papani Assentatores* hæc & similia suis in Commentis terrestri suo Numini adjiciunt suffragia:

Archiepis. Florent. p. 3. Sum. tit. 22. c. 6. §. 4. ex Thoma.

Summo Sacerdoti, Christi *Vicario, Romano Pontifici omnes Reges "Christianos oportet esse subjectos,* Sicut ipsi Domino "Jesu Christo.

2. *Ex Papanorum scriptis.*

Alex. Carer. Patav. de potestate Rom. Pont. libr. 2. cap. 3. num. 5. ex Henrico Gandavensi Doctore Sorbonico.

„ *De jure* DIVINO *& naturali Sacerdotium* supereminet imperio,
„ *& penes ipsum residet de iure* DIVINO *& Naturali* utraque jurisdictio.

Augustinus de Ancona in summa de Eccles. potest. quæst. 1. art. 7.

Papa habet omnem etiam Regalem & Imperialem *potestatem, quia non modò consecratur ut Sacerdos: sed & coronatur ut* REX.

II. Τὸ διότι. XXXII. *Rationes*, quibus Papa ejusq; mancipia suam hanc sententiam sustinere conantur, desumunt partim ex *Scriptura*, partim ex *Iure Canonico*, partim ex *historijs*.

XXXIII. 1. Ex *Scriptura trita* huc torquẽt testimonia maximè trita.

1. Ex Scriptura 3. testim. 1. XXXIV. *Primum* est illud *Matt.* 16. *Dabo tibi claves, &c.* per quas quid *Bellarminus* intelligat, hæc propria ipsius interpretatio apertè indicat:

—*At nos & Catholicè omnes per claves datas Petro intelligimus* summam potestatem in omnem Ecclesiam.

Item: *Cum ergo dicitur Petro generaliter*: Quicquid solveris, &c. *datur ei* potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi, *proinde* sit judex & princeps, *omnium qui sunt in Ecclesia.*

Lib. 1. de Rom. Pontif. c. 13.

2. XXXV. *Secundum* est ististhoc *Ioh.* 21. *Petre pasce oves meas*, in quod idem Romanæ sedis Advocatus sic commentatur:

At NOBIS *difficile non erit ex hac ipsâ voce, pasce, demonstrare*, summam potestatem *illi attribui, cui dicitur*; pasce oves meas.

Item: *Deinde hoc idem efficaciùs demonstrari potest, ex eo verbo, quod Iohannes in Evangelio suo posuit. Scripsit enim ποίμαινε, id est*, pasce regendo & præsidendo. *Nam & Homerus lib. 2. Iliados frequenter vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν.*

Lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 15.

3. XXXVI. *Tertium* est istud *Luc. 22. Ecce gladij duo hìc*, cui istæc glossa assuitur, in Jure Canonico: *In hac ejusq; (Petri) potestate duos esse gladios, spiritalem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis*: Ecce gladij duo hic, NON *respondit* DOMINUS NIMIS *esse: sed* SATIS.

Certè

Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, verbum male attendit DOMINI *proferentis*: Converte gladium tuum in vaginam. Uterq; *ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius & materialis, &c. Oportet autem* gladium esse sub gladio, & temporalem potestatem spiritali subjici.

Extravag. Commun. Tit. 8. cap. 1.

XXXVII. 2. Ex *Iure Canonico* proferunt, & constanter urgent *Donationem Constantini*, quæ descripta extat *1. Part. Decret. Grat. Dist 96. c. 14.* 2. *Ex Iure Canonico.*

XXXVII. 3. Ex *Historijs* Jus *hæreditariæ successionis* itemq; *consensum & approbationem* Ecclesiæ demonstrare satagunt. 3. *ex Historijs.*

XXXIIX. Et hactenus quidem Papa suis cum copijs Anticæsarianis, quibus singulis & universis idem amor ac studium: Romanum Imperatorem Papæ Romani pedibus substernere.

XXXIX. Eôq; jam olim, iniquitate temporum, rem istam, vi tyrannicâ, deductam fuisse, plus quàm abundè comprobant & testantur exempla *Henrici IV. Friderici II. Ludovici Bavari* & aliorum complurium.

XL. Tempus est, ut Papanis ex adverso opponamus Cæsarianos, quo nomine complectimur cùm Lutheranos tum & alios, qui docent & asserunt contrarium, id est: II. *Antipapanorum ac Cæsarianorum sententia.*

Non Romanum Imperatorem Papæ: sed hunc illi subjectum esse, & esse debere.

XLI. Atq; hanc nostram sententiam Antipapanam hisce jam sequentibus superstruimus fundamentis firmamentisve Scripturæ. *Superstructa fundam. Scriptura negan-*

XLII. Hæc enim Papæ Romano & *jurisdictionem secularem*, & illam quam sibi vendicat in Romanos Imperatores *superioritatem, eius.* omnino negat.

XLIII. Et *Iurisdictionem* quidem *Papæ* secularem uno quasi ictu, eôq; validissimo, prosternit istud religiosissimũ Christi interdictũ: 1. *Iurisdictionem Papæ.*

LUC. 22. *Reges gentium dominantur*, & QUI POTESTATEM HABENT *super eas, benefici vocantur*; VOS *autem* NON SIC.

XLIV. Conatur quidem Robertus ille Bella-arma-minans vim istius ictus elidere, contendendo, DOMINUM hîc instituere *meros principes Ecclesiasticos. Lib. 5. de Rom. Pontif. c. 10.*

XLV. Sed minùs robustè. Imò dum telum illud elidere laborat Rober-

Robertus; multò adhuc robustiùs id Jovi suo Tarpeio illidit, *triplici* paralogismo.

XLVI. Nam 1. committit ἀνθυπεύθυνον ἐν προκειμένῳ. Officia enim Ecclesiastica & politica ita ab invicem distincta esse debent, ut, ex ordinatione Divina, in Novo hodie Testamento, ab una & eadem persona simul nec debeant, nec possint sustineri.

„ XLVII. *Non* enim hic quæritur, *quid* de *facto* & consuetudine
„ humanitus recepta, fieri *soleat*: sed quid de jure Divino, &, ex or-
„ dinatione CHRISTI, fieri *debeat* ac *deceat*.

XLIIIX. 2. Lojolita turpiter τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει. Probandum enim ipsi erat antea, quòd CHRISTUS in Ecclesia sua habere velit præter *meros ministros* verbi, etiam monstra quædam Chimerica, id est, tales personas, quæ esse debeant simul & ministri Ecclesiastici & principes politici.

XLIX. In hoc enim status istius controversia vertitur, & hoc ipsum est, quod CHRISTUS suâ illâ voce seriò interdixit.

L. 3. Committit paralogismum apparentis contingentiæ in exemplo Mosis, quod quippe ἀλλότριον, minimè huc quadrans.

„ LI. Fuit enim Moses proprie politicus Magistratus. Quòd autem semel atq; iterum actus quosdam Sacerdotales exercuit: id extra ordinem factum, pro conditione illius temporis, singulari JEHOVÆ mandato.

2. *Superioritatem Papæ.*

LII. *Superioritatem Papæ* in Imperatores Romanos pessundat Paulus suo tum *præcepto*, tum *exemplo*.

LIII. *Præceptum* extat ad *Rom.* 13. hisce verbis descriptum:

OMNIS *anima Potestatibus* SUPEREMINENTIBUS *subdita sit.*

LIV. In quem locum sic insigniter commentantur Chrysostomus.

„ *Vt Paulus ostenderet, quòd omnibus ista præcipiantur, & Sacerdotibus*
„ *& Monachis, non secularibus tantùm. statim in initio manifestum id*
„ *fecit sic dicens*: Omnis anima Potestatibus supereminentiti-
„ bus subdita sit, *etiamsi sis* Apostolus, *etiamsi* Evangelista,
„ *etiamsi* Propheta, *sive quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatem subvertit hæc subjectio.*

In cap. 13. Epist. ad Rom.

Et

Et Bernhardus:

Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Si omnis; & vestra.

Quis vos excipit ab universitate, *si quis tentat excipere: vult decipere.*

Epist. 42. ad Henricum Senonensem Episcopum.

LVI. *Exemplum* subjectionis suæ præbuit idem Apostolus, dum appellavit Cæsarem, seq; ab ipso judicari voluit. *Actor. 25, 10.*

LVII. Et hactenus fuere sententriæ nostræ fundamenta, quæ ut confirmentur solidiùs, subrexere lubet breviter Refutationem Rationum, quibus suam opinionem suffulcire tentant Adversarij. *Refutatio Rationum Adversarierum.*

LIIX. Ut igitur *primam* earum classem aggrediamur, qua *tria Scripturæ testimonia* continentur: ad *primum* illud *Matth. 16.* expedita est responsio. *1. Classis.*

LIX. Per claves enim non Politicum designari principatum; sed potestatem ligandi & solvendi, retinendi & remittendi peccata, docent verba sine intervallo mox sequentia, eorumq; repetitio & interpretatio, *Matth. 18, 18. Ioh 20, 23.* Ubi eadem potestas omnibus ex æquo Apostolis tribuitur. 1.

LX. Ad *secundum* ex *Ioh. 21.* respondemus: τὸ pascere hoc loco regendi significationem non admittere, idque propalam liquére ex natura subjecti τὰ oves, quo illud ad solum ministerium verbi restringitur, id quod eádem metaphorâ cereris Ecclesiæ ministris omnibus, æquè ut Petro mandatum. *Act. 20, 28. 1. Pet. 5, 2.*

LXI. *Tertium* ex *Luc. 6. 22.* futilius est, quàm ut refutatione indigeat, siquidem ex contextu meridiano Sole clariùs apparet: Petrum loqui de gladijs, quos monstrabat DOMINO, ejusq; orationem particula *satis abrumpi.*

LXI. Sed progrediamur ad *secundam* Classem, in qua collocant *Donationem Constantini Magni* ex Jure Canonico, quam nudum putumq; Gnathonum Papæ commentum esse pluribus evinci potest documentis, ut: *2. Classis.*

LXIII. 1. Quòd nullus Historicorum, qui Acta Constantini Magni minima maxima memoriæ prodiderunt, imò, quod quis meritò miretur, nec Eusebius etiam, qui quatuor integros de vita Constantini libros conscripsit, eiq; fuit οὐγχρον, Donationis illius famosissimæ ullam uspiam facit mentionem.

Quòd

LXIV. 2. Quòd non desunt inter Scriptores Pontificios, qui ipsi apertè fatentur Paleam illam de donatione Constantini in vetustis Decreti Gratiani Codicibus non haberi.

Ant. Episc. Flor. 1. part. histor. tit. 8. c. 1.

Caput illud non habetur in Vetustis Decretis. Quid ergo & quantum Constantinus donaverit non est bene certum.

Nicol. Cusanus lib. 3. de Concord. Catholica.

Absq; dubio, si non fuisset illud dictamen de donatione Constantini Apocryphum, hoc est, falsum & adulterinum; *Gratianus in veteribus Codicibus & Canonum Collectionibus invenisset, sed quia non invenit non posuit.*

LXV. 3. Quòd in medio Papatu semper inventi fuerunt, qui voce & stylo fabulam illam de donatione Constantini publicè impugnarunt, ut Laurentius Valla, Æneas Sylvius, qui ipse postea factus est Papa, & dictus Pius II. & alij.

β. Classis.

LXVI. Et, ut tandem ad *tertiam* classem transeamus, in qua ex *Historijs* Ecclesiæ consensum & approbationem urgent Papani: de hoc utiq; præsidio usq; adeo nihil gloriari possunt; ut nullo planè negotio diversum demonstrari queat ex Historijs, Scriptisq; alijs, quibus Jurisdictio Papæ secularis, ut impia & fraudulenta, modis omnibus improbata.

LXVII. Præcipuè verò huc pertinet, quòd Orientales Ecclesiæ omnes nullo unquam tempore *αὐτοκρατορίαν*, nedum *καισαροπαπίαν*, vel potiùs *ὑπερκαισαρείαν* illam Papalem approbarint; id quod vel ex hoc Ecclesiarum Græcarum ad literas Johannis XXII. rescripto meridiano jubare clariùs effulget:

Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus; superbiam tuam summam tolerare non possumus; avaritiam tuam inexplebilem satiare non valemus. Diabolus tecum, quoniam DOMINUS *nobiscum.*

LXIIX. Legatur de hoc argumento Lutherus:

Tom. VI. Ien. f. 486. in Refut. Donationis Constantini.

Tom. VIII. in libro, cui titulus, Wider das Bapstthumb zu Rom vom Teuffel gestifftet.

PRO-

III. PROBLEMA.

An liceat ſubditus, à Magiſtratu ſuo, Religionis cauſa deficere, & contra eum arma capere?

LXIX. Ad religionem ſubditos ſuos Magiſtratus nec poteſt, nec debet cogere vi externa & manifeſta.

Magiſtratus nec poteſt nec debet ſubditos cogere ad religionem.

LXX. Unde recte & piè Maximilianus II:

Nulla intolerabilior eſt tyrannis, quàm dominari velle conſcientijs.

Et Theodoricus Veronenſis:

Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur ut credat invitus.

LXXI. Perſuaderi enim non cogi vult fides, ut ait Lactantius. Cui conſonat iſtud *Lutheri* ex Auguſtino:

Lutherus.

> Denn es iſt ein frey Werck vmb den Glauben / da man niemand kan zwingen. Ja es iſt ein Göttlich Werck im Geiſt/ Schweig denn/ das es euſſerliche gewalt ſolt erzwingen/ vnd ſchaffen: Daher iſt der gemeine Spruch genommen/ den Auguſtinus auch hat: Zum Glauben kan vnd ſol man niemand zwingen. *Tom.* 2. *Germ.* 108.

LXXII. Adde quòd Magiſtratui ſeculari, quia *ſecularis*, ea ſolummodò ſubjecta, quæ & huic ſubjecta ſeculo, ut fortunæ & corpora ſubditorum: mentium verò Rex Deus eſt.

LXXIII. Et hoc eſt, quod Salvator tradere & inculcare voluit, ſuo illo aphoriſmo verè aureo: *Matth.* 22.

Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, *quæ ſunt* Dei.

LXXIV. Quemadmodum ſcitè & eruditè ediſſerit Theander Lutherus, ibidem f. 181.

LXXV. Quòd ſi verò Magiſtratus τοῦ δέοντος oblitus auſit, ſubditos vi cogere ad religionem impiam, & Verbo Dei contrariam, quæſtio oritur, quid tunc ipſis agendum, & num, iſtius rei cauſa, liceat ipſis à Magiſtratu deficere & contra eum arma capere.

LXXVI. Hic diſtingui ſolet inter ſubditos merè ſubditos, & inter eos, qui non ſunt merè ſubditi; ſed ipſi quoque non poſtremas Magiſtratûs Politici partes ſuſtinent, ut Ordines alicujus Regni vel provinciæ.

LXXVII. Ut iſti Magiſtratui ſtudio fideli & ſerio obtẽperare præcip t

cipit & imperat, Verbum Dei, quamdiu Deo liberum relinquit cultum, ut loquitur Auguſtinus, citante Lomb. *lib.* 2. *Diſt.* 44. *lit.* 6.

a *Rom.* 13, 1. 2. *Tit* 3, 1.

Quid ſubditis in hoc caſu faciendum.

LXXIIX. Sin verò Magiſtratus id nolit facere, ſubditosq; conetur ad falſam religionem cogere: tum ſequi oportet eos canonem Apoſtolicum: *Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.*

Act. 4, 19. *cap.* 5, 29.

LXXIX. Non tamen protinus à Magiſtratu deficiendum, nedum ad arma proſiliendum. Quid ergò faciundum? Tentanda ſunt à ſubditis omnia, quibus liberum veræ religionis exercitium ſe obtinere poſſe confidant.

LXXX. 1. Fiant Magiſtratui ſupplices, & cur religionem mutare nequeant, humilimè exponant, ſibiq; clementiſſimè, in his, quæ conſcientiam conſtringant, parci, devotè rogent.

LXXXI. 2. Utantur aliorum Magnatum interceſſionibus.

LXXXII. 3. Si neque precibus ſubditorum, neq; Magnatum interceſſionibus locum reliquerit: ad ſuperiorem Magiſtratum, ſi fieri poteſt, provocent, ejuſq; auxilium implorent.

LXXXIII. 4. Si nec hac viâ res ſucceſſerit: quieſcant, nec ullum ex religione prætextum Magiſtratui ſe opponendi vel ab ipſo deficiendi arripiant, quamdiu ille à vi & ſævitia externa & manifeſta abſtinet.

LXXXIV. 5. Sin verò vim & ſævitiam manifeſtam exercere ceperit: tum ſequantur *b* Conſilium Christi, adeoq; fugiant de civitate in civitatem, *c* Cauſamq; Deo commendent ſuam. Ipse faciet, qui & *d* cor Regis in manu habet.

b *Matth.* 10, 23. c *Pſ.* 37, 5. *Pſ.* 33, 15. d *Prov.* 21, 1.

LXXXV. Armatâ autem manu Magiſtratui ſe opponere non licet, ijs præſertim, qui merè privati ſunt, & merè ſubditi.

LXXXVI. Id enim ſeverè interdixit Christus, *Mitte*, inquiens, *gladium in vaginam. Qui enim gladiũ acceperit, gladio peribit Matt.* 27.

Vide Magdeburg. centũ syllogiſmũ. alibi.

LXXXVII. Quid ijs, qui non merè ſunt ſubditi: ſed *præcipui* Ordines alicujus Regni vel Provinciæ faciundum, in caſu defenſionis, ſi contingat, ut ad opprimendum ipſos exercitus conſcribatur, præſertim ſi *αὐτονομία* Religionis non modò promiſſa: ſed inſtrumentis inſuper adhibitis confirmata fuerit, non eſt hujus inſtituti.

Et

LXXXIIX. Et posset sanè huc accommodari historia Maccabæorum.

LXXXIX. Sed quia in casibus hujusmodi singularibus determinandis genus saltem ex disciplina Theologica peti potest, nostras hîc intra metas subsistimus.

EX DECALOGO
DECADIS SECUNDÆ,
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE,

M. GALLO ZEÆMANNO,

Hornbacensi Palatino.

Ad 17. Martij Anno 1610.

VI. PROBLEMA.

An liceat homini Christiano bella gerere?

I.

HAnc quæstionem ut discutiamus, hoc præsertim tempore turbulentissimo, quo vaticinium illud Archiprophetæ nostri de ἐγκυκλοπολεμία (a) ex asse completur, cogunt nos *Anabaptistæ* pleriq; omnes, eorumq; hodie asseclæ *Photiniani.*

(a) *Matth.* 24, 5.

II. Inter alia enim phantasmata, quibus homines isti fanatici à Satana fascinati, & hoc non ultimam tenet lineam, quòd, *Origenis* & *Marcionitarum* ψευδοδοξία ab inferis resuscitata, militiam planè improbant, hominiq; Christiano bella gerere concessum esse negãt.

III. Imò, illos aliud ferè quidvis sustinere, quàm ut se in aciem contra hostem produci sustineant, famâ non obscurâ accepimus.

IV. Tametsi seculo superiori planè contrarium ipso actu com-

probârint. Quis enim funeſtiora in Germania bella excitavit, quàm agricolæ illi Spiritûs Anabaptiſtici æſtro perciti?

V. At enim verò ut σκεπτέον καὶ ἀναβλέπτεον ζητούμενον iſtud pertractemus: *primò* utiq; τὸ ὅτι, id eſt, *quòd*, Homini Chriſtiano bellare licitum ſit, & conceſſum, aſtruemùs, & *deinde* τὸ πότε καὶ τὸ πῶς, i.e. *quando* & *quadantenus* illud liceat, breviter evolvemus.

1. Fundamen. ξ ὅτι.

VI. Fundamenta igitur, quibus aſtrui & confirmari poteſt, *quòd* homini Chriſtiano omninò licitum & conceſſum ſit bellare, quodattinet: poſſent eorum ſanè plurima adduci ex Veteri Teſtamento, ut:

1. Ex V. Teſt.

VII. 1. Quòd Deus ipſe bella præcepit:

Exod. 17,14. Num 31,2. Ioſ.1,2. c.2,2. c.8,1. 1.Sam.23,4. 2.Sam.5,19.

VIII. 2. Quòd bella juſta & legitima dicuntur *prælia & ultio DOMINI*, *1.Reg.18,17. 1.Reg.25,28. 2.Parab.20,16. Num.31,3.*

IX. 3. Quòd Deus leges certamq́; de bellis ritè ac ſcitè gerendis conſtitutionem populo Iſraelitico præſcripſit. *Deut. 20.*

X. 4. Quòd fortes Bellatores ſingulari Spiritûs Sancti inſtinctu excitavit, & virtute bellandi armavit, ut (*a*) Joſuam (*b*) Gedeonem, (*c*) Samſonem (*d*) Davidem & alios.

(a) *Ioſ.10,8.* (b) *Iud 6,34.* (c) *Iud. 15,14.* (d) *1.Sam.17.*

XI. 5. Quòd item Sanctiſſimi Patriarchæ, ut Abraham, Diviniſſimi Prophetæ, ut Moſes, pientiſſimi Reges, ut Davides & alij bella Deo grata & accepta geſſiſſe celebrantur.

XII. Verùm enim-verò, quia Adverſarij Anabaptiſtæ ſcripta Veteris Teſt. repudiant, faſcinati & agitati Furijs (*e*) Simonis Magi, (*f*) Manichæorum, & aliorum veterum hæreticorum, qui & ipſi Legem & Prophetas reprobâſſe ſcribuntur, ex Novo utiq; Teſtamento eos ordiamur neceſſum eſt.

(e) *Epiph. hær.21. Iren.lib.1. c.20.p.43.* (f) *Socr. Hiſt.Eccl.lib.1.c.17.*

2. Ex N. Teſt.

XIII. Oportet enim principia inter partes diſſidentes & diſputantes utrinq; eſſe ὁμολογούμενα.

XIV. Dum igitur ad Libros Novi Inſtrumenti nos conferimus: tum obviam quaſi procedunt nobis & *Exemplum* & *Dictum* perquàm illuſtre, quo utroq; ζητήματος propoſiti Affirmativa ſolidè & invictè confirmari poteſt.

Exemplum.

XV. *Exemplum* memoriæ proditum extat in hiſtoria Evangelica

Euc.

Luc. c. 3. ubi Johannes Baptista, milites, isthanc quæstionem ipsi proponentes; non jubet arma deponere: sed hortatur modò, ut, in hoc vitæ genere, si versentur, ne violentiæ aut injustitiæ culpam contrahant.

XVI. Verba Evangelistæ hæc sunt:

Interrogabant autem eum & milites (στρατευόμενοι, tum in exercitu vel castris versantes) *dicentes: Et NOS QVID FACIEMVS? Et ait illis: neminem concutiatis, neq; calumniemini. Et contenti estote stipendijs vestris.*

XVII. Unde talem nos extruimus Syllogismum:

Si Johannes Baptista à militibus interrogatus, quid ipsis faciundum: militiam non modò non improbavit, tum, quando maximè improbare potuisset, imò debuisset; sed illos in hac certis quibusdam præceptis confirmavit: sequitur utiq;: quòd militia in Novo Testamento sit res licita & concessa:

Atqui verum est prius, ex verbis Evangelistæ jam allegatis.

Ergò & posterius.

XVIII. Adstipulatur nostræ huic sententiæ *Augustinus*, qui ex loco isthoc sic ratiocinatur:

Si Christiana doctrina omninò bella culparet: hoc potiùs consilium salutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma, seq; militiæ omninò subtraherent. Dictum autem est antiquis eis: Neminem concutiatis, estote contenti stipendijs vestris, quibus proprium stipendium sufficere præcipit, militare non prohibuit, Epist 5. ad Marcell.

XIX. *Dictum*, quod ad eundem collimat scopum, habetur in Epistola Pauli ad *Rom. c.* 13 estq; tale: *Dictum.*

Non frustrà gladium gestat (Magistratus) *Nam DEI minister est, VLTOR ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

XX. Hinc ita colligere licet:

Si, teste Paulo, Magistratus à Deo constitutus est, ut sit ultor, & compescat eos, qui malum faciunt, & verò interdum eorum, qui malum faciunt, & imprimis qui religionem & pacem publicam turbant, ea est conditio & potentia, ut absq; vi bellica compesci & coerceri nequeant: tum liquet: quòd homini Christiano in Novo Testamento etiamnum hodiè liceat bella gerere:

Atqui verum est prius ex textu Apostolico jam adducto.

Ergo & posterius.

XXI. Atq; hinc sanè legitur, quòd Christiani sub Marco Antonino contra Marcomannos militârunt, quodque eorum legio à tempestate cum pluvia pariter & fulminibus conjuncta, dicta fuerit κεραυνοβόλος.

Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. c. 5.

XXII. Quibus adjungi possent ex alijs autoribus Jus naturæ, itemq; fines bellorum, & alia, de quibus tractant Politici.

XXIII. Sed cùm sufficiant hæc ὀικεῖα: nolumus ijs admiscere illa ἀλλότρια.

II. Δεῖξις τοῦ πότε & τοῦ πῶς per 3. requisita.

XXIV. Progredimur itaq; ad alteram istius πραγματείας particulam, in qua breviter explicandum τὸ πότε καὶ τὸ πῶς τοῦ πολεμίζειν, id est, *quando* & *quadantenus* homini Christiano bellare licitum sit & concessum.

XXV. Id verò Thomas *tribus* hisce *requisitis* comprehendit, quorum 1. Autoritas Principis. 2. Causa justa. 3. Intentio bellantium justa, *parte 2. sum. Theol quæst. 40.*

I. XXVI *1. Autoritas Principis* requiritur ideò, quia bellum est pars vindictæ non privatæ: sed publicæ pertinentis ad Magistratus Divinitus constitutos, eosq; maximè, penes quos & summa rerum & potestas hostibus resistendi, suumq; territorium defendendi.

XXVII. Ex quo πολεματικῶς elicitur, quòd nec excursiones & conspirationes sceleratorum, nec tumultus subditorum & inferiorum adversus Magistratus pro bellis, sed illæ pro *latrocinijs:* hæ verò pro *seditionibus* habendæ.

II. XXVIII. *II. Causam* bellorum justam esse oportet, tum *materialem*, tum *formalem.*

XXIX. De causa *materiali* judicari potest optimè ac rectissimè ex Scripturę Divinitus traditæ exemplis; quę docent & demonstrant, ex qua causa populos olim Dei bella susceperit, gesseritq;.

XXX. 1. Quando ij, qui à Filijs Belial ad rebellionem & idololatriam seducti, ad obedientiam reducendi, *Deut. 13, 12.*

XXXI. 2. Quando jus Naturæ violatum, Regiq́ue & Nationi publica nota ignominiæ inusta. *2. Sam. 10, 4.*

XXXII. 3. Quando vera Dei religio, libertas Patriæ publica, Conjugum & liberorum vita impetebatur, *Iud. 4, 10. Nehem. 4, 14. 1. Mac. 3, 58. & 13, 3.*

Quan-

XXXIII. 4. Quando pacta & federa reddebantur irrita. 2. *Reg. 3, 7. & 6, Vide Chemnitium in Part. II. L. C. de vindicta fol. 324, 325.*

XXXIV. Ad causam *formalem* referimus, ut studio singulari caveantur tria militiæ *ἀδικήματα*, à quibus Baptista milites dehortatur, *Luc. 3, 14.*

XXXV. Suntq; 1. *τὸ διασείειν* homines imbelles & miselluos duris tractare verberibus. 2. *τὸ συκοφαντεῖν* prætextum frivolum prætendere. 2. Aviditas rapinæ ac prædæ.

XXXVI. De qua præclarè & eleganter luminare illud Cœli Ecclesiastici lucidissimum Augustinus:

Militare non est peccatum: sed propter prædam militare peccatum est. de verbis Domini.

XXXVII. Referatur & huc istud ejusdem perquàm scitum:

Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implicitus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.

Contra Faustum.

XXXVIII. III. *Intentionem finis justam* deniq; quod attinet: eam utique eò directam esse oportet unicè, ut justa & necessaria suscipiatur defensio eo maximè studio, ut vi propulsata publicâ, pax & tranquillitas Reipublicæ optatissima restituatur. III.

XXXIX. Quò tendit istud Augustini: NB

Non quæritur pax, ut bellum exerceatur: sed bellum quæritur, ut pax acquiratur. Esto ergò bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.

in libro de Verb. Domini-

XL. Cui affine & consonum est & hoc alterum:

Apud veros Dei cultores etiam bella parata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate: sed pacis studio geruntur, mali coercentur, & boni sublevantur. Ibidem.

XLI. Plura qui de hoc argumento scire avent, legant *Lutherum* in eruditissimo Scripto, cui titulus:

Ob Kriegßleut auch in seeligem standt sein können.

Tom. 3. Ien. German. f. 315.

PRO-

V. PROBLEMA.

An in casu necessariæ defensionis homini Christiano, salvâ Conscientiâ, vim vi repellere liceat?

XLII. *Anabaptistæ Stoicos* secuti Negativam tenent, jusque dilectionis Christianæ adeò extollunt, ut nullus planè vindictæ relinquatur locus.

XLIII. Et ne quid ἀλόγως καὶ ἀγράφως statuere videantur, aliquot Scriptura loca congerunt, quæ primâ facie Stoicæ ipsorum opinioni non leviter favere videntur, ut:

Rom.12,16.19. 1.Cor.6,7. Matth.5,39. &c.

XLIV. Nos ut controversiam illam hanc arduam & difficilem pleniùs planiusque explicemus: *tria* hæc breviter & perspicuè expediemus:

1. Sententiæ nostræ ἔκθεσιν.
2. Ejusdem κατασκευὴν.
3. Dictorum Scripturæ, quibus Anabaptistæ abutuntur veram ac genuinam ἐξήγησιν.

XLV. 1. *Nostram* igitur *sententiam* ut clarè & distinctè exponamus; primò omnium in problemate jam proposito quam diligentissimè perpendi & attendi volumus, quòd quæstio non sit de quavis defensione: sed nominatim ac speciatim, de ea, quam quis, *in casu inevitabilis necessitatis*, pro se suisq; suscipere *cogitur*.

1. Sententiæ veræ ἔκθεσις per conditiones.

XLVI. Et talem sanè defensionem, salvâ conscientiâ, homini Christiano licere, nos asserimus, sed non ἁπλῶς καὶ ἀνυποθέτως: verùm sub περιπλήψει subsequentium harum conditionum, quibus assertionem nostram limitatâ & determinatam esse volumus.

1. XLVII. *Prima* est, ut tentetur sedulò ac seriò, ut is, qui vim intentat à proposito deterreatur.
2. XLVIII. *Secunda*, ut, quantum fieri possit, Magistratus patrocinium, vel aliorum auxilium imploretur.
3. XLIX. *Tertia* est, ut, utroq; hoc præsidio, à subita grassatoris violentia excluso, tanta ejus sit immanitas, ut nullo alio modo ipsi resisti possit, quàm vi reciprocâ
4. L. *Quarta*, ut si fieri possit, tentetur, ut potiùs ira lædatur, ut arma deponere cogatur, quàm ut illicò trucidetur.

Quin-

LI. *Quinta*, si nec hoc fieri queat, & periculum vitæ sit in mora, adhibeatur *moderamen inculpatæ tutelæ*, ad quam, ex doctrina Jureconsultorum 3. requiruntur: 5.

1. Conveniens instrumentorum proportio.
2. Ut fiat in continenti, & non ex intervallo.
3. Ut fiat animo non ulciscendi, vel lædendi, ex dolore injuriæ illatæ: sed studio se & suos contra periculum evidentissimum præsentissimumq; defendendi.

LII. Et hoc postremum in ejusmodi casibus inprimis spectandum esse judicamus.

LIII. Deus enim qui καρδιογνώστης exquisitissimus, imprimis attendit affectum & animum hominis, indeq; actiones ejus dijudicat, cùm in omnibus alijs sceleribus, tum vel maximè in homicidio, uti videre licet. *Exod. c.* 21, *13. Lev.*24, 17.

LIV. II. Pro hac verò sententia nostra breviter jam exposita militat tum *liber Naturæ*: tum *liber Scripturæ*. II. *Ejusdem* κατασκευή.

LV. Ex *libro Naturæ* huc facit *Ius Naturæ*, quod ab ipso Deo in prima creatione hominum cordibus inscriptum, vim vi repellendam esse, tacito instinctu suggerit, uti abundè docet *Tullius in orat. pro Milone*. 1. *E Libro Naturæ.*

LVI. Atqui jus Naturæ ab Apostolo definitur ἀλήθεια καὶ δικαίωμα θεοῦ. *Rom.* 1, 18. & 32.

LVII. Et quanquam illud per lapsum τῶν πρωτοπλάστων non parum fuit depravatum: Prophetas tamen & imprimis Christum interpretem legis accuratissimum luculenta sua ἐξηγήσει depulsis obscuritatum tenebris, clarissimè illud illustrasse constat. *Matth.* 5.

LVIII. Tantum abest, ut dici possit, ipsum prædicatione Evangelij, jus naturæ abolere voluisse, sicut fanatici & maleferiati quidam homines sibi imaginantur.

LIX. Ex *libro Scripturæ* huc refert Chemnitius & *Legem & Exemplum: Parte II. L. C. f.* 358. 2. *Ex Libro Scripturæ.*

LX. *Lex* extat *Exod. c.* 22, 2. quâ conceditur Patrifamilias Furem nocturnum cum telo lethali in ipsa perfractione deprehensum interficere, eo quòd præsumi inde possit eum animo grassandi advenisse. 1. *Lex.*

LXI. Et quanquam leges Mosis forenses nos non obligant: potest tamen inde judicium peti, quòd privata etiam defensio in casu necessitatis, cum Voluntate Divina minimè pugnet.

2. Exemplum

LXII. *Exemplum* habetur in historia Abrahami *Gen. 14.* ubi ad defensionem Lothi nepotis sui vernas suos armásse & ad insectandum Reges barbaros eduxisse legitur.

LXIII. Quod exemplum vel ideò valdè ἀξιόλογον, quòd omnes inculpatæ tutelæ περιστάσεις in eo concurrant.

LXIV. Et licèt illud propriè ad defensionem proximi pertineat: potest tamen & inde propriæ cujusvis vitæ defensio facilè probari, tali instituta ratiocinatione:

LXV. Si illud licet in proximo: licebit utiq; & illud in me ipso.

LXVI. Veræ enim est regula vulgo nota: *Dilectio à se incipit.*

LXVII. Et quando *m Lex* & CHRISTUS ex lege dicit: Diliges proximum tuum sicut TE ipsum: non modò dilectionem nostri probat: & ad præceptum dilectionis refert: sed eandem dilectioni proximi, ut exemplar & regulam illius, præponit.

m *Deut. 6. Matth. 22. Luc. 10.*

LXVIII. His, quæ à Chemnitio scitè & eruditè disputantur, nos ἐκ τῆς περιστάσεως addimus, eum, qui ejusmodi grassatorem, in casu necessariæ defensionis occidit, propriè non posse nec debere appellari Homicidam.

„ LXIX. Causa enim principalis istius homicidij non est defen-
„ sor, qui quippe contra voluntatem suam id perpetrare coactus fuit:
„ sed Grassator potius, qui violentiâ & insaniâ suâ sciens volens q;
„ fatum illud, justo DEI judicio, sibi acceleravit.

M. Dictorum Scripturæ ἐξήγησις.

1. Fallacia finis.

LXX. Restant dicta Scripturæ, quibus Anabaptistæ errori suo patrocinium parere satagunt, ad quæ breviter respondendum.

LXXI. Ac illud *Rom. 12. Nec cuiquam malum pro malo reddatis, &c. non vosmet ipsos ulciscentes, sed date locum iræ:* simpliciter dicimus: defensionem illam in casu necessitatis, non fieri, nec fieri debere animo ulciscendi, aut ut malum pro malo reddatur: sed ut nos & nostros tueamur, & periculum, quod nobis & nostris imminet, propulsemus.

2. Fallacia ἐκ τοῦ πὸ

LXXII. Ad locum 1. *Cor. 6. Cur non potiùs injuriam patimini?* respondemus non loqui Apostolum de vi illa immani & subita, qua

ali-

alicujus vita & salus præsentissimo discrimini objicitur: sed de in- πῆ καὶ ἀ-
jurijs, quas Corinthij ad infideles Judices deferre poterant & πλῶς.
assolebant.

LXXIII. Ad sententiam CHRISTI *Matth. 5. Ne resistatis malo: 3. ἄγγοιᾳ*
sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi & al- ἐλέγχε.
teram, hoc reddimus responsum *tripartitum*:

LXXIV. *Primò* non admittimus calumniosam interpretationem 1.
Juliani Apostatæ, quasi omnis planè vindicta homini Christiano
interdicta, siquidem contrarium sacris è literis propalam pateat.

LXXV. *Secundò* addimus CHRISTI exemplum, qui stultam & 2.
puerilem illam cavillationem ipsemet refutavit; dum alapa sibi
inflicta, non obvertit alteram percussori maxillam: sed reprehen-
dit potiùs petulantiam plena severitatis oratione:

Si malè locutus, testare de malo. *Ioh. 18.*

LXXVI. Perindè, ut Gentilium Apostolus, jussu Ananiæ per- 3.
cussus, non certè alteram maxillam: sed hoc obvertit *Antilingua.*

Percussurus est te DEVS, paries dealbate. *Act. 23.*

LXXVII. *Tertiò* attendi volumus in illa Christi sententia *sco-*
pum, quò illa collimat. Is verò, ut verba proximè præcedentia o-
stendunt, est abusus *juris talionis*, quem CHRISTUS isthoc interdicto
perstringendum & abrogandum sibi duxit.

LXXVIII. Vult igitur, ut faciles ad ignoscendum & tardi ad
iram, omnes quæramus occasiones hostem mitigandi, quæ dum
frustra tentantur, valet & hic illa exceptio communis: *Necessitas*
non habet legem.

Et hoc tritum: *Extremis morbis exquisitè extrema adhibenda sunt*
remedia. *Hip. 1. Aph. 6.*

LXXIX. Hugo Cardinalis in textum isthunc ita commentatur:
CHRISTVS præceptum illud de obvertendâ alterâ maxillâ dedit di-
scipulis, qui CHRISTI sanguine Ecclesiam erant fundaturi, & humili-
tate & patientia conversuri tyrannos. Modernis non congruit, nec lo-
cum habet hodie: Proficeret enim ad detrimentum Ecclesiæ.

LXXX. Sed satis etiam de hoc Problemate: transeamus ad
aliud.

IV. PROBLEMA.

An hæretici quatenus hæretici capitali ſupplicio afficiendi?

1. Ψευδοδοξία.

LXXXI. Affirmativam iſtius Problematis λόγῳ τε καὶ ἔργῳ tenent & exercent *Pontificij ex toto*; *Calviniani ex parte.*

1. *Pontificiorum.*

LXXXII. *Pontificiorum* enim quantus in hac re furor & inſania: tum *Libri*, tum *Praxis* eorum plus quàm abundè, proh dolor, comprobant & teſtantur.

LXXXIII. Ex *Libris* eorum huc pertinet ex Bellarmino *Caput XXI. Lib. 3. de laicis*, cujus hic titulus:

Poſſe hæreticos ab Eccleſia damnatos temporalibus pœnis & etiam morte mulctari.

LXXXIV. Et mox in illo capite hanc ſuæ Diſputationi præmittit Propoſitionem:

Nos igitur breviter oſtendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præſertim relapſos, poſſe ac debere ab Eccleſia rejici, & à ſecularibus poteſtatibus temporalibus pœnis, atq; IPSA etiam MORTE mulctari.

LXXXV. *Praxis* eorum quæ hactenus fuerit in ijs, quos ipſi pro hæreticis habent, ex tragœdijs illis verè tragicis & funeſtis, quæ aliquot annorum decurſu, in Hiſpania, Gallia, Anglia noſtraq; Germania, magna cæde & ſanguine, agitatæ, jubare meridiano clarius eſt.

LXXXVI. De Ferdinando certè Duce Albano famâ haud obſcurâ percrebuit, quòd ipſemet in Hiſpaniam jam redituriens gloriatus: ſe pauculis illis annis, quibus Belgio præfuerit *octodecim mille & ſexcentos* utriuſq; ſexûs homines clam palamq; carnificinis furialibus tuſtuliſſe.

2. *Calviniani.*

LXXXVII. De *Calvinianis* quidem conſtat, quòd iſtam tyrannidem & ipſi improbent: interim tamen diſſimulare nec poſſumus, nec debemus, quòd præcipuus eorum Anteſignanus *Beza* in hanc ſententiam inclinet:

Hæreticos interdum Capitali etiam ſupplicio eſſe afficiendos.

LXXXVIII. Hiſce enim verbis ipſemet format titulum illius Diſputationis, qua iſtud ſuum thema Argumentis undiquaq; conquiſitis audet evincere:

Volum.

Volum. 1. pag. 150. in libello de Hæreticis à Civili Magistratu puniendis adversus Martini Bellij farraginum, &c.

LXXXIX. Nos *Negantem* propositi Problematis partem tuemur, apertè ac disertè profitentes: Hæreticos, quatenus hæreticos, capitali supplicio à Magistratu Politico non esse afficiendos. II. ὀρθοδοξία *Lutheran.*

XC. Hanc nostram assertionem confirmamus hac ἀποδείξει Catholica, ceterarum probationum omniũ communi contubernio. *Ejusdem βεβαίωσις per ἀπόδειξιν quinq; membrem.*

Quicquid destituitur DEI mandato, & insuper pugnat cum Verbo DEI, cum caritatis Christianæ legibus, cum praxi Ecclesiæ Veteris, at denique Bestiæ Babylonicæ nota est: ab eo abstinendum est Magistratui Politico, & præsertim Christiano.

Atqui tale est illud Cacoethes, quo Hæretici Capitali supplicio affici solent.

Ergò ab illo abstinendum Magistratui, & præsertim Christiano.

XCI. *Quinq;* hoc fasciculo μέσα continentur, quæ seorsim jam singula ordinè excutienda, & quomodo pro veritate assertionis nostræ militent, breviter dispiciendum.

XCII. Ac *primò* quidem quòd consuetudo illa destituatur *DEI mandato*, adeò verum & clarum est, ut Asini illi bipedes in Papatu olim coacti fuerint manifestam Divisionis vel Accentûs potiùs fallaciam committere; in illo. I.

Tit. 3. Hæreticum hominem de vita (παραιτοῦ)

XCIII. Allegant quidem Constitutionem Mosis ex *Deut. c. 13. à v. 1. usq; ad* 12. Sed fallunt & falluntur παραλογισμῷ ἑπομένῳ.

XCIV. Quòd enim lex illa pertineat ad leges morales, omnesq; in universum homines obliget, nondum probatum dederunt: sed in confesso est illam, quoad illam capitalis supplicij determinationem verè mereq; judicialem esse, & proinde Mosaicæ Politiæ in V.T. propriam, & omnino talem, cujus observatio in Republ. Christiana proprijs legibus in N. hodie T. utẽte minimè necessaria.

XCV. Addè, quòd non per omnia eadem sit ratio idololatriæ, & manifestæ apostasiæ deficientis ad deos Gentilium, & hæreseos vel pravæ opinionis de DEI veri cultu pertinaciter defensæ.

XCVI. *Deinde* quod tyrannis illa pugnet cum *Verbo DEI*, ex duobus maximè Scripturæ locis apparet. 2.

XCVII. *Alter extat Matth. 13, vers. 29, 30.* ubi DOMINUS Ziza-

ziorum evulsionem intermittendam & ad Angelos in extremum usq; diem remittendam statuit.

XCVIII. Metaphorâ autem Zizaniorum hæreticos notari liquet, tum ex Zizaniorum natura: tum ex illorum contrario, semine nimirum tritici, quo puram & sinceram Verbi doctrinam designari extra omnem est controversiam.

XCIX. *Alter* locus habetur *Luc. 9, 54.* ubi CHRISTUS Discipulos postulantes, Samaritanos igni cœlitus demisso comburi, gravissimè eo nomine objurgat, addita ratione hac universali: *Venisse*, nimirum *FILIVM hominis non ut perdat; sed ut salvet.*

3. C. *Præterea* quòd mos ille capitali supplicio afficiendi hæreticos pugnet etiam cum *legibus Christianæ caritatis*, patescit ex cap. 13. prioris Epist. ad Corinthios, ubi ceteris ἰδίοις ejusdem ἤθεσιν & hæc annumerantur; *quòd patiens & benigna sit*, quòd non quærat quæ sua sint, item quòd *omnia speret, &c.*

CI. Unde sequitur, quòd miseri ejusmodi hominis salus & conversio potiùs patienter expectanda, quàm opera danda, ut è medio sublatus vitam æternam cum temporali, atq; ita & corpus & animam uno & eodem momento pariter perdat.

CII. Et idem sibi vult istud Augustini, quod identidem urget:

Corrigi eos cupimus; non necari.

Et ad Proconsulem Africæ sic scribit:

Sic eorum peccata compesce, ut sint, quos pœniteat peccasse.

4. CIII. *Adhæc*, quòd praxis illa Papistica pugnet cum *praxi Veteris Ecclesiæ*: id vel hoc tritum Augustini demonstrat:

Sanè nullis bonis unquam in Ecclesia placet, sinuq; ad mortem, in quenquam, licèt hæreticum, sæviatur.

lib. 3. contra Cresc. Grammat. c. 50.

CIV. Condiderunt quidem & ediderunt etiam Romani Imperatores decreta & leges adversus hæreticos cruentas: verùm *non ad executionem: sed ad terrorem*; quòd vel inde in proclivi est colligere, quòd nuspiam legantur, ex illis in hæreticos, quatenus hæreticos, pœnam capitis statuisse.

CV. Imò planè diversum testatur *Historia Ecclesiastica* de Constantino Magno, Theodosio & Valentiniano, quorum ille Hæresiarcham illum summè blasphemum, Arium puta; hi Nestorium

utrum-

utrumq; in Concilijs legitimis legitimè damnatum, duriùs quàm exilio punire noluerunt.

CVI. Quæ exempla noſtra ætate piè & rectè imitati ſunt Illuſtriſſimi Duces Saxoniæ.

CVII. *Deniq;* quòd crudelitas iſta nota ſit Beſtiæ illius Babylonicæ notius eſt, proh dolor, quàm expedit, ex illo Apocalyptico, vbi dicitur *ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum IESV.* Apocal. 17.

Theſi 12 adoriamur.

EX DECALOGO
DECADIS SECUNDÆ,
Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE,

JOHANNE TEUBELIO,
Caſſovienſi Pannonio.

Ad 24. Martij Anno 1610.

VII. PROBLEMA.
An licita & conceſſa ſit πολυγαμία?

I.

QUM juxta illud ſcitum a Galeni: *Sine diſtinctione vocis velle ad rei conſiderationem venire, ſit velle tempus perdere:* & notationem & diſtinctionem iſtius Nominis neceſſariò præmittendam judicamus.

a *lib. 7. de Methodo.*

Nominis
1. *ἔτυμον.*
2. *σημασία duplex.*

II. *πολυγαμίαν* igitur *nuptiarum* vel *conjugij multiplicationem* notare, ipſe iſtius vocis ſonus evidenter arguit; & accipitur bifariam.

III. I. De *ἐπιγαμίᾳ*, id eſt, de nuptijs, quibus matrimonio per mor-

mortem vel aliâs legitimè ſoluto, ad alia tranſitur vota, aliudq; matrimonium contrahitur, v. g. ab Abrahamo poſt mortem Saræ cum Kethura. *Gen.* 25.

IV. Et tales ſanè nuptias damnarunt *Cathari* & *Montaniſtæ*, horumq; in hoc errore aſſecla *b Tertullianus*, itemq; *c Hieronymus*. Patres aliâs doctrina & autoritate percelebres.

b *in lib.* 1. *ad uxorem.* c *in prior. Lib. adverſus Iovinianum.*

II. V. II. Nomen illud uſurpatur de πολυγαμία propriè ſic dicta, id eſt, de illo κακοήθες, quo quis uno & eodem tempore plures ſimul uxores quàm unam habet, ut *Iacob* Leam, Rahelem, Bilham & Silpam. *Gen.* 30.

VI. *Priori* illa ſpecie conſultò jam prætermiſſa: tantûm *poſteriorem*, ἐν τῷ παρόντι, ventilandam aggrediemur.

Aſſertio. VII. Utq; de noſtra cuivis conſtet ſententiâ: in primo ſtatim veſtibulo, illam hoc aphoriſmo brevi & ſuccincto comprehenſam, tanquam in tabella quadam, ſuſpendimus:

Polygamia nemini in foro conſcientiæ per ſe eſt aut fuit licita.

Argumenta pro illa militantia. V. VIII. *Argumenta* pro hac noſtra aſſertione militantia hoc complectimur Syllogiſmo univerſali:

Quicquid pugnat cum prima conjugij inſtitutione, cum expreſſo DEI Verbo, cum jure naturæ, & rectâ ratione, eſtq; ab impijs olim Lamechitis primitus inſtitutum & introductum, & inſuper myſterium Conjugij, quòd DEO inibi abſcondere viſum, evacuat: illud per ſe non eſt licitum & conceſſum:

Sed talis eſt πολυγαμία. *Ergo.*

IX. *Quinq; ſpecialia* hoc generali Syllogiſmo argumenta continentur, quæ ſingula ordine jam veniunt evolvenda:

I. X. Ac *primò* quidem quòd πολυγαμία pugnet cum *prima conjugij inſtitutione*: id tùm ex *Veteri*, tum ex *Novo* Teſtamento propalam liquet.

XI. In *Veteri Gen.* 2. prima Conjugij inſtitutio ſic deſcribitur:

Propterea homo deſeret Patrem & matrem & adhærebit VXORI SVAE, & erunt duo in Carnem VNAM.

XII. In *Novo* autem *Teſtamento* idem Conjugij Autor CHRISTUS inſtitutionem illam inter Judæos antiquari ceptam, denuò repetijt, & poſtliminiò quaſi inſtauravit.

Annex

Annon legistis, (dicit ad Pharisæos) *quod is, qui fecit ab initio masculum & fœminam* (non fœminas) *fecit eos. Et dixit ulterius: Propterea deseret homo Patrem & matrem, & adglutinabitur* (προσκολληθήσεται) *VXORI SVAE, & erunt DVO in Carnem VNAM. Itaq; non jam sunt DVO sed Vna Caro. Matt. 19.*

XIII. Quod item πολυγαμία ampliùs pugnet cum *expresso DEI Verbo*: hæc utiq; pronunciata Scripturæ illi κατ' ἀρχὴν oppositа clarissimè docent & demonstrant: 2.

1. Cor. 7. *Propter stupra vitanda, quùsq; VXOREM,* (τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα) *habeat: Et VNA QVAEQVE PROPRIVM VIRVM* (τὸν ἴδιον ἄνδρα) *habeat.*

1. Tim. 3. *Oportet Episcopum* ἀνεπίληπτον *esse, & VNIVS Vxoris maritum.*

XIV. Quòd insuper pugnet cum *Iure Naturæ & rectæ ratione*, id inde apparet, quòd Laban ad Filiarum suarum injuriam & detrimentum pertinere judicat, si Jacob Filiabus suis alias superinducat uxores. *Gen.* 31, 50. 3.

XV. Ex eo enim colligi & intelligi potest facilè, quale etiam inter gentes eo tempore, quo alioquin πολυγαμία, corruptis illius seculi moribus, usitata, de eâdem fuerit judicium.

XVI. Quò etiam pertinent *b* Veteres Romani, qui & ipsi Juris Naturæ instinctu Polygamiam non permiserunt, nec non versus isti ex Euripide:

εἴη δὲ καλὸν
δυοῖν γυναιξὶν ἀνδρ' ἐν' ἡνίας ἔχειν. in Androm.

b *lib. 2. de Incest. & inutil. imp.*

XVII. Adhæc quòd Cacoethes illud ab *impijs* olim *Lamechitis* primitus inventum & introductum fuerit, notum est ex *Gen.* 4, 19. 4.
de quo sic Tertullianus:

Numerus Conjugij à maledicto Viro incepit, primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit.

in lib. de exhortat. ad castitatem.

XIIX. *Postremò* quòd πολυγαμία evacuet *mysterium*, quod DEO in Conjugio visum abscondere, eò adducimus illud Apostoli: 5.

Hujus gratiâ relinquet homo Patrem ac matrem, & adjungetur (προσκολληθήσεται) *uxori suæ, & è DVOBVS fiet Vna caro,*

MISTERIVM hoc magnum est, verùm ego loquor de CHRISTO *& Ecclesia. Eph. 5.*

XIX. Quæ Verba liquidò declarant, quòd mysterium illud inter alia in eo consistat, quòd sicut unius mariti Una uxor; ita quoque una sit Ecclesia, & unus suæ illius sponsæ Sponsus CHRISTUS, & vice versa.

XX. Id verò mysterium per πολυγαμίαν planè evacuatur, sitq; ut typus ille antitypo minimè respondeat contra sententiam & autoritatem Divinissimi illius Apostoli.

Conclusio, cum suis porismatis.

XXI. E quibus omnibus in unum quasi fasciculum collectis concludimus, quòd polygamia nemini sit licita & concessa.

ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

XXII. Execramur proinde & detestamur eos, qui plures simul uxores licere habere putant, ut:

XXIII. 1. *Iulium Cæsarem*, qui concessit quot & quas quisq; vellet uxores ducere liberorum quærendorum causa.

Suetonius in Vita Iulij Cæsaris.

XXIV. 2. Quod *Mahometus* Turcarum legislator sua etiam lege hodiè unicuiq; duodecim uxores habere permittit, ancillas verò sine numero quotquot libuerit.

teste Aenea Sylv. c. 16. & Polyd. Virg. de Invent. rerum Lib 7.

XXV. 3. Quòd apostata impurissimus *Bernhardinus Ochinus* Polygamiam in Ecclesiam Novi Testamenti invehere conatus est.

XXVI. 4. *Milites, mercatores & alij*, qui non modò domi, sed alibi suas uxores & Concubinas alunt.

Quid sentiendum de Patrũ πολυγαμία.

XXVII. Ceterùm Patrum Sanctorum πολυγαμίαν quod attinet, quæ nostræ assertioni plurimùm videtur adversari: tenendum utiq; quòd illa *simpliciter* & *per se* probari nequeat, quandoquidem cum prima Conjugij institutione pugnet.

XXIIX. Interim tamen non pauca esse, quæ *culpam* eorum non parum *elevare* & excusare posse videantur, ut:

XXIX. 1. Quòd pleriq; omnes haud dubiè non libidinis instinctu; sed studio propagandi & amplificandi familiam, & indè suscipiendi Messiam, polygami exiterunt.

XXX. Id quod vel hinc elucet, quòd eam maximè ob causam sterilitas tum temporis valdè probrosa fuerit habita.

Itemq;

XXXI. Itemq; ex tot tamq; ardentibus ſuſpirijs & votis, quibus intima Meſſiæ naſcituri deſideria prodiderunt.

XXXII. 2. Quòd Patres non fuerunt primi moris illius autores; nec fecerunt illud animo ex induſtria Conſilij delinquendi, & manifeſtâ improbitate Ordinationem Divinam pervertendi: ſed errore judicij, à conſuetudine vitio illius ſeculi communiter receptâ, decepti.

XXXIII. 3. Quòd ipſe DEUS voluerit tacitè quaſi connivere, unde Tertullianus Patrum πολυγαμίαν appellat *Licentiam paſſivam. in libro de monogamia.*

XXXIV. Idq; *tribus* potiſſimùm documentis probari poſſe videtur, *ut*: 1. Quòd libellum repudij permiſit. *Deut. 24, 1. & ſeq.*

XXXV. 2. Quòd Prophetæ dum in cetera peccata paſſim graviſſimè invehuntur, nuſpiam tamen taxant & redarguunt πολυγαμίαν.

XXXVI. 3. Quòd DOMINUS per Nathanum Prophetam Davidi denunciari curavit; *SE dediſſe ipſi uxores Domini ſui* (Sauli) *in* (NB.) *ſinu ſuo.* 2. *Sam.* 12, 8.

XXXVII. Tantum de hoc Problemate: progrediamur ad aliud.

VIII. PROBLEMA.

An Cœlibatus ijs perſonis, quæ in Eccleſiaſtico Vitæ genere verſantur, autoritate humana, ut res, ipſis ad iſtud vitæ genus neceſſaria, injungi poſſit ac debeat?

XXXVIII. *Affirmativam* iſtius Problematis tenent & propugnant *Romanenſes*, hoc ipſo γνώρισμα illud Antichriſti abundè compro bantes, c quòd nempe ad *concupiſcentiam mulierum* (in Hebr. eſt נָשִׁים quo propriè d uxores indigitantur) *animum non adjecturus* e quòd item *matrimonium contrahere prohibiturus.* I. *Romanenſium Affirmativa.* חמדת

c *Dan.* 11.

d *Gen.* 4, 29. 6. 7, 7. 6. 34, 29. *Num.* 14, 3. *&c.*

e 1. *Tim.* 4.

XXXIX. Auſum namq; iſtud eſſe Antichriſtum, id eſt, prohibuiſſe matrimonium contrahere ijs, qui in Eccleſiaſtico vitæ genere verſantur: notius eſt, quàm ut ignorari poſſit.

XL. Inſpiciatur modò Jus Canonicum in *prima parte Decreti Gratiani Diſt.* 82, 26, & 27. ubi inter alios & hic Canon proponitur:

Præsbyteris, diaconis, ſubdiaconis & monachis concubinas habere, ſeu matrimonium contrahere, *penitus interdicimus: contracta quoq; matrimonia ab hujusmodi perſonis* disjungi, *& perſonas* ad pœnitentiam *redigi debere, juxta ſacrorum Canonum definitiones judicamus.*

XLI. Quidnam ſedis iſtius Apoſtaticæ Defenſor hodie præcipuus à *Robore, Bellis & Armis* denominatus de hac quæſtione ſentiat: id cognoſcere licet, ſi libet, ex Lib. 1. de clericis c. 19. ubi hoc thema conatur evincere:

Cœlibatum jure Apoſtolico rectiſſimè annexum ordinibus ſacris.

II. *Lutheranorum Negativa.*

XLII. Nos, qui non in Antichriſti Deceptoris: ſed in CHRISTI Præceptoris Scholâ nati & educati ſumus, Negativam profitemur ac tuemur, intrepidè & abſque omni hæſitationè docentes & dicentes:

Cœlibatum nec jure Apoſtolico, nec dum autoritate humanâ, Perſonis Eccleſiaſticis, injunctum fuiſſe, aut injungi poſſe ac debere.

Ejusq; βεβαίωσις per Syllogiſmum 7. membr.

XLIII. Syllogiſmus cardinalis & præcipuus, quo fundamenta noſtræ hujus ſententiæ Antipapanæ, uno quaſi faſciculo, comprehenſa hic eſt:

Quicquid ex falſa ortum hypotheſi, & inſuper pugnat cum inſtitutione, & fine atq; uſu conjugij, & præterea adverſatur Exemplis Scripturæ, Apoſtoli Pauli conſtitutioni, autoritati Eccleſiæ, imò ipſorum etiam Adverſariorum propriæ Confeſſioni: illud nec jure Apoſtolico, nec aliàs autoritate humana perſonis Eccleſiaſticis injungi poteſt ac debet.

At qui talis eſt Cœlibatus, quo perſonis Eccleſiaſticis uſus conjugij ut res illicita, prohibetur.

Ergo.

1. XLIV. *Septem μέσα*, hoc Syllogiſmo ijſdem omnibus communi, continentur, quorum ſingula ordine ſed breviter enucleanda.

XLV. 1. Quòd igitur Cœlibatus ille ortum trahat ex *falſa hypotheſi*: facilè crediderit is, cui conſtat, quòd Pontificijs, ac Monachis præſertim, in Conjugio vivere ſit, in carne vivere conjunctioq; conjugalis, res planè impura & coinquinata.

Utq;

XLVI. Utque prōpalam illud conſtet omnibus: adſcribimus huc, majoris fidei gratiâ, ipſiſſima Innocentij & Syricij Papæ verba, quibus ſuam & ſuorum de Conjugio opinionem, ex ſcrinio pectoris ſui, haud obſcurè prodiderunt:

1. Parte Decret. Grat, Diſt. 82. c.

Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utiq; laicis præcepit, multò magis ſacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt, ab hujusmodi conſortio abſtinere: qui ſi contaminatus *fuerit* carnali *concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificare uſurpabit*, aut quâ conſcientia quóve merito exaudiri ſe credit, *cum dictum ſit: Omnia munda mundis*, coinquinatis *autem & infidelibus* nihil mundum: *ſed fortaſſe hoc licere credit, quia ſcriptum eſt unius uxoris Virum. Non dixit hoc, ut permaneret in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram. Neq; enim integros corpore non admiſit, qui ait: Vellem autem omnes ſic eſſe ſicut & ego. Quod & apertiùs declarat dicens:* Qui autem in carne ſunt, DEO placere non poſſunt. *Vos autem jam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.*

XLVII. Quid verò ad hoc Apoſtoli, de quorum autoritate Magiſter impudentiæ tantopere gloriatur? Apertè contradicunt, adeoq; Conjugum conjunctionem Ἁρμήδιν appellant *f ἁμίαντον & τίμιον g ἁγιασμὸν, σωφροσύνην, h μυστήριον.*

f *Heb.* 13. g 1. *Tim.* 2. h *Eph.* 5.

XLVIII. 2. Quòd pugnet prohibitio conjugij, cum primæva ejuſdem *inſtitutione*: manifeſtum eſt ex *Gen.* 1, 27. & 28. ubi univerſalis Conjugij inſtitutio ſententia hâc univerſali proponitur. 2.

Et creavit DEVS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem DEI creavit illum, MASCVLVM ET FOEMINAM creavit eos.

BENEDIXIT q; illis DEVS & ait: CRESCITE, & MVLTIPLICAMINI, & REPLETE TERRAM.

XLIX. 3. Quòd item pugnet cum *fine* atq; *uſu Conjugij*, ſic oſtendimus. 3.

L. *Ante lapſum, Conjugium tantùm fuit officium, nunc verò eſt quoq; remedium*, dicit Lombardus ex Auguſtino *lib.* 9. *de Gen. ad lit. cap.* 7.

LI. Ex quo patet, quòd *duplex* præcipuè ſit Conjugij finis & uſus

1. *primarius & οἰκονομικὸς, τεκνογονία: 2. secundarius & θεραπευτικὸς, ἀκρασία*, vel *πορνοφυγία*.

LII. Utrumq; universalibus Scripturæ Regulis stabiliter confirmatum, & firmiter stabilitum esse liquet.

LIII. Et *illum* quidem in prima illa Conjugij Ordinatione, cujus verba modò adduximus, ex *Gen. c. 1, 27. 28.*

LIV. *Hunc*, in hisce Paulinis:

Propter fornicationem suam QVISQVE *uxorem habeat.*

Item; *Si se non continent, contrahant matrimonium. 1. Cor. 7.*

LV. *Virumq;* simul, in illo Christi *Matth. 19.* ubi ab universali Regula Conjugij pauciſſimos excipit, eos nimirum, qui dono continentiæ sunt prædiri: qui autem illo carent, ab eis vult Ordinariam observari Regulam, dum discipulis, num expediat contrahere matrimonium, quærentibus, respondet:

ὁ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον; ἀλλ' οἷς δέδοται

Et paulò pòst:

ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρεῖτω.

4. LVI. 4. Quòd cœlibatus eorum, qui in Ordine Ecclesiastico versantur adversetur *Exemplis Scripturæ*: id utriq; *ὁμοθυμαδὸν* contestantur *Prophetæ* & *Sacerdotes* Levitici *Veteris*, & Apostoli *Novi* Testamenti.

LVII. *Prophetas* & inter hos in specie *i Esaiam k Ezechielem, l Oseam* & alios, uxores habuisse, ex his Scripturæ Divinitus patefactæ locis claret;

i *Esa. c. 7, 3.* k *Ezech. 24, 16. 18.* l *Ose. 1, 2.*

LIX. *Sacerdotib.* Leviticis, quos tamen *m* munditiei studiosissimos esse oportuit, Conjugium fuisse ab ipso DEO concessum; vel inde *ἀναμφιβλήτως*: evincitur, quòd illis certam *τάξιν γαμικὴν* præscripserit, qualesq; uxores ducere debeant indicârit, *Lev. 21, 7. 8. 13. 14. 15.* m *Lev. c. 21, & 22.*

LIX. *Apostolos* deniq; in Novo Testamento uxoraros fuisse, & præsertim principem eorum, quem Romanenses pro primo Papa solenni pompa venditant, non modò testis est *n Matthæus Socrus* ipsius expressam faciens mentionem: sed *Paulus* etiam apertè scribens:

1. Cor. 9: *An non habemus potestatem Sororem* MVLIEREM

CIR-

CIRCVMDVCENDI, *quemadmodum & ceteri Apostoli, & fratres* DOMINI, *sicut & Cephas.*

n *Matth. c* 8, 14.

LX. 5. Quòd prohibitio Conjugij eorum, qui ministerio Ecclesiastico funguntur, adversetur *Constitutioni Paulinæ*: hæc ipsius institutra docent & demonstrant, quibus postulat, ut Episcopi, Diaconi & Presbyteri sint uxorati. 5.

1. Tim. 3.

OPORTET *Episcopum esse unius* VXORIS MARITVM, *Diaconi* SINT (ἔστωσαν) *unius* VXORIS *mariti.*

Tit. 3.

Constituas oppidatim Presbyteros, &c. si quis est inculpatus, unius VXORIS VIR.

LXI. Ac ne quis cum κυβευτᾶς Romanensis us vocabulum Uxoris sensu anagogico, veriùs Archisophistico, interpretetur de Ecclesia: mox addit se de tali uxore loqui, ex qua suscipiantur *liberi*, & cum qua Domus vel Oeconomia administretur 1. *Timoth.* 3. 4. *Tit.* 1, 6.

LXII. 6. Quòd præterea ἀγαμία Clericorum in regno Antichristi adversetur *Ecclesiæ autoritati*: probamus indè, quod lex Cœlibatus ignòta fuerit veteri Ecclesiæ, quòd item ab Orientali, illa nunquam recepta, Germaniæ verò vi & tyrannide Pontificum brachio seculari armatorum tandem obtrusa *Anno Christi* 1119. sub *Calixto II. in Concilio Remis* celebrato, in quo Canon ille, quem supra thesi 4. citavimus, fuit conditus. 6.

LXIII. 7. Quòd deniq; propria *Romanensium Confessio* Cœlibatum Sacerdotum improbet & aversetur: id pluribus edoceri posset: sed sufficiant, pro re nata, saltem *decretum* ex Jure Canonico, & Pij II. *apophthegma.* 7.

LXIV. *Decretum* ex jure Canonico sic habet:

Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri debere confiteri, quòd jam suis non copulentur uxoribus: NOS ANTIQVVM *sequentes Canonem* APOSTOLICAE DILIGENTIAE, *& constitutiones sacrorum Virorum legales nuptias amodò* VALERE *volumus*, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissol-

solventes. *Quicunq; igitur diligens inventus fuerit in subdiaconali Ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali: hic* NVLLO MODO PROHIBEATVR *ad talem adscendere gradum, pro Vxoris suæ legitimæ cohabitatione.* NEC *etiam* TEMPORE ORDINATIONIS PROFITERI COGATVR, *quod abstinere debeat à legali propriæ uxoris familiaritate.*

Item: *Oportet eos, qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorum continentes esse in omnibus; ut à* DEO *possint consequi, quæ simpliciter postulant. Si quis igitur præsumserit* CONTRA APOSTOLICOS CANONES ALIQVOS *presbyterorum & diaconorum privare contactu, & communione legalis uxoris, deponatur: Similiter & presbyter aut diaconus, qui religionis causâ uxorem expellit, excommunicetur: si verò in hoc permanserit, deponatur.*

LXV. *Apophthegma* Pij II. referente o Augustana Confessione, ex Platina, tale est:

Fuisse aliquas causas, tur ademptum sit Sacerdotibus Conjugium: sed multò majores esse causas, cur reddi debeat.

o *Artic.* XXIII. *de Conjugio Sacerdotum.*

Conclusio. LXVI. Quæ omnia & singula liquidissimè comprobant & declarant: luculentissimum impudentiæ Lojoliticæ specimen edidisse Bellarminum, dum confirmare ausus:

Cœlibatum IVRE APOSTOLICO rectissimè annexum Sacris Ordinibus.

LXVII. Nos contrà Antichristum μισόγαμον proprio jugulamus gladio his ipsius Juris Canonici Verbis Problematis istius tractationem concludentes:

Copula Sacerdotibus nec Legali, nec Evangelicâ, nec (NB) Apostolica *auctoritate prohibetur.*

II. *Part. Decr. Grat. Dist.* 26. *q.* 6. 1. *sors non.*

Videatur Lutherus in *Explic. c.* 7. *prior. ad Corinth.* Tom. 2. Jen. Germ. f. 272.

IX. PROBLEMA.

An & quas potissimùm ob causas facere liceat divortium?

Divor-

LXIIX. Differunt invicem: *Repudium & Divortium.* *Differentia inter Repudium & Divortium.*

LXIX. Illud, propriè & ἀκριβῶς loquendo, est *Sponsi & Sponsæ*: hoc *mariti & uxoris* dissolutio; illa Sponsalia: hoc nuptiæ dirimuntur.

LXX. Nos hic paucula afferemus de divortijs, quæ & ipsa tamen facilè & nullo negotio poterunt accommodari ad repudia.

LXXI. Propter quas enim causas concedi consuevit divortium: propter easdem etiam, & multò quidem tutiùs, concedi potest ac debet repudium.

LXXII. Ut igitur ad rem propositam accedamus: disertè ac perspicuè nos affirmamus, *licere interdum facere divortium*, certas ob causas, sed non quasvis: verùm ob eas tantùm quæ summi ponderis & momenti, quæq; maximè ipsam Conjugij naturam & essentiam attingunt & convellunt. *Causæ repudij.*

LXXIII. In Jure Civili *quatuordecim*: in Jure Canonico *duodecim* divortiorum causæ recensentur.

LXXIV. In *Scriptura* autem *duæ* saltem expressè ponuntur. *I. Ex Scriptura.*

LXXV. Et *una* quidem à CHRISTO *Matth.* 19. adulterium videlicet, dum ait: *1. Matt. 19, & 5.*

Dico autem, quod quicunq; repudiaverit uxorem suam, nisi ob STUPRUM, & aliam duxerit, is committit adulterium.

LXXVI. Equibus sanè verbis liquidò apparet, quòd DOMINUS, in casu adulterij, absq; ulla illius restrictione, permittat divortium, quod idem tradit, *Matth.* 5, 22.

LXXVII. Ubi tamen κατ' ἐπιβολὴν obiter monemus, quòd particula Nisi non opponatur Causis ijs, quæ adulterio æquiparari queant: sed Judæorum in faciundis divortijs levitati, quam ibi redarguendam sibi proposuerat, quemadmodum contextus proximè præcedens evidenter ostendit.

LXXIX. *Altera* divortij causa constituitur ab Apostolo, estq; desertio *voluntaria, non necessaria malitiosa.* 2. 1. *Cor.* 7.

LXXX. Authentica Apostoli, qua illam constituere rectè existimatur, est isthæc:

1. Corinth. 7.

Quod si incredulus discedit, discedat: NON EST SERVITUTI SUBJECTUS FRATER AUT SOROR HUIUSMODI.

LXXXI. Sed quia grave est matrimonium rescindere: in nostris utiq; Consistorijs ad hoc divortij genus non deveniri solet, nisi prævio processu legitimo, & elapso jam à tempore desertionis, sexennio, septennióve, &c.

LXXXII. Tametsi aliás cum Luthero potiùs seriò optandum, ut in gratiam desertorum & desertarum, (quarum non modò Oeconomiæ, sed & vel maximè, conscientiæ, consulendum) tempus istud contraheretur, idq; eò magis, quòd desertiones ejusmodi sine fornicatione rarissimè fiant.

II. *Ex Luthero.*

LXXXIII. His duabus Divortij causis ἐγκλήμασι [p] Lutherus noster adjungit tertiam, ἀδυναμίαν puta manifestam, & maximè naturalem, qua qui laborant, *Eunuchi de matris utero sic nati*, appellantur. *Matth. 19.*

p *Tom. 2. Ien. Germ. in libell.* vom Ehelichen Leben. *f. 147. 150. 151.*

LXXXIV. Quò itidem referimus cum Luthero alijsq; Theologis desperatam eorum Conjugum pertinaciam & morositatem, qua alteruter nullis planè pœnis, licet gravissimis sæpiusq; variatis, se adigi patitur, ut alteri ἔυνοιαν ὀφειλομένην reddat, contra seriam Apostoli παραίνεσιν:

1. Cor. 7. *Uxori Vir debitam benevolentiam reddat, similiter autem & Uxor Viro &c.*

III. *Ex alijs.*

LXXXV. Hisce veris Divortij propriè sic dicti causis, annumerari præterea solet *saevitia conjugum*, qua alter alteri vel veneficijs vel alijs machinationibus manifestis vel clandestinis vitæ insidias struere non desistit.

LXXXVI. In hoc enim casu, ceteris remedijs omnibus frustra tentatis, tandem innocenti parti permittitur periculi vitæ evitandi gratiâ, separatim habitare, usq; dum reconciliatio firma stabiliatur.

LXXXVII. Et istud sanè non est divortium: sed *separatio* duntaxat *quoad mensam & torum*, ex *tolerantia* & *conniventiâ* quadam concessa; nisi alia supervenerit causa, ob quam, urgentibus circumstantijs, ex quorundam Theologorum sententia, ad totalem demiq; separationem descendendum.

LXXXVIII. Et quod in omnibus divortiorum causis diligen-

ter observandum; nihil hic privata autoritate faciendum: sed *publica autoritate* judicij Ecclesiastici antegressâ legitima causarum cognitione, decenter agenda & peragenda omnia.

LXXXIX. Propter lepram aliosq; morbos incurabiles, itemque propter ignominiam & delictum, &c. Conjugum, adeò nec potest nec debet alterius fieri divortium; ut hic potissimùm requiratur illud, quo conjux conjugi adjutorium maliq; communis consors esse debere, dicitur.

XC. Plura qui de hac materia legere discupit; is videat *Lutherum* in tractatu perquam erudito, cujus Epigraphe:

Vom Ehelichen Leben. *Tom. 2. Ien. German. f. 146.*

Itemq; in libello: von Ehesachen *Tom. 5. Ien. 237.*

X. PROBLEMA.

An Choreæ, quales hodie exerceri solent, homini Christiano licitæ sint & concessæ?

XCI. Universum istud chorearum genus omninò damnant & execrantur Zwinglio Calviniani.

XCII. Sic enim Aretius expressè scribit:

Quod genus VNIVERSVM libidinosum pessimiq; est exempli, ideoq; meritò damnatur.

In Prol. Loc. 169. qui est de choreis & saltationibus. *Opinio Zvvinglio Calvinianorum.*

XCIII. Cui calculum adjiciunt suum reliqui ejusdem Senatus proceres, ut:

q *Marloratus* hoc enunciato: *QVICVNQVE habuerunt curam gravitatis: damnârunt saltationes.*

r *Petrus Martyr*, appellans eas *laqueos & scandala.*

s Pater ipse *Calvinus* vocans illas *Lasciviæ meretriciæ notas.*

q *super 14. Matt.* r *super Iud. c. ult.* s *super 14. c. Matth.*

XCIV. Nos antequam nostram proponamus sententiam, necesse habemus has sequentes eidem præmittere hypotheses. *Hypotheses sententiæ Lutheran.*

XCV. 1. Saltationem per se esse actionem indifferentem.

XCVI. 2. Et proinde talem esse conditionem, ut pro diversitate finis, cujus gratia à diversis diversimodè exercetur, modò laudari, modò culpari possit.

XCVII. 3. Laudari propter finem bonum & honestum, & si observetur τὸ πρέπον in circumstantijs personarum, modi, loci, temporis, &c.

XCVIII. 4. Culpari propter finem malum & inhonestum, & si illud τὸ πρέπον negligatur.

Sententia 2. aph. comprehensa. 1. Aphor.

XCIX. His ita προϋπολαμβανικῶς prædelibatis nostram jam sententiam exponimus duobus comprehensam aphorismis:

C. 1. *Choreæ, quæ propter malum & inhonestum finem, ut propter libidinem & lasciviam aguntur, & in quibus τὸ πρέπον in circumstantijs personarum, modi, loci & temporis non observatur, rectè & meritò damnantur.*

CI. Et tales fuerunt Choreæ *t* Israelitarum: & illa *u* Herodiadis, quam *x* Chrysostomus παρανικὸν ὄρχησιν appellat.

t *Ex* 32, 18. u *Matth* 14. x *in cap.* 14. *Matth.*

CII. Et hoc sanè saltationum genus fuerint illa *Gangrensis & Elibertini Conciliorum*, itemq; *Patrum* Anathemata & Diræ, quibus illas Diabolo devovent & Diabolicas proclamant.

Ambros. lib. 3. de Virg. Chrysost. hom. 56. in Genes.

CIII. Eodem spectant Rationes ἀναστευαστικαὶ, quæ à Zwinglio-Calvinianis numero haud exiguo congeruntur, præcipuè verò ab Aretio, loco paulò antè allegato.

CIV. Quodq; in his etiam regionibus tales choreæ minimè probentur, sed æquè, ut ab adversarijs fieri solet, seriò prohibeantur: id utiq; *Constitutio Augusti Electoris* p. m. satis superq; testatur in articulis, qui *Generales* appellantur, *art.* 18. *qui est de Choreis.*

2. Aphorismus. CV. 11. *Choreæ quæ propter bonum & honestum finem instituuntur, & in quibus τὸ πρέπον in circumstantijs personarum, modi, loci & temporis, &c. observantur, earatione, quæ in* Constitutione Electorali *jam nominata* præscribitur, permitti solent *ac possunt, idq; propter Rationes, quas breviter & ὡς ἐν τύπῳ, jam suffigimus.*

Rationes V.

1. CVI. *Prima* ducitur ab authoritate Scripturæ, quæ generatim & indefinitè pronunciat: esse etiam tempus non tantùm legendi: sed etiam *Saltandi.* (τοῦ ὀρχήσασθαι) עֵת סְפוֹד וְעֵת רְקוֹד

Ecclesiastæ 3.

2. CVII. *Secunda* sumitur ab effectis & utilitatibus honestarum saltationum, quæ inde redundant, *vel* ad *corpus*, ut conveniens & moderata membrorum corporis agitatio non parum faciens ad

sani-

sanitatis conservationem, viriumq; corporis confortationem, *vel* ad *animum*, ut honesta recreatio, *vel* ad *utrumq;* ut occasio declinandi ebrietatem, &c.

CVIII. Quibus & alij accensent occasionem honestam, qua notitia inter honestos juvenes ac virgines, & sic consequenter etiam honesta ratio conjugij suo tempore contrahendi iniri queat.

CIX. *Tertiò* accedunt *συγκαταψηφισμοὶ* Theologorum, tam judicij ac pietatis, quam eruditionis & autoritatis laude excellentium, ut *Lutheri* maximè, *Brentij* & aliorum.

CX. Quid *Lutherus* de moderato usu honestarum saltationum senserit: hæc propria ipsius apophthegmata liquidissimè declarant.

In Postilla Ecclesiastica Dominica II post Epiph.

In moderato usu saltationum splendor comitatis manifestè apparet, &c.

Item in *Commentario in Genesin Germanico Tom. 4. Ienensi Germ. fol.* 133.

Also möcht man nu vom tantzen reden/ wie wir vom Schmuck sagen/ das man davon sagt/ Es bringe viel reitzungen zu Sünden/ ist war/ wenn es vber die masse vnd zucht fehret/ Aber es kan auch einer wol mit einer bulen/ die weder schmuck noch schöne hat/ denn die Liebe ist blind/ fellet so schier auff einen Kühdreck/ als auff ein Lilienblat. Darumb weil tantzen auch der Welt brauch ist/ deß jungen Volcks/ das zur Ehe greifft/ so es auch züchtig/ ohn schandbare weise/ wort oder geberde/ nur zur frewde geschicht/ ists nicht zuuerdammen. Das hat Gott hiermit angezeiget/ das ers also lesset schreiben/ das nicht die hoffertigen Heiligen so bald Sünde draus machen/ wenn mans nur nicht in mißbrauch bringet.

CXI. *Brentius* verò ita scribit:

Fides & caritas Christiani hominis saltando non deperduntur, &c. in comment. in Matth. f. 528.

CXII. *Quartam* rationem nobis suppeditat tacitus quorundam ex grege Calviniſtico consensus, dum & ipsi non omnes promiscuè choreas damnant, sed *libidinosas*, quemadmodum vel ex hoc *Danæi* testimonio abundè patescit:

Non omnis saltatio (inquit ille) *damnata est, ut docet disputatq; P. Martyr.*

Martyr. in libro Iosuæ: sed saltatio ea, quæ est chorea, & quæ fit libidinis augendæ proritandæq; gratiâ. lib. 2. Eth. Christ. f. mihi 222.

5. CXIII. *Quinto* & *ultimò* posset aliquis Zwinglio-Calvinianis objicere *basiationes*, quæ multò fortius ad libidinem incentivum, quàm saltationes, & tamen ab ipsis in Anglia & alibi permittuntur.

CXIV. Et tantum quoq; de hoc Problemate, quod hac ἀφορμῇ voluimus, βραχέως καὶ παχυλῶς attingere, propterea quòd adversa pars in ἐπιεικείᾳ, nimis videatur rigida, aliàs non magnopere, in hoc argumento laboraturi.

EX DECALOGO
DECADIS TERTIÆ,
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE,

M. ERASMO VVILLICHIO,
Francofurtensi Marchico.

Ad 31. Martij Anno 1610.

I. PROBLEMA.

An homo Christianus necessariò teneatur bona sua conferre in commune, adeò, ut nihil ipsi liceat habere proprium?

I.

1. Negativa τῶν ἐπιεικειῶν. Eorumq; 1. Agmen.

EN *Negativam* hujus Problematis partem concedunt ἐπιεικεῖς *quidam* utroq; ; *quidã* uno pede.

II. Qui utroq; pede in ἐπιείκειαν istam concedunt, sunt partim *Veteres*, partim *Recentes*.

III. Inter *Veteres* referimus *Essenos* & *Carpocratianos*, qui communionem omnium bonorum & doctrinâ & exemplo suaserunt & approbârunt oppidò.

Recen-

IV. *Reformes* iterum ſubdividimus in *primos* hoc ſeculo, & *à primis* illis *ortos*.

V. *Primi* qui errorem illum, ex inferis reſuſcitatum, hoc ſeculo in proſcenium Eccleſiæ reduxerunt, ſunt *Anabaptiſtæ*, qui viciſſim in ſectas aliquot diſtinctas diviſi, ſecundum illud πολυθρύλλητον: τὸ ψεῦδος πολυχρόνιον.

VI. Nam præter *Tacentes*, *Orantes*, *Ecſtaticos*, *Libertinos*, *Auguſtinianos*, *Monaſterienſes*, *Servetianos*, *Hoffmannianos*, *Davidianos*, *Adamitas*, *Aquarios*, *Franckiſtas*, & alios: etiam inter ipſos inveniuntur adhuc *duo ordines*, qui delirium iſtud de bonorum omnium communione maxime fovent & propugnant. Hutteriani

VVigandus in ſuo Anabaptiſmo.

VII. *Unus* eſt *Apoſtolicorum*, qui ſic cognominari geſtiunt, quòd Apoſtolos in omnibus æmulari decreverunt, & præſertim in hoc, quòd communio illa bonorum ab Apoſtolis legatur obſervata. *Actor. 2, & 4.*

VIII. *Alter* eſt *Hutitarum*, vel *Hutteriamorum*, ut alij ſcribunt, qui ita à *Iohanne Hutto*, qui in carcere obijt, appellari voluerunt.

IX. Ἐπεγδόξοι *ab his* noſtro tempore orti, non abs re dici poſſunt *Photiniani*, qui, ſi non ex omni; ex aliqua tamen parte, idem ferè de hoc themate ſtatuunt, quod Anabaptiſtæ.

X. Ceterùm qui *uno pede* in propoſiti Problematis negationem à nobis abeunt, ſunt *Monachi*, qui aliàs quidem bonorum communionem Anabaptiſticam non approbant: ipſi tamen in abjicienda rerum proprietate perfectionis opus conſtituunt, ſpontaneam (*in affluentiſſima omnium rerum copia*) paupertatem voventes. II. *Agmen.*

XI. Idq; rectè fieri probare nititur aliquot ratiunculis *Bellarminus*, præſtans ſe Procuratorem Pauperum.

lib. 2. de Monachis c. 20.

XII. *Quid nos?* Pro *affirmativa* ſtamus invictis muniti & circumſepti præſidijs, quæ partim κατασκευαστικὰ, vel σκεπαστήρια, partim ἀναστκευαστικὰ vel ἀμυντήρια. II. *Affirmativa munita præſidijs.*

XIII. Præſidia κατασκευαστικὰ appellamus ea, quibus cauſam hanc noſtrem confirmare & tueri valemus, ſuntq; hæc, quæ jam ordine ſubſequuntur. 1. κατασκευαστικά.

XIV. *Primum* eſt, *præceptum* Decalogi *ſeptimum* ab Apoſtolo in

Novo

Novo Testamento repetitum denuoq; inculcatum exhortatione hac gravissima:

Eph. 4. *Qui furabatur, amplius non furetur, magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, ut possit impertiri ei, qui opus habuerit.*

XV. Sanciri autem & confirmari ista prohibitione rerum proprietatem & dominiorum distinctionem, res ipsa loquitur. Aliàs enim prohibitione illâ opus esset minimè.

2. XVI. *Secundum* ex his *Scripturæ testimonijs* extruimus, quibus jubemur, non totam bonorum substantiam in commune conferre: sed ex ebundantia solùm eorum tantum elargiri pauperibus, quantum nobis allibuerit.

2. Cor. 8. *Vestra ABVNDANTIA illorum inopiam sublevet,*

1. Cor. 16. *In una Sabbathorum unusquisq; vestrum apud se seponat recondens quicquid* (NB) benè placuerit) ὅτι ἂν εὐοδῶται.

3. XVII. *Tertiò* his accedunt legitimi *contractus emtionis & venditionis*, qui introducta communione Anabaptistica, ac Platonica, expirent necessum est, & tamen Apostolica autoritate in Novo etiam Testamento fuere comprobati, ut:

1. Cor. 7. *Qui EMVNT sint tanquam non possideant.*

1. Thess. 4. *Ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum.*

4. XIIX. *Quartum* causæ nostræ præsidium suppeditat nobis *Exemplum Pauli*, qui membranas, biblia & tunicam, quam Troade reliquerat, à Timotheo sibi afferri flagitat 2. Tim. 4.

XIX. Id quod facere nec debuisset nec potuisset: si κοινοκτησίαν Anabaptisticam statuere aut stabilire voluisset.

XX. *Quintum* ex isthac *ratione* deduci potest:

Qui tenentur providere suis, & maximè domesticis, ijsq; thesauros colligere; eos profectò oportet facultates habere, unde id facere queant.

Atqui Christiani tenentur hoc facere.

Ergo.

XXI. Assumtionis veritas ἀμεταπτωτος ex his Scripturæ locis existit.

1. Tim.

1. Tim. 5. *Si quis Suis & maximè* DOMESTICIS *non provident: fidem abnegavit, estq; infideli deterior.*

2. Cor. 12. *Non enim debent filij parentib. recondere* (θησαυ-ζειν) *sed parentes filijs.*

XXII. *Sextò & ultimò* cum communione rerum Anabaptistica ex adverso pugnant *a enemia beneficentiæ* erga pauperes, quam non ex alienis, sed *b* proprijs facultatibus exerceri oportet: 6.

a *Matth.* 10, 42. *c.* 19, 21. *c.* 25, 34. 35. *Gal.* 6, 9. 10. *Phil.* 4, 14 1. *Tim.* 6, 18., *&c.*

b *Proverb.* 3, 9. 2. *Cor.* 8, 12.

XXIII. Et sic fuerunt causæ nostræ præsidia κατασκευαστικὰ: Videamus etiam ἀνασκευαστικὰ, quorum appellatione complectimur *Responsiones* ad Sophismata Adversariorum

XXIV. Quorum quidem pluscula crepare solent: potissima tamen maximeq; classica sunt isthæc V. 2. ἀνασκευαστικὰ. V.

XXV. *Primum* petunt ab *Exemplo Ecclesiæ Apostolicæ*, ad cujus normam formamq; nostræ etiam componendæ

XXVI. Illius verò Cives bona sua in medium contulisse, autor est Lucas *Act.* 2, 44. *& c.* 4, 34.

XXVII. Respondemus: Magnam & insignem esse disparitatem in hoc exemplo, ob quam in Ecclesia Universali, ad imitationem *illud* minimè trahendum. 1.

XXVIII. Nam primò factum illud planè fuit singulare, inque Ecclesia solùm Hierosolymitana tum temporis usitatum, propter præsentissimum persecutionis periculum.

XXIX. Nusquam enim memoriæ proditum legitur, quòd illa bonorum communio extra Ecclesiam, quæ tum erat Hierosolymis, usu fuerit recepta, vel ab Apostolis unquam uspiam imperata.

XXX. Imò diversum tum ex Actis Apostolorum: tum ex Scriptis Pauli levi breviq; opera monstrari potest.

XXXI. Adhæc institutum istud χρονικὸν καὶ τοπικὸν, non ex mandati alicujus Apostolici necessitate, sed ex mutua fratrum liberalitate, & sic, ex Spiritûs libertate, profectum esse constat.

XXXII. Ita namq; Petrus ipse Ananiæ dicit:

Nonne prorsus tibi MANEBAT, *& venundatum in* TUA *erat* POTESTATE? *Act.* 5.

XXXIII. Ex quo loco & hoc apparet, quòd illa bonorum communio consistiterit, non tam ἐν τῇ κτήσει: quàm ἐν τῇ χρήσει, uti Philosophus loquitur adversùs Platonem ejusdem κοινωνίας Aëlerorem & Patronum disputans *lib. 2, Politic.*

2. XXXIV. *Secundùm* mutuantur ex *isthoc præcepto* CHRISTI: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22. Luc. 10.

XXXV. Resp. Est fallacia τῦ παρεπομένυ ἢ τὸ ὅλως τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως.; A dilectione enim indefinita, vitiosissima instituitur ratiocinatio, ad definitam bonorum communionem.

XXXVI. Quasi verò non aliâ ratione dilectio exerceri, & mandato CHRISTI obsecundari posset, ut v. g. liberali contributione, de proprijs facultatibus, exemplo Macedonum, Corinthiorum, & aliarum in Græcia Ecclesiarum *1. Cor. 6. 2. Cor. 8. & 9. Phil. 1. & 4.*

3. XXXVII. *Tertiò* obtendunt *statum* Ecclesiæ *triumphantis*, quæ omnibus bonis cœlestibus communiter fruitur.

XXXVIII. Resp. Similitudo Ecclesiæ triomphantis in cœlis & militantis in terris, non in bonorum terrestrium: sed spiritualium communione consistit, observata modi & graduum perfectionis distinctione.

4. XXXIX. Sed instant *quartò* hac ἐνοχλήσει ἐπὶ τὸ ἧττον. Si inter Christianos intercedit invicem communio in rebus spiritualibus: cur non multò magis in terrestribus?

XL. Resp. *Duplicem* esse hominis Christiani conditionem: *Internam* unam: externam *alteram.*

XLI. *Secundùm illam*, consideratur, respectu DEI, quatenus Christianus in κτήσει καὶ χρήσει, bonorum spiritualium, quæ ex æquo omnibus, absque προσωπολημψία patent.

XLII. *Secundùm hanc*, idem consideratur respectu Mundi, quatenus Civis alicujus Reipublicæ & homo indigens ad sui & suorum conservationem bonis terrestribus, quibus utitur juxta leges suæ illius Reipubl. jure Naturæ consentaneas, quorum neutrum Evangelium tollit aut abolet.

5. XLIII. *Quintò & ultimò* maximè jactitant multiplices illius instituti *utilitates.*

XLIV. Respondemus bifariam: 1. per ἄγνοιαν. Quòd enim plura incommo-

incommoda quàm commoda inde proveniant; vel hinc apparet, quod Communio illa bonorum Hierosolymitana non admodum diu duravit; sicut quæritur Clemens *in Epist. ad Hierosolymitanam Ecclesiam.*

XLV. 2. Per *παροιμολογίαν*. Posito, enim sed non concesso, quòd res illa non careat suis utilitatibus; Non tamen facienda sunt mala, contra Scripturæ autoritatem, ut eveniant bona.

Rom. 3.

XLVI. Et hactenus fuit Problema de bonorum omnium communione Platonica & Anabaptistica: conferamus jam nos ad sequens Problema de usuris.

PROBLEMA. II.

An homini Christiano bonâ conscientiâ, ab aliquibus, interdum liceat usuram accipere?

XLVII. Gravis hæc est quæstio, & non à Jureconsultis & Politicis tantùm: sed à Theologis quoque diu multumq; agitata.

XLIIX. Quantas enim hæc ipsa circiter *Anuum Christi 1538.* turbas dederit in Ecclesia aliàs florentissimâ Ratisbonæ: videre licet in *Centuria XVI. Osiand. f. 1094.*

XLIX. At enimverò ut quæstionem illam valdè intricatam rectiùs & circumspectiùs extricemus: juvat utiq; ejus *ἐξαιρέσεων* ad quatuor distincta capitula revocare. *IV. Capit. tractationis.*

I. *In quorum primò ὡς ἐν προθέσει tum nominis tum rei distinctivnem definitionemq; prælibabimus.*

In 2. quæ nostra sit sententia explicabimus,

In 3. eandem rationum munimentis astruemus.

In 4. denique præcipua τῶν ἐπεροδόξων argumenta diluemus.

LI. Ad nominis definitionem ac distinctionem pertinent. 1. *ἐτυμολογία.* 2. *συνωνυμία.* 3. *ὁμωνυμία.* I. *1. Definitio nominis.*

LII. *Ἐτυμολογίαν* igitur quod attinet; per se ultro patet, quòd usura *Latinis* ab utendo dicta sit; Nec desunt, qui putent vocem hanc ex *usu* & *ære* esse compositam. q. d. *usus æris.* *ἐτυμολογία.*

LIII. Ratio istius Etymi, si quis exigat, hæc dari potest, quòd nempe usus æris dominetur & conspiciatur maximè.

συνώνυμα ex lingua Græca & Hebræa.

LIV. *Græci* appellant usuram τόκον ἀπὸ τ῀ τίκτειν à parendo, eô quòd in illa subinde nummus nummum pariat.

LV. *Hebræi quatuor* potissimùm Vocabulis utuntur, quibus rem istham notare consueverunt.

LVI. *Primum* est נֶשֶׁךְ à נָשַׁךְ quod g propriè & ubiq; ferè accipitur de *morsu serpentis*, qui & hinc παρωνύμως haud obscurâ נָחָשׁ Hebræis nominatur.

g *Gen.* 49, 17. *Num.* 21, 10. *Prov.* 23, 4. *Amos.* 5, 19. c. 9, 3. *&c.*

LVII. Usura enim autore *h Chrysostomo* similis est morsui aspidis, quo substantia & facultates proximi arroduntur.

h *in cap.* 5. *Matth.*

LVIII. *Secundum* est תַּרְבִּית à רָבַת quod proprie est *abradere vel* atterere, quâ metaphora itidem natura usuræ non leviter perstringitur.

LIX. Quo nomine Baldus etiam Jureconsultus usuram comparat teredini, id est, vermiculo, qui in atterendis & erodendis lignis occupari solet.

LX. *Tertium & quartum* sunt מַרְבִּית & רָבָה ג תִּרְבִּית id est, *multus fuit*, Lutherus vertit, vbersatz. Avenarius annotat quòd nominibus istis indigitetur usura, ubi plus æquo accipitur præter sortem, vel excessus lucri. *Lev.* 25, 44. 45.

ὁμωνυμία simulq; Definitio ac distinctio Rei.

LXI. E qua vocabulorum enodatione conjecturam facere licet, quod nomen usuræ *bifariam* usurpetur: *1. Propriè & strictè.* 2. non ita *propriè* vel *largè aut latè.*

LXII. *Propriè & strictè* in Scriptura nominibus modò adductis notatur *usura mordens aut lucratoria*, vel exactio talis, qua bona & facultates proximi atteruntur & eraduntur, ita, ut ipse ex mutuo non relaxationem: sed afflictionem sentiat.

LXIII. *Largè* autem *& latè* accepta usuræ appellatione sic quoq; dici solet ille contractus, quo pecunia elocatur, hac conditione, ut non modò sors suo tempore restituatur: sed insuper census pendatur annuus, qui tamen modum legibus præscriptum nõ excedat.

II.

ἐξήγησις veræ sententiæ per ἀφαίρεσιν

LXIV. Jureconsulti appellant Usuram compensatoriam, vel intereſſe annum, &c.

LXV. Hac vocabulorum παρωνύμων breviter prælibata, nunc viâ expeditiori progredi possumus, ad sententiæ nostræ ἔκθεσιν, quam

quam per ἀφαίρεσιν τῶν ἀναμφισβητήτων & ἧσιν ejus, quòd verè τῶν ἀναμ-
est ἀμφισβητήσιμον, instituere placet. φισβητή-
LXVI. Removemus igitur ab hac præsente Controversia duo σιμον.
maximè, quæ extra disceptationis hujus aleam posita: ἀποφαλικὸν
unum: καταφατικὸν alterum.
LXVII. ἀποφαλικὸν vocamus priorem Usuræ speciem proprié ἀποφατ.
sic dictæ, quam meritò damnandam, & infra omnes inferos ex Republ. Christiana ablegandam, ejusq; non modò radices: sed fibras etiam penitus excindendas statuimus.
LXVIII. Et contra hanc pestem nocentissimam maximè directa sunt seria & severa isthæc IEHOVÆ interdicta, & anathematis fulmina.

Lev. 25, 35. 36. 37. Deut. 23, 19. Psal. 15, 5. Prov. 28, 8. Ezech. 18, 13. 17. cap. 22, 12.

LXIX. Id quod non tantùm ex ipsis singulorum contextibus, sed etiam isthinc conjecerit quispiam, quod ubiq; ferè, quasi κατ' ἐπεξήγησιν, usuræ tale additur vocabulum, quod de lucri excessu intelligi oportere, origo ejus indicat.
LXX. καταφαλικὸν appellamus Contractum redemptionis vel καταφατ.
revenditionis potiùs (Zinskauff / Widerkaufflichen Zinß) autoritate Imperatoria & nominatim quidem, Anno 30. in Comitijs Augustæ habitis approbatum.
LXXI. Et hoc sanè contractu hodie bona Ecclesiastica pleraq; omnia conservantur, ut inde Ecclesiarum & Scholarum ministris stipendia solvi possint.
LXXII. Quòdq; ejusmodi contractus sit legitimus: id utique Theologi quoque præstantissimi calculo suo non inviti comprobant & confirmant.
LXXIII. Prodeant saltem *Lutherus* & *Brentius* suamq; hac de re sententriam ἰδιογλώσσως proferant enuncientq;.
LXXIV. Sic itaq; Thaumasiander *Lutherus*:

Den kaufflichen Zinse habe ich hiemit nicht gemeinet / denn was ein rechter redlicher Kauff ist / das ist kein Wucher / so weis man (Gott lob) wol / was ein kaufflicher Zinß ist nach dem Weltlichen Rechten / Nemblich / das da sol ein

Unterpfand/vnd nicht so viel auffs hundert verkaufft werde/ davon jetz nicht zu reden ist.

Tom. 7. len. 390.

LXXV. *Brentius* autem ita scribit:

Nun sind zweyerley Zinscontracten:

Der eine ist/ das man mit 100. Gülden (exempli gratiâ) auff ein Acker/ Wiesen/ Haus oder andern Gütern vnd Järlichen Einkommen 5. Gülden vermög rechtmessiger Ordnung/ Inmassen es auff dem Reichstag zu Augspurg/ Anno 30. im Römischen Reich constituirt vnd verordnet/ erkaufft. Solchen Contract als der von gemeinen Rechten/ aus erheblichen billichen Vrsachen/ für ein ordentlichen Kauff erkent/ wissen wir nicht zuverdammen.

im Bedencken von Wucherlichen Contracten vnd Zinßgeld.

2. Θέσις τῦ ἀμφισβητ. LXXVI. Cetertim his ita sepositis sciendum, quod Controversiæ istius Status volvatur in posteriori usuræ specie.

LXXVII. Quæstio igitur est, sicut ex Problemate supra posito apparet:

An homini Christiano bonâ conscientiâ ab aliquibus interdum accipere liceat usuram, id est, annuum censum ultra sortem.

Affirmativa sub condition. LXXVIII. Ad quam quæstionem nos respondemus *affirmatè* sub πυοπολήψει certarum conditionum vel hypotheseon.

LXXIX. Quarum primas sibi vendicat meritò classica & illustris illa hominis in tres gradus statusq; *distinctio*, cui adjungi possunt ac debent aliquot *Regulæ* ex sacrario Caritatis Christianæ depromptæ.

1. Distinctio. LXXX. *Distinctionem* igitur quod spectat: in *primo* utique gradu constituunt *Mendici*, ijq; maximè, qui vel morbi, vel senectutis vitio nihil quicquam sibi labore acquirere valent.

LXXXI. Ad *secundum gradum* pertinent οἱ πένητες, id est, ij, qui & ipsi quidem tenuioris sunt fortunæ, adeoq; subsidij & opis alienæ indigi: integras tamen habent vires corporis, ut necessarium sibi suisque victum & amictum labore manuum, comparare possint.

Tertium

LXXXII. *Tertium gradu* est eorum, quibus *rei familiaris* quidem suppetunt: interim tamen Oeconomiæ, vel alijs honestis commercijs dant operam, quæ ut commodiùs ac majori cum emolumento exercere possint, pecuniam ab alijs mutuò accipere solent.

LXXXIII. *Primum & secundum genus* hominum utrumque ab hac controversia de usuris planè excludimus, iterum atque iterum diserte & aperte profitentes, quòd à neutro eorum usuras exigere liceat.

LXXXIV. Sed hîc rursus de distinctis distinctè dicendum ac docendum breviter.

LXXXV. Nam quantum *Mendicos* attinet: non modò usura, sed sors etiam eis condonanda, ut sic id, quod illis datur, pura puta sit eleemosyna.

LXXXVI. Pauperibus verò secundi generis succurrendum est, ex g mandatorum DEI necessitate, ita, ut tantùm sors: ultra sortem verò planè nihil ampliùs reposcatur.

g *Prov. 3, 27. Matth. 5, 42. Syr. 29, v. 1. & sequentib.*

LXXXVII. De *tertio* saltem hominum *genere* hic disceptatur, an illis mutuo dandum sit, ut ultra sortem nihil ampliùs, pensionis annuæ loco, recipere liceat.

LXXXIIX. Licere hoc dicimus, si *Regulæ* jam sequentes, quæ alterum hypotheseon nostrarum genus constituunt, accuratè observentur. 2. *Regulæ* V.

LXXXIX. Earum *prima* est: Pensio isthæc annua non excedat quantitatem *V. Florenorum*, approbatam autoritate Romani Imperatoris, & Rescripto illo serenissimi Electoris Saxoniæ, quod usitatè appellatur, Das Torgische Ausschreiben. 1

XC. *Secunda*: Habeatur ratio temporis, & summæ, quorum illud longiusculum: hanc grandiusculam; si non semper secundùm Arithmeticam: at secundùm Geometricam certè proportionem, esse convenit. 2

XCI. *Tertia*. Contractus istiusmodi exercere licet ijs maximè, qui ipsi pecunia, ex qua tolâ ipsis vivendum, negociari nequeunt, ut sunt Viduæ, pupilli & alij, qui ad commercia non sunt idonei. Alijs, qui ex usuris saltem vivunt, & ipsi interim nullo in negocio: sed mero in ocio vitam transigunt, patrocinari nolumus. 3

Quar-

4. XCII. *Quarta*, Si qui alij illud moliri velint: hac lege id ipsis licere statuant, ut interim primum & secundum hominum genus ab ipsis non negligatur, sed ut horum major ac potior, quàm illorum, qui sunt tertij generis, ratio habeatur.

5. XCIII. *Quinta*, Si contingat, ut, post initum elocationis contractum, debitor, improviso quodam infortunio, tantum accipiat damnum, ut vix habeat, unde sortem reddat, nedum ut ultra sortem aliquid solvat ampliùs: tum creditor non modò pensionem annuam: sed etiam, pro ratione circumstantiarum, sortem integram debitori condonare tenetur.

XCIV. Idq; jure Dilectionis Christianæ, quam totius hujus negotij magistram & moderatricem esse convenit.

III. *κατασκευὴ V. Rationibus constans.*

XCV. Atq; hæc nostra est de proposito Problemate sententia: consequens est, ut una atq; alterâ lineola, ὡς ἐν τύπῳ, designemus, *Monimenta & munimenta Rationum*, quibus illa nititur & insistit.

1. XCVI. Hic verò primas sibi venditat *illud Apostoli*, quod non Jureconsulti modò: sed Theologi etiam ad præsens institutum accommodant:

2. Cor. 8. *Ne alijs sit relaxatio: Vobis autem afflictio.*

XCVII. His namq; verbis haud obscurè monemur sic in re pecuniaria alijsq; rebus, quibus caritas erga proximum exercetur, versandum esse, ne illi quidem emolumentum: nobis verò detrimentum inde emergat.

2. XCIIX. Deinde huc tendit alter ejusdem *Apostoli locus*, quo postulat ac requirit à parentibus, *ut suis DOMESTICIS MAXIME prospiciant.* 1. *Tim.* 5.

XCIX. Unde consequitur facultates ita, ceteris paribus, tractandas esse, ut potior Domesticorum, quàm aliorum ratio habeatur.

3. C. Accedit insuper *Caritas Christiana*, quæ à se incipit.

4. CI. Cui suffragatur etiam *Ius Naturæ*, cujus summam CHRISTUS hac complexus est regulâ:

Quicquid vultis, ut vobis faciant homines, vos itidem eis facite.
Matth. 7.

5. CII. Quò referri quoq; potest *debitum gratitudinis*, & alia, de quibus tractant alij.

Nobis

CIII. Nobis hæc tantùm ex ſacro ſacratiſſimæ noſtræ diſciplinæ campo breviter libuit decerpere: ſupereſt, ut tranſeamus ad *Objectiones*, quibus contrariæ opinionis aſſertores uti conſueverunt. IV. λύπης ἄνευ πλότων III.

CIV. *Tres* earum maximè ſunt præcipuæ, & reliquis facile palmam præripiunt.

CV. *Prima* texitur ex ijs Scripturæ locis, quibus uſura non modò prohibetur; ſed Diris planè devovetur. 1.

CVI. Ad hanc expedita eſt reſponſio ſuperiuſculè in τῷ θεωρίᾳ.

CVII. *Secundam* mutuantur ex iſthoc pronunciato CHRISTI 2.

Luc. 6.

Imò diligite inimicos veſtros, & benefacite, & mutuum date, nihil indeſperantes. (μηδὲν ἀπελπίζοντες.)

CVII. Committitur autem in iſthac allegatione *duplex* παραλογισμὸς παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἔλεγχε.

CVIII. *Primus* eſt, quia dictum illud non opponitur noſtræ huic ſententiæ, quæ quippe *non primum* & *ſecundum* hominum genus attingit: ſed *tertium* modò, & tamen non ſemper.

CIX. Statuimus enim & ipſi, quòd, pro ratione circumſtantiarum interdum nec ſortem etiam, nedum uſuram vel penſionem annuam, repoſcere liceat.

CX. Illud verò CHRISTI effatum propriè *ſecundum* hominum genus concernit, quibus, urgente neceſſitate, ita ſuccurrendum, ut ne ſorsquidem poſſit ἀπελπίζειν.

CXI. Loquitur enim de ijs, qui τὰ ἴσα reddere nequeunt. Quò etiam ſpectat exemplum publicanorum, qui & ipſi mutuum dare ſolebant, ut τὰ ἴσα reciperent.

CXII. *Alter* eſt, quia particulæ iſtæ: Nihil inde ſperantes, non ad ſolam uſuram referendæ ſunt, ſed ad reſtitutionem ſortis, id quod ex eodem exemplo publicanorum facile apparet.

CXIII. Adde quòd particula NIHIL planè ſit univerſalis non tam uſuram quàm ſortem omnino excludens.

CXIV. *Tertium* petunt ab autoritate Lutheri, qui ſuis in ſcriptis paſſim in uſuras gravissimè invehitur. 3.

CXV. Maximè verò in ſcripto, cui titulum fecit:

Vermahnung an die Pfarherrn/ wider den Wucher zu predigen/

Tom. 7. Ien fol. 372.

CXVI. Verùm enimverò ut ad hanc etiam objectionem respondeatur, *tria* maximè monenda & tenenda sunt.

CXVII. Ac primò quidem *Causa* & *Occasio*, qua motus Theander scriptum istud adornárit.

CXIIX. Eam verò fuisse usuram propriè sic dictam, vel lucratoriam, cunctis legibus damnatam (Wucher in allen Rechten verdampt) ex prima statim pagina appareat.

CXIX. *Secundò scopus* Luthero propositus, qui fuit, ut usuram illam verè nefariam omninò damnaret: pensionem verò annuam idcò, quòd nimio eidem studio inhietur, usq; adeò, ut interim Ecclesia ejusq; Ministri & alij Pauperes planè negligantur.

CXX. Eoq; ipsum respexisse evidens & clarum est, tum ex hoc ipso ipsius scripto fol. 368. tum ex alijs ejus querelis de extrema Mundi ingratitudine erga ministerium, deq; immisericordia in pauperes & egenos.

CXXI. *Tertiò summa* illius scripti, quam Lutherus ipse brevi hoc aphorismo complexus est fol. 376. Summa/ Es ist gnug gesagt/ Das leyhen sol nichts drüber nemen/ vnd sol geschehen NB dem dürfftigen zu dienst oder nutz.

CXXII. Imò videtur ipse etiam eò inclinare, quòd tolerari debeat illa pensio, quæ in casu necessitatis à secundo hominum genere exigi possit, cujus tamen nos in nostra hac Dissertatione mentionem fecimus nullam.

CXXIII. Verba ejus sunt isthæc:

> Kan nun hiezu dienen oder helffen/ das der Keyser Justinianus den Wucher also mässiget/ denen von Adel/ das sie vier floren nemen mügen/ den Kauffleuten acht/ den andern sechs/ vnd dabey spricht/ Er wolle damit die alte/ harte/ schwere Last mässigen/ Kans (sage ich) hieher dienen/ so wil ich gern mit stimmen/ vnd helffen tragen für Gott/ sonderlich/ wo es dürfftige Personen vnd ein nothwucher oder barmhertziger Wucher were.

fol. 380.

Atq;

CXXIV. Atq; hæc sunt, quæ de usuris breviter disputare libuit, non ideò certè, ut usurariorum causam ageremus, eorumq; avaritiæ patrocinaremur. Absit. Contra istud enim, in conspectu DEI & sanctorum ejus angelorum, solenniter protestamur.

CXXV. Simulq; seriò detestamur radicem illam omnium malorum avaritiam, præsertim in ministris Ecclesiæ, quos, ex præcepto Apostoli, non decet esse αἰσχροκερδεῖς. 1. Tim. 3.

CXXVI. Cujus execrandi criminis suspicionem ut à se longissimè abesse doceant, non sint Canes muti; sed avaritiam, hujusq; subolem usuram verbo DEI damnatam, & ipsi damnent intrepidè, proq; concione Auditores oratione gravissimâ inde dehortentur, hac præsertim frigidâ & decrepitâ Mundi senecta, ubi, juxta προφητικὸν CHRISTI, caritas non viget, sed friget ubiq; ferè tota. Matth. 24.

CXXVII. Cur ergo? Dicam uno verbo? Propter *temeras* hominum *conscientias*, quibus facilè ad desperationem via pandi potest, nisi de distinctis ita distinctè disseratur.

CXXIIX. Idem suo quoq; exemplo suadet Lutherus noster in libro jam allegato scribens:

> Aber es ist meines vrtheilens nicht / ohn das ich gerne wolt helffen rathen / damit niemand in Sünd verzweiffeln müste.
>
> fol. 308.

CXXIX. *Qui enim aliquid* temere damnat, & ex eo, quod non per se est peccatum: sed res indifferens, inconsideratè peccatum facit; is æquè οἰκοδομὴν Ecclesiæ interturbat, atq; ille, qui peccata manifesta justo fervore Zeli non audet reprehendere.

CXXX. Sed transeamus tandem ad confine ζήτημα, quod est de *Mendicis*,

III. PROBLEMA.

An Mendicis promiscuè omnibus dandum?

CXXXI. *Tres* sunt Vitæ Ordines, in quibus singulis sunt, quibus dandum.

CXXXII. In *Ordine Ecclesiastico* sunt Ministri Verbi & Scholarii:

Syr. 7, 33. & 35, 11. & seq. Luc. 10, 7. 1. Cor. 9. & sequent. Gal, 6, 6.

CXXXIII. In Ordine *Politico* est Magistratus, cui debentur tributum *Matth.* 22. 21. *Rom.* 13. 7.

CXXXIV. In Ordine *Oeconomico* sunt Pauperes, isque partim *Mendici*, partim *non Mendici*. Haec omnia cuiusmodi.

IV. *Ordines Mendicantium.*

CXXXV. De illis, id est, de Mendicis in proposito Problemate quæritur.

CXXXVI. Ad cujus ἔξάπλωσιν ut via expeditiori progrediamur: præmittenda utique est Distinctio Mendicorum in certos Ordines.

CXXXVII. Quorum *Primus* est eorum, quos *Religiosos* non absurdè appellaveris, eò quod religionis, verius superstitionis, gratia, paupertatem spontaneam voverint.

CXXXVIII. Ejusmodi sunt Ordines *Monachorum Mendicantium*, inter quos hodie primum tenent locum ij, qui à Capucio monstroso nomine monstrosæ suæ sectæ monstrosum cognomen tribuerunt.

NB.

CXXXIX. His nihil quicquam dandum, ne in errore ac superstitione impia, ac Verbi DEI contraria confirmentur.

2.

CXL. *Secundi Ordinis* Mendicos vocare possumus *Otiosos*, id est, qui, licèt ipsis vires Corporis satis vegetæ & vividæ; malunt tamen mendicando, quàm laborando victum sibi comparare.

CXLI. Istis itidem nihil omninò dandum est, ne impingatur in ἀπαγόρευμα *Syracidæ c.* 12, 4. 5. 6. 7.

CXLII. Quò accedunt causæ satis prægnantes, quarum *una*, quòd Otiosi isti vel ἄτακτοι, (ut Apostolus eos appellat) pedibus quasi conculcent sanctissimam DEI Ordinationem, de qua *Gen.* 3, 19. *Syr.* 7, 16. *Thess.* 4, 11. 2, *ad Thess. c.* 3.

CXLIII. *Altera* est, quod isti ardeliones plerunq; etiam sint nebulones, omniumq; scelerum & technarum magistri & architecti non ignobiles.

CXLIV. De quo extat libellus, qui inscribitur *Expertus in truffis*, von der falschen Bettler Büberey / quem Lutherus iterum edidit & præfatione illustri exornavit. *Tom. 4. Ienens. Germ. f.* 381.

CXLV. Hos oppidò coercere debet Magistratus, utque id acri & alacri studio faciat, sæpiùs pro Concione exhortandus est, exemplo

plo Lutheri, *Tom. 4. Ienens. German. fol. jam alleg. item Tom. 5. f. 390. & Tom 2 fol. 382.*

CXLVI. Nec verò quicquam obstat illud DOMINI Luc. 6. *Omni petenti ab te tribue.*

CXLVII. Istud enim Tò OMNI non hoc sibi vult, quòd omnibus promiscuè mendicis dandum sit: sed, ut & scopus & integer contextus clarè ac perspicuè edocet, *falsæ Iudæorum traditioni*, (quæ amicos modò diligendos: inimicos autem odio habendos esse) sibi persuadebant, κατὰ Διάνεγον opponitur, *interprete Luthero locis jam modò citatis ex Tom. V. & VII.*

CXLIIIX. *Tertius* Mendicantium Ordo est eorum, quos vocare libet *Calamitosos*, quò referimus ipsos *Exules*, qui propter confessionem veritatis cœlestis solum vertere jussi.

CXIX. Nec non eos omnes, qui non suâ culpâ: sed vel igni aut alio infortunio rei familiaris jacturam passi.

CL. *Quartus* deniq; Ordo est eorum, quos quis dixerit Morbosos, quibus accensemus eos, quibus ipsa senectus morbus est.

CLI. Quòd Mendicis utriusq; hujus Ordinis posterioris dandum, extra omnem positum est controversiam.

CLII. Ideoque ne absq; adversario pugnare nos velle videamus, & hujus Problematis explicationi Colophonem imponimus.

CLIII. Quo fine & affectu dandum, piè & eruditè explicavit communis noster Præceptor Lutherus, locis paulò antè allegatis, eóq; Theosophiæ Lutheranæ studiosos remittimus.

Τίμιόν ἐστι χρῆσθαι καιρόν τε πλέον.

97

EX DECALOGO
DECADIS TERTIÆ,
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE,

M. SIMONE SALICHIO,
Magdeburgenſi.

Ad 14. Aprilis Anno 1610.

IV. PROBLEMA.

An homini Chriſtiano liceat cauſam ſuam in foro coram Magiſtratu politico agere?

I.

Falſa Anabaptiſtarum opinio.

HOc ut ventilemus ζήτημα neceſſitatem iterum nobis imponit factio Anabaptiſtarum, cujus, Avorum noſtrorum memoria, Autor & Dux extitit fanaticus ille *Munzerus*, quem Heros ille θεόσυτον καὶ θεόπεμπτον Lutherus ſuis in ſcriptis: ſpiritum Alſtedenſem appellitare ſolet.

II. Inter alia verò quæ circumferunt ac diſſerunt deliria, iſtud quoq; non eſt poſtremum, quòd negant, licere homini Chriſtiano injuria affecto officium Magiſtratus politici implorare, ſuamque coram eo cauſam agere.

III. Quod ut obtineant aliquas ex Scriptura congerunt conſeruntque Ratiunculas, ad quas brevi leviq; negotio, reſponſiones expediri queunt.

IV. Sed antequam ad falſitatis ἀνασκευὴν nos accingamus: veritatis utiq; κατασκευὴν prædelibare præſtat.

Aſſertio vera per Regulas.

V. Noſtram igitur de iſthoc themate Aſſertionem veram, hiſce Regulis breviter comprehenſam, exhibemus.

Prima

VI. *Prima* est, ut, quantum fieri possit, omnis litigiorum causa antevertatur, juxta illud Rom. 12. 6.

Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace vivite.

VII. 2. Diligenter distinguendum est inter injurias, quæ *personam* & quæ *officium attingunt*. 2.

VIII. 3. *In illis* faciliores esse possumus, imò debemus: in his minùs. 3.

IX. 4. Proindè si injuriæ, quæ personam nostram concernunt, non admodum sint atroces, famamq; & existimationem nostram non imperant: consultius est & Christiano homine dignius, eas potiùs mussitare, quàm cum Adversario odiosè & ociosè concertare, juxta consilium *Syr. 6. 10, 6. & 6. 19, 6. & seq.* 4.

X. 5. Sin verò injuriæ fuerint atroces, & vel famam nominis, vel officij autoritatem afficiant, quid tum faciendum? 5.

XI. 6. Tentetur an fieri possit, ut res illa inter privatos quosdam arbitros componatur. 6.

XII. 7. Sin minùs videndum est, an injuriæ illæ modo medioq; justo ac legitimo possint coram Magistratu vindicari. 7.

XIII. 8. Si non possunt; modestè ac patienter ferantur, ex præcepto Apostoli: 8.

1. Cor. 6. *Cur non potiùs injuriam patimini?*

XIV. 9. Sin verò commodè possunt: deferantur injuriæ ad Magistratum, ejusq; judicio tota causa committatur. 9.

XV. 10. Quando jam ad disceptationem causæ perventum fuerit: affectus compescantur sedulò, & agatur ἄνευ παθῶν; sicut litigantes olim in Areopago voce Præconis publica præmonebantur. 10.

XVI. 11. Causæ adversemur quantum licet, eo fine, ut nos & nostra tueamur: personæ verò minimè, juxta illud tritum: Der sachen feind/ der Personen freund. 11.

XVII. 12. Φιλάνθρωπα semper anteferatur τῷ ἀκριβοδικαίῳ. Verum enim est, quod vulgo dicitur: *Summum jus summa injuria.* 12.

XVIII. 13. Caveatur, ne lis ex lite seratur, utq; omnes ab actione fraudes & insidiæ absint. 13.

XIX. Hæc est brevis nostræ, de hoc etiam problemate sententiæ ἀπολογία

complectens

τὶν στοιχειωσίαν: cui ut appingamus unâ atq; altera lineola ἀπολογίαν, veritatis asserendæ ratio flagitat.

XX. Constabit autem hæc partim *Dictis*, partim *Exemplis*, partim *Argumentis* Scripturæ.

1. Dicta.

XXI. *Dicta* Scripturæ partim in *Veteri* Testamento extant: partim in *Novo*.

XXII. Dicta *Veteris* Testamenti sententiam hanc nostram nostris hominibus confirmantia, sunt hæc sequentia:

Exod. 22. *Ad* אֱלֹהִים *ut uterq; causa perveniat.*

Deut. 19. *STABUNT AMBO, quorum causa est coram DOMINO in conspectu judicum.*

Deut. 25. *Si fuerit causa inter aliquos accedent ad judices.*

XXIII. *Ex Novo* Testamento huc referri possunt ac debent, authenticæ Apostolicæ, quibus Magistratui Politico commendatur vindicta sic exercenda, ut improbis τιμωρία: probis verò λύμη decernatur.

Rom. 13, 4. 1. Pet. 2, 14.

XXIV. Quod ut fieri possit necessum est, ut injuriæ ad Magistratum deferantur, ejusque officium summè venerandum imploretur.

2. Exempla.

XXV. Inter *Exempla* maximè ἀξιομίμητα sunt hæc *tria* potissimùm; quæ tanquam in tabellula quadam coloribus suis distincta exhibemus.

XXVI. *Primum*, idque omnium longè sanctissimum est illud CHRISTI, qui injustè percussus à Servulo summi Pontificis, ad legitimam causæ cognitionem provocat. *Ioh.* 18, 23.

XXVII. *Secundum est* Pauli Apostoli, qui *a* ad jus Romanum provocat, seq; *b* contra Ananiam jure tuetur *c* suam item causam contra Judæos cum ipso contendentes defendit; *d* imò Cæsarem ipsum tandem appellat, ejusq; se judicio sisti petit.

a. *Actor.* 22, 29. b *c.* 23, 3. c *cap.* 25, 8. d *c.* 25, 11.

XXVIII. *Tertium est* Viduæ illius, quæ ad propulsandam injuriam ab adversario sibi illatam judicem interpellat, quæ res CHRISTO adeò placuit, ut parabolam isthinc mutuari non dubitarit.

Luc. 18.

XXIX. *Argumenta* ex Scriptura texere licet itidem *tria*.

Ac

XXX. Ac *primum* quidem ex *Iure Naturæ*, quod ab e Apostolo ἀλήθεια καὶ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ. appellatur, interq; alia dictat: ut quis, ad sui defensionem, jus suum jure persequatur.

e *Rom.* 1, 18. 32.

XXXI. *Secundum ex natura relatorum* sic formari potest:

Si Scriptura legitima approbat judicia: approbabit utiq; & ipsa actiones & disceptationes causarum in foro legitimas.

Sed verum est prius, ut liquet ex thesi XXIII.

Ergò & posterius.

XXXII. *Tertium* deduci potest ex gnome isthac generali.

Non est Confusionis (ἀκαταστασίας) autor DEVS: sed pacis.

1. Cor. 14.

XXXIII. Inde namque facilè nulloq; negocio colligi potest, quòd Deus velit juxta leges lites & controversias dirimi & coerceri: ut ἀκαταστασία declinetur, pax verò & tranquillitas sanciatur & conservetur.

XXXIV. Tantillum de hoc etiam Problemate, Testimonia Scripturæ, quibus Anabaptistæ suam ἐπεφδοξίαν sepire & suffulcire conantur, explicata sunt in *tractatione Problematis V. Decadis II. à thesi 70. usq; ad 81.*

V. PROBLEMA.

An omne indiscriminatim mendacium in Scriptura sit prohibitum & proinde peccatum?

XXXV. Hoc ut problema sub disputationis incudem vocemus: movent nos controversiæ inter orthodoxos etiam Patres de eodem olim agitatæ. ἀφορμὴ.

XXXVI. Imprimis autem inter duo illa Chori illius sacratissimi lumina & columina: *Hieronymum* puta & *Augustinum.*

XXXVII. *Hieronymus* contendit: licere interdum in proximi commodum mentiri.

XXXVIII. Ita enim commentatur in *versum* 14. *cap.* 2. *Epist. ad Galatas:*

Quod autem ait, reprehensibilis erat, propterea mediè temperavit, ut intelligamus non tam Paulo eum fuisse reprehensibilem, quàm

bis fratribus, cum quibus antecedens se ab eò postea separabat.
Utilem verò simulationem, & assumendam in tempore *Iehu Regis Israel nos doceat exemplum, qui cum non potuisse interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere, dixit: Congrega mihi omnes Sacerdotes Baal, si enim Achab servivit Baal in paucis, ego serviam in multis. Et David quando mutavit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum & abijt.* Nec mirum, *quamvis justos homines, tamen* aliqua simulare pro tempore ob suam & aliorum salutem, *cum & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumserit, ut condemnans in carne peccatum, nos in se faceret* justitiam Dei.

Tom IX. f. 168.

XXXIX. Qua in re vitus fuit Hieronymus secutus opinionem *Origenis*, qui & ipse, ex sententia *f Platonis*, permittebat sapienti bonoq; viro mendacium, modò salutare ijs, quorum causa fieret.

f *in dial. de justo.*

XL. *Augustinus* verò contradixit Hieronymo, ejusq; sententiam perstrinxit & redarguit in Epistolis eo nomine ad ipsum exaratis.

XLI. Sic enim scribit *Epistola prima*:

Legi etiam quædam scripta, quæ tua dicerentur, in epistolas Apostoli Pauli, quarum unam ad Galatas, *cum enodare velles: venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus à perniciosa simulatione revocatur.* Ibi patrocinium mendacij susceptum esse, *vel abs te tali viro, vel à quopiam. si aliter illa scripsit, fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur, si forte refelli possunt, ea quæ me movent.*

Tom. II f. 331.

XLII. Et *sequenti Epistola* eandem Camarinam hisce verbis movet:

In expositione quoq; Epistolæ Pauli Apostoli ad Galatas, *invenimus aliquid, quod nos multum moveat. Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint, velut* officiola mendacia, *quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosa falsitatis subruatur improbitas? statim enim ut protuleris, si aliter sapit, qui contrà nititur,*

dicet

licèt illud quod prolatum erit honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum.

ibidem f. 333.

XLIII. Sed antequam ad decisionem illius Controversiæ nos accingamus, ὡς ἐν προθεωρίᾳ prædelibanda venit *distinctio* illa mendacij πολυθρύλλητος: in Jocosum, Officiosum, Perniciosum. I.

XLIV. Cujus primus autor & inventor fuisse censetur idem Augustinus, uti apparet ex *Enchiridio ad Laurentium c. 22. & alibi.* *Mendacij in tres species.*

XLV. Usurpatur aliàs illa ψευδολογίας τριχοτομία à Scholasticis, ut *Lombardo*, qui sic scribit:

Libr. III. Dist. XXXVIII. I. A.

Sciendum tamen tria esse genera mendaciorum, sunt enim mendacia quædam pro salute, vel commodo alicujus non malitia, sed benignitate dicta, qualiter obstetrices mentitæ sunt & Rahab. Est & aliud mendacij genus, quod fit jocis, quod non fallit. Scit enim cui dicitur, causa joci dici, & hæc duo genera mendaciorum non sunt sine culpa: sed non cum magna, &c. Tertium verò genus mendacij est quod ex malignitate & duplicitate procedit, cunctis valdè cavendum.

XLVI. De mendacio *perniciosо*, vel, ut alij illud appellant, vitioso, nulla est controversia. Nemo enim est, qui neget, illud esse peccatum, Octavo Decalogi præcepto, gravissimè prohibitum.

XLVII. De *jocoso* & *officioso* mendacio res non est ita plana. Ut autem plana evadat, tenendum utiq;, quod ad definitionem mendacij, sacris in literis prohibiti, hæ sequentes quatuor conditiones requirantur, quæ à *Chemnitio* ex Patrib. & scholasticis collectæ *Tom. II. L. 6. fol. 134.* 1. 2. 3. *Mendacij propriè sic dicti conditiones.* 4.

XLVIII. Quarum, *prima, ut falsum dicatur*, ut patet ex præcepto octavo, ubi non quodvis testimonium prohibetur: sed falsum.

XLIX. *Secunda, ut iste fiat corde duplici*, id est, ut aliud ore exteriùs proferatur, aliud verò in corde interiùs clausum geratur, quo fit, ut λόγος προφορικὸς à λόγῳ ἐνδιαθέτῳ discrepet, dissonetque, & sic oriatur orationis & mentis inæqualitas.

L. Hebræi appellant istud [g] לֵב וָלֵב דִּבֶּר *duplici corde loqui*, Unde & [h] Jacobus sua in epistola epitheton δίψυχος mutuatus est.

g *Psal.* 12, 3. h *cap.* 1, 8.

LI. Tertia, *ut adsit intentio fallendi.* Quam conditionem reliquis adjungit Augustinus, scribens:

Mendacium est falsa significatio vocis, cum voluntate fallendi, &c.

Lib. contra mendacium ad Consentium cap. 12. *in fine, itemq; in Enchirid. cap.* 18.

LII. *Quarta*, ut, hæc si abfuerit, dicatur illud, vanitatis studio, ob nullum honestum & licitum finem; sed alterius tantùm delectandi gratia, contra *h παραίνεσιν* Apostolicam, *i* gravemq; CHRISTI sententiam.

h *Eph.* 4, 29. *cap.* 5, 4. i *Matt.* 9. 51.

Applicatio Conditionum.

LIII. Ex his quatuor mendacij verè ac propriè sic dicti conditionibus seu *προκειμένοις*, (NB.) *in octavo Decalogi præcepto stabiliter fundatis, & inde extructis*) facilè potest peri judicium de exemplis, quæ vel in Scriptura memoriæ prodita extant, vel in communi vita sese offerunt.

LIV. Quibus itaq; non tantùm prima & secunda: sed etiam vel tertia, vel quarta mendacij conditio simul competit: ijs, ut & ipsa definitio peccati competat, necessùm est, quocunq; demum nomine illa ornari & insigniri soleant.

LV. Quibus verò vel nulla, ex istis conditionibus tribui potest, vel certe, nec tertia, nec quarta: ijs quoq; nec nomen nec definitio peccati verè ac proprie potest tribui.

LVI. Ex quo clarum & evidens est, quòd nec parabolæ nec fabulæ, quarum illis *i* CHRISTUM: his *k* alios quosdam in Scriptura usos esse legimus, sub mendaciorum cenlu contineantur.

i *Matth.* 13, *& alibi*, k *Iud.* 9. 2. *Sam.* 12. 2. *Reg.* 14.

LVII. Illas præsertim quod attinet, quæ à genuina mendaciorum indole tam longè utrìq; absunt, ut nihil aliud sint, quàm veritatis repræsentatio, sub similitudinum involucris.

LIIX. Unde *Varinus*: Παραβολὴ, inquit, *προθεσίς ἐστιν ὁμοιωματικὴ, ὅπὶ σαφηνείᾳ τῶν ὑποκειμένων.* Item: Παραβολὴ ὅτι *προθεσις πλησιων πραγμάτων προθέσις ἐχουσα ἀμφιπόδοσιν τῳ ἀπὸ τῶ προκειμένῳ πράγματος.*

LIX. Ex iisdem fundamentis extrui & educi potest & istud *πόρισμα*, quòd ea Sanctorum facta, quæ vulgò pro Officiosis mendacijs

dacijs venditari solent, ἀνελέως loquendo, pleraq; non sint mendacia: sed occultatio potius veritatis, propter justam & honestam causam adhibita, quæ tamen non temere imitanda; quandoquidem & Sancti suos habent nævos & infirmitates.

LX. Hinc Augustinus de facto Obstetricum Exod. 1. scribit:

Vivos conservare natos opus fuit misericordiæ: at pro vita suâ mentitas esse opus erat infirmitatis.

LXI. Quatenus autem occultatio illa homini Christiano liceat: sua cuiq; dictabit conscientia, quam hac in re magistram & monitricem nobis præficit Syracides, dum ait:

Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis.
Amico & inimico noli narrare sensum tuum, & si est tibi delictum, noli denudare.

Lutherus intelligenter vertit:

Offenbars nicht (NB) wo du es ohne böse Gewissen thun kanst. cap. 19.

LXII. Et sic generalia & universalia Problematis hujus ἐξηγήματα breviter delibavimus, quæ tamen ejusmodi, ut inde Hieronymus atq; Augustinus facilè conciliari, simulque ἀνταφέγματα quæ vulgo contrà afferri solent, eâdem operâ solvi & dilui queant.

LXIII. Specialia vel potiùs singularia reservamus in ipsum Disputationis actum, ubi commodiùs evolvi & explicari possunt, quàm in generali hac σχιογραφία, quæ ejusmodi singularia non recipit & admittit.

VI. PROBLEMA.

An omnis delatio sit in vitio?

LXIV. Delationem *Latinis* à deferendo dictam esse per se patet. *Nominis ratio.*

LXV. *Hebræis* deferre est דָּגַל, quod cùm דֶּגֶל, id est, pedibus detulit cognationem non obscuram habet.

LXVI. Geneseos c. 37, 2. Moses verbo בּוֹא in Hiphil usus est.

וַיָּבֵא יוֹסֵף אֶת־דִּבָּתָם

Et fecit venire, id est, detulit Joseph infamiam eorum.

LXVII. *Græcis* delator dicitur μηνυτὴς, & μηνύτωρ, unde μήνυμα & μήνυσις delatio, ἀπὸ τοῦ μηνύειν, quod est secreta & occulta patefacere.

Differt

Distinctio. LXVIII. Differt delatio ab obtrectatione, calumnia, convicio, &c.

LXIX. Hæc enim singula & universa semper sunt in vitio: Delatio verò non semper in vitio est: sed persæpe laude & commendatione digna.

LXX. *Duplex* enim delatio usitatè constituitur: *licita & honesta* una: *illicita & inhonesta* altera.

LXXI. *Inhonesta* cum obtrectatione ac proditione coincidit & sicut causa honesta; ita & fine honesto medijsque honestis destituitur.

LXXII. *Honesta* verò contrà tum causa honesta, tum fine honesto, tum medijs honestis constat.

LXXIII. *Causa honesta* est, quando non innocentes & boni, sed nocentes & mali deferuntur, &c.

LXXIV. *Finis honestus* vel est *privatus* vel *publicus*.

LXXV. *Publicus* est, ut disciplina, & salus publica conserverur, delatis ad magistratum nominibus eorum, qui eandem pessum & eversum eant.

LXXVI. Quo fine in Republica olim Romana Censores habebantur.

LXXVII. *Privatus* finis est, ut id vel periculi alicujus evitandi, vel peccatoris emendandi studio fiat.

LXXVIII. *Media honesta* sunt, Viri honesti, quorum fides & integritas spectata.

LXXIX. Vigilandum igitur & *Magistratui & Privato*.

LXXX. *Magistratui*, ne provinciam isthanc cuivis committat, sed ijs, quorum fidem perspectam, vel arctiùs certè sibi devinctam habet.

LXXXI. *Privato*, ne cuivis deferenti facilè fidem adhibeat: sed ἀπιστίαν σώφρονα usurpet, ex præcepto Syracidæ *c.* 19, 15.

Assertio. LXXXII. Talem delationem licitam & extra vitium esse sta-
Ejus Rationes tuimus, subsequentibus hisce edocti & persuasi Rationibus:
VI. LXXXIII. Quarum *primam* eamq; potissimam extruimus ex
1. *Exemplis* Scripturæ ab ipso Spiritu sancto commendatis, ut:

LXXXIV. 1. *Iosephi*, qui ad Parentem fratrum infamiam (ψόγον πονηρὸν verterunt septuaginta) detulisse scribitur *Gen.* 37, 2.

Davi-

LXXXV. 2. *Davidis*, qui dum Absolonem fugeret, Cusai, Zadocum, & Abjatharem Exploratores Hierosolymis relinquebat. 2. Sam. 16.

LXXXVI. 3 *Pauli ex Sorore Nepotis*, qui Judæos, qui in necem Pauli conjurarant, Paulo & Magistratui significasse celebratur. Actor. 23.

LXXXVII. *Domesticorum Chloes* quos dissidia & peccata Corinthiorum ad se detulisse testatur Apostolus 1. Cor. 1.

LXXXVIII. *Secundam* rationem mutuamur ex *illo Pauli* Præcepto, quo vult & exigit, ut controversiæ fidelium ad fideles deferantur. 1. Cor. 6. 2

LXXXIX. *Tertiam è genere* sic texere licet:

Si omnis honesta accusatio licita est & concessa: utiq; etiam delatio, qua illius species, &c. 3.

XC. *Quartò* accedit insignis istius rei *utilitas*. Claret enim tum ex Historijs, tum ex communi Experientia, quòd hac ratione factum, ut magnis sæpè malis jam jam imminentibus obviam itum, ac præventum fuerit. 4

XCI. *Quintò* suffragantur nostræ huic sententiæ *Iura* etiam *Civilia*. 5

XCII. Sic enim scribitur:

Irb. 1. Tit. 6. de Episcopis & Cler. L 28.

Nec delatoris nomen suspicionemq; formident, cum fides atq; industria eorum tam laude quàm honestate non careat, ac pariter pietate, cum veritatem in publicas aures, & lucem deduxerunt.

XCIII. Quò etiam referas licet Exemplum Constantini Imperatoris, de quo traditur, quod delatores omni tempore admiserit, eosq; ingenti studio foverit. *Admonitio de Rationibus in Contrar.*

XCIV. *In Rationibus*, quæ in contrarium adducuntur plerisq; omnibus est paralogismus ὃ διὰ τὴν ἄγνοιαν ἔλεγχος.

XCV. Non enim honestam attingunt delationem, quam nos asserimus: sed illam alteram maximè inhonestam, quam & nos damnandam & ex Orbe Christiano proscribendam esse censemus.

Ex

EX DECALOGO
DECADIS TERTIÆ,
Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE,

M. MARTINO TITIO
Quedlinburgensi Saxone.

Ad 21. Aprilis Anno 1610.

VII. PROBLEMA.

An sint duæ distinctæ species concupiscentiæ, quarum una IX. altera X. Decalogi præcepto prohibitæ?

I.

Φορμὴ. QUòd, inter alia, & istud de distinctione Concupiscentiæ Problema, in hunc ἐξεργυμνασμάτων nostrorum circum, ἐν τῷ παρόντι, producimus: id facit Spiritus *Carolstadiani* importunitas.

II. Istius enim instinctu, *Quidam καινοτομῦντες*, ex Gente Sacramentaria, nonum ac decimum Decalogi præceptum in unum contrahunt, simulq; hoc pacto distinctas Concupiscentiæ species in unum promiscuum chaos insciтè & imperitè conglobant & confundunt.

III. Idq; eum modò ob finem, ut τὸ θρυλλούμενον illam præcepti I. de non faciendis Sculptilibus, ut peculiare præceptum Ecclesiæ obtrudant, sicq; centunculos sibi parent aliquos, quibus putidam & infelicem suam εἰκονοκλασίαν pallient, & obvelent.

Assertio veritatis per thesses V.

IV. Nos contra nitentes ὀρθοδοξίαν nostram distinctè & perspicuè rotundis & succinctis hisce thematis inclusam in apricum proferimus.

V. 1. *Una est concupiscentia & τοῦ ψεύδους & communis objecti ratione.*

Non

VI. Non enim æquè, ut peccata, contra cætera Decalogi præcepta designari solita, ἀντικείμενον adæquatum, vel γένος quoddam ἀφωρισμένον obtinet: sed, per omnia pariter cæterorum Decalogi præceptorum, posterioris præsertim tabulæ, objecta vagatur.

VII. Et hoc ipsum sibi vult, istud περιθήκης μέρος sub finem X. præcepti: *Et omnia quæ illius sunt.*

VIII. Cui consonat & respondet & istud CHRISTI ἐπεισόδιον, quo suam materiæ hujus de Concupiscentia ἐξήγησιν, exemplo VII. præcepti, illustrari ceptam, præscidit & abrupit,

καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι,

Marc. 4, 19.

IX. Idem haud obscurè innuere voluit ipse μέγας ὁ θεόλογος, sicut ab Eusebio appellatur, Moses videlicet; dum attributa Concupiscentiæ IX. & X. præcepti in Exodo, invicem permutavit & confudit in Deuteronomio *cap. 5.*

X. Huc etiam pertinet, quòd *a* Gentilium Doctor generali τῆς ἐπιθυμίας καὶ τῆς ἐπιτυμεῖν vocabulo rem isthanc, *sine ulla ad objecta specialia restrictione*, designet, imitatus *b* Mosen, qui & ipse generali verbo חָמַד usus.

a Rom. 7, 7. 8. c. 13, 9. *b Exod. 20, 17.*

XI. 2. *Interim tenendum, quòd duæ sint distinctæ Concupiscentiæ species, respectu duplicis modi vel actûs concupiscendi.* 2.

XII. 3. *Altera usitatè appellari consuevit* Concupiscentia Originalis: *Actualis altera.* 3.

XIII. Alij Scholasticis utentes terminis illam *actum primum*: hanc *actum secundum* vocant. Hieron. illam περιπάθειαν: hanc πάθος appellat.

XIV. *Originalis* concupiscentia propriè dicitur prava illa naturæ corruptæ inclinatio subindè proritans hominem ad malum. e sti; ἀπρόαιρετος, id est, non conjuncta cum Voluntatis consensu.

Gen. 6, 8. c. 8, 2. Rom. 8, 7.

XV. *Actualis* verò Concupiscentia, est quasi fructus Concupiscentiæ Originalis, qui tum existere solet, quando πρόαιρεσις & delectatio accedit.

XVI. 4. *Originalis Concupiscentia prohibita est præcepto decimo: Actualis autem præcepto nono.* 4.

5. XVII. 5. *Et proinde præcepta illa recte invicem, in Catechesi Lutheranâ distingui, non modò affirmavimus: sed etiam confirmavimus suprà Disputatione prima.*

Fundamenta Assertionis V.

XVIII. Hic jam *fundamenta* nobis collocanda sunt, è quibus nostra istha*æc* Concupiscentiæ distinctio extructa.

I. XIX. Inter hæc verò πρωτεῖαν meritò & jure optimo sibi vendicat, *autoritas Iacobi*, qui & ipse duplicem facit ἐπιθυμίαν, quarum unam appellat συλλαβοῦσαν, id est, *Concupiscentem*: alteram τίκτουσαν, id est, *parientem* peccatum. *c. 1. 14.*

II. XX. *Secundo* loco ponimus ἔμφασιν & ἐνέργειαν verborum, quibus Hebræa in lingua usus est Vir Dei Moses.

XXI. *Exod.* 20. Repetit verbum חָמַר binâ vice: bis dicens, & inculcans:

לֹא תַחְמֹד & iterum לֹא תַחְמֹד; idq; non absque emphasi singulari & manifesta.

XXII. Ecquid enim hac ejusdem verbi ingeminatione subinnuere voluit aliud: quam geminam concupiscentiæ speciem, in gemino concupiscendi modo & actu consistentem?

XXIII. Vel, quòd non tantùm una sit concupiscentiæ species actualis dicta, quam Ratio etiam scit & intelligit peccatum esse: sed insuper etiam altera quædam, Originalis appellata, quam Ratio non agnoscit neq; habet pro peccato.

XXIV. Ut autem Oratio JEHOVÆ profundiùs penetraret animos nostros, nosque simul ad profundiorem Concupiscentiæ istius profundè in nobis abscondit considerationem commoveret: idem illud verbum, non absq; affectu & vocis elevatione, repetit & inculcavit.

XXV. Et sanè inesse talem δεινότητα Repetitionibus, id est, vim quandam singularem movendi, ex Rhetorum præceptis abundè constat.

XXVI. Cæterùm *Deut. c. 5.* Moses disertiùs & apertiùs mentem JEHOVÆ declarans, in recitatione decimi præcepti usus est verbo תִּתְאַוֶּה in conjugatione Hithpael, quod propriè significat *seipsum facere avidè concupiscere, seipsum ad concupiscendum irritare originaliter.*

XXVII. Quo significato, digito quasi indice monstratur fons

&c.

& radix concupiſcentiæ, peccatorumq; & malorum omnium, connata nimirum & originalis concupiſcentia in ordinata, quam Paulus κατ' ἐξαίρετον appellat ἐπιθυμίαν κακὴν Col. 3, 5.

XXVIII. Quod igitur repetitione verbi חָמַד in Exodo rectè inſinuatur illud in Deuteronomio propria ſignificatione verbi הִתְאַוָּה apertè declaratur.

XXIX. *Tertium* locum inter fundamenta aſſertionis noſtræ tribuimus *doctrinæ* de Concupiſcentia *à Paulo* traditæ & explicatæ *Rom. 6. & 7. Gal. 5.* III.

XXX. Ibi enim accuratè diſtinguit inter Originalem & actualem concupiſcentiam, idq; tribus potiſſimùm modis.

XXXI. Ac *primò* quidem, dum in Epiſt. ad *Rom. 6*, 12. & ad *Gal 5*, 16 diſcrimen facit inter concupiſcentiam, & obedientiam, qua deſiderijs carnis præbetur aſſenſus.

XXXII. *Deinde* dum, in Epiſtola ad *Rom. c. 7.* diſtinguit 1. inter peccatum, & concupiſcentiam à peccato (ſcilicet originali) genitam, *verſu* 8: 2.

XXXIII. 2. Inter ἁμαρτίαν ἐνοικοῦσαν, vel νόμον ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς, & inter concupiſcentiam κατὰ προαίρεσιν in actum erumpentem *à verſu* 15. *uſq; ad* 24.

XXXIV. Idem *denique* idem Apoſtolus comprobat, dum ait *verſ.* 7. ſe neſciſſe concupiſcentiam eſſe peccatum, &c. 8.

XXXV. Iſtud enim de concupiſcentia actuali cum conſenſu voluntatis conjuncta, intelligi non poſſe, vel inde conſtat, quòd talem concupiſcentiam Ratio & Philoſophia etiam pro vitio agnoſcat, ſicut claret, vel ex illo vulgari:

Πάντων μὲν πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμία ἐστίν.

Nec non ex hoc Juvenalis:

Nam ſcelus intrà ſe tacitum, qui cogitat intrà,
Facti crimen habet.

Satyr. 13.

XXXVI. Relinquitur igitur, quòd illa Apoſtoli ὁμολογία, accipienda ſit de concupiſcentia originali, quam nec Philoſophi nec Phariſæi pro peccato habuerunt unquam.

XXXVII. Et, per conſequens, patet, non unam ſed geminam eſſe concupiſcentiæ ſpeciem.

IV. XXXVIII. *Quartò* in ordine accedit *συγκαταψηφισμὸς* Augustini, qui expressè docet: IX. & X. Decalogi præcepta differre *in peccando*, id est, respectu modi & actus concupiscendi. *q. 77. in Exod.*

V. XXXIX. *Quinto & ultimo* loco *ἐπισαγματικῶς* attexi possunt ac debent causæ, ob quas prohibitioni Originalis peccati sedes quædam propria & Ordinaria in Decalogo assignanda.

XL. Ex verò ad *duplicem* hanc necessitatem referri possunt.

XLI. Quarum *prior*, ut concione legis quoq; comprehendantur Sancti, sicq; Catholicis illis Scripturæ *ἐγκλήμασι ἢ κατηγορήμασι ἀμεταπτώτοις* & constet veritas & certitudo.

Rom. 3. *OMNES PECCAVERUNT & destituuntur gloriâ DEI.*

Gal. 3. *Conclusit Scriptura OMNIA sub PECCATUM, ut promissio, ex fide IESU CHRISTI daretur credentibus, &c.*

XLII. *Posterior* est, ut derrahatur laus perfectionis operibus renatorum, & ita omnis excludatur gloriatio (NB) in solidum tribuenda DEO *δεχηγῷ καὶ τελειώτῃ* salutis nostræ.

XLIII. Et tantum de hoc Problemate: quod proximè excipit alterum istud illi perquam affine, &, ut Philosophi vocabulo utamur, *σωρίτης*.

VIII. PROBLEMA.

An Concupiscentia sit peccatum?

XLIV. Hanc in renatis & baptizatis peccatum esse, negat tota Synagoga Romanensium Cacolyca, & Apostatica.

XLV. Ita enim Patres *Concilij* illius *Tridentini* ebuccinant, deromanique:

Concupiscentiam in baptizatis reliquam, quam Apostolus aliquando peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari; quod verè ac propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat.

Sess. V.

XLVI. His Calculum perquam crassum adjicit Agminis Ignatiani Δαιδαλος & Bellarminus:

Asserimus igitur, inquiens, *naturæ corruptionem sive concupiscentiam, qualis*

qualis manet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum Originis: non solùm quia non imputetur: sed etiam quia imputari non potest, cùm nullum sit ex se & suâ naturâ peccatum.

lib. V. de amissione gratiæ, & statu peccati. c. 7.

XLVII. Nos, ut nodum hunc paulò intricatiorem feliciùs & faciliùs extricemus, primò omnium Statum controversiæ distinctiùs proponendum & exponendum esse magnoperè censemus. *Status Controversiæ pertinens proponendus.*

XLVIII. Idq; per ἀφαίρεσιν τῶν μὴ ζητουμένων, & θέσιν τοῦ ζητουμένου breviter & perspicuè. ἀφαίρεσιν τῶν μὴ ζητουμένων.

XLIX. *Primò* igitur in disceptationem hanc minimè cadit, an post Baptismum in renatis remaneat concupiscentia. 1.

L. Istud enim utrinq; in confesso est & ἀναμφισβήτητον, quemadmodum, ex testimonijs Adversariorum jam modo allegatis, satis apparet.

LI. *Deinde* hîc non propriè quæritur de concupiscentia Φυσικῶς: sed ἠθικῶς considerata, & quidem rursus non ἀκρίτως καὶ ἁπλῶς: sed κριτικῶς, id est, respectu Legis moralis, (ad quam non tantùm actiones externæ: sed etiam ὁρμαὶ vel impetus interni, tanquam ad regulam divinitus præscriptam, examinandi) quatenus motu inordinato vel circa objectum, vel circa modum vel circa finem inde discrepat & deficit. 2.

LII. *Adhæc* extra omnem disputationis aleam positum est, concupiscentiam, cujus desiderijs non repugnatur, sed obeditur peccatum esse verè ac propriè sic dictum. 3.

LIII. *Præterea* isthic non vocatur in quæstionem: an reliquiæ Concupiscentiæ in renatis, quatenus renatis, non imputentur: sed condonentur ipsis, per & propter Filium DEI IESVM CHRISTVM fide apprehensum. 4.

LIV. Qui enim contrarium defendere & contendere vellet: is in os obloqueretur Magno illi Gentilium Doctori, qui disertâ & sonorâ voce pronunciat:

Nihil esse condemnationis in his, qui sunt in IESV CHRISTO.

Rom. 8

LV. Verùm enimverò in hoc omnis συμπάθειας istius cardo vol- & θέσιν τοῦ ζητουμένου.

An concupiſcentia inordinata, etiamſi cum conſenſu & approbatione voluntatis non conjuncta, nihilominus tamen in renatis, ſuapte natura in ſe ac per ſe non ſit propriè peccatum, ſed pœna tantùm vel cauſa peccati.

LVI. Ad utramq; iſtius ζητήματος partem *Romanenſes* reſpondent *Affirmatè*, ſicut ex ipſorum placitis paulò ante allegatis patet.

Præſidia pro Negativa.

LVII. Nos verò *Negativam* utrinq; tenemus invictis & inexpugnabilibus muniti & circumſepti præſidijs, ex Armamentario Spiritus Sancti inſtructiſſimo, depromtis.

LVIII. Ac primò quidem iſtud evincimus ex *Nomine peccati*, quod in ordinaria iſtius doctrinæ ſede, concupiſcentiæ in renatis reliquæ, etiam tum, quando non regnat, ab Apoſtolo tribuitur.

LIX. Idq; non ſemel fit, ut ei obiter tantùm hæc appellatio excidiſſe videri poſſit: ſed aliquot diſtinctis vicibus, & quidem tali addita ἐξηγήσει, ex qua luculenter effulget vocabulum peccati ab Apoſtolo in propria ſignificatione accipi.

LX. Ad *Rom.* 6. ad minimum *quinquies* appellatur peccatum.

LXI. Ad *Rom.* 7. ad minimum *ſexies cap.* 8. *ter*, *Pſal.* 32. dicitur *peccatum Sanctorum*, ad Hebr. 12. ἁμαρτία, εὐπερίστατος, &c.

Legatur Chemnitius in Examine Concilij Trid. in Diſp. de Concupiſc. mihi f. 96.

LXII. 2. Ex *prohibitione* Decalogo expreſsè inſertâ ſic inferimus:

Quicquid in Decalogo vel Lege Divina eſt prohibitum: illud verè eſt peccatum. Atqui Concupiſcentia, de qua hic diſceptatur, prohibita eſt in Decalogo.

Ergo, &c.

LXIII. *Major* ἀμεταπλώτος eſt & ἀνυπεύθυνος, & ſi non eſſet, facilè corroborari poſſet, illuſtri illâ peccati definitione: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία 1. *Ioh.* 3.

LXIV. *Aſſumptionis* veritas clara eſt & evidens ex Problematis proximè præcedentis Explicatione, qua demonſtratum, Concupiſcentiam, de qua jam diſceptatur, *decimo* Decalogi *præcepto* eſſe prohibitam,

LXV. 3 Ex *effecto* vel ſtipendio peccati, cujuſmodi eſt mors, ſic ampliùs argumentari licet:

Qui-

Quicunq; moriuntur: illi propter peccatum, vel quatenus peccato inquinati sunt, moriantur necesse est.

Iam verò infantuli etiam baptizati à peccatis actualibus adhuc immunes, moriuntur.

Ergo propter peccatum originale moriantur necessum est.

Et per consequens, Concupiscentia originalis verè erit peccatum.

LXV. *Majorem* comprobant & confirmant hæc Apostoli testimonia:

ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intrоijt in mundum, & PER PECCATVM mors, & sic in omnes homines pervasit, QVATENVS omnes peccavimus.*

Roman. 6. *Stipendium peccati mors est.*

1. Cor. 15. *Mors est aculeus peccati.*

LXVI. *Assumptionis* probatio, si exigatur, facilè depromi potest ex libr. *Sap. c. 4. vers. 11.*

LXVII. 4. His accedunt *suffragia* Orthodoxorum *Patrum*, quorum illustriora collegit Augustinus in *lib. 2. contra Iulianum.* 46

LXVIII. *Chemnitius* noster illa indè repetijt, loco paulò antè allegato, subtit. *Veterum sententia de Concupiscentia.*

LXIX. Nos ex his, quæ dicta & adducta sunt hactenus, συλλήβδην concludimus: *Conclusio cum probationis.*

Concupiscentiam in renatis post Baptismum in se & per se vere esse peccatum, etiamsi consensus & approbatio Voluntatis non accesserit.

LXX. Ad Orcum igitur relegamus hos Romanensium flosculos:

1. *Originalem concupiscentiam ex se vel suâ naturâ non esse peccatum.*
2. *Ecclesiam Catholicam illam nunquam appellare peccatum, quod verè ac propriè sit peccatum.*
3. *Dici illam peccatum, quod ex peccato sit & ad peccatum inclinet.*
4. *Vel hac solâ tantùm ratione, quod sit vel pœna vel causa peccati, & sic per μετωνυμίαν.*

LXXI. Quibus, Colophonis loco, obvertimus istud ἐπείσαγμα ex Cajetano Scriptore apud Pontificios etiam non ignobili, qui in *Epist. ad Rom. c. 7. 8.* commentans scribit:

Concupiscentiam de qua ibi Apostolus, peccatum est, etiam formaliter, pro quanto est pars peccati originalis.

PRO-

IX. PROBLEMA.

An peccatum Originale sit ipsa hominis substantia?

LXXII. In Affirmativam istius Problematis partem abierunt *Quidam* tum ex *Veteribus*, tum ex *Recentioribus*.

Patroni Affirmative è Veterib. Manes.

LXXIII. *Veterum* ἐξαρχῆς extitit *Manes* ille, de quo Epiphanius:

Insanus ille Manes, DEVM à malitia eximere volens, malitiam magis ipsi ex æquo tribuit, & propugnator magis ac defensor factus est malitiei, &c. quando substantiam *ipsi tribuit &c. Hær. 66.*

Augustinus lib. 2. contra Secundin. Manich c. 12.

Certè omnis inter nos discretio est, quod vos (Manichæi) substantiam quandam malam dicitis: nos verò non substantiam.

2. è Recentiorib. Flacius.

LXXIV. Ex *Recentioribus* errorem hunc ab inferis resuscitavit Matthias Flacius, anno Christi 1520. die 3. Martij Albonæ, Illyrici Urbe natus, referente Bucholzero in Chronicis.

LXXV. Docuit is aliquando in hac Academia Wittebergensi Hebræas literas, & deinde ortâ συμπράξει illa Interimistica laudabilem ac præclaram Ecclesiæ operam navavit.

LXXVI. Atq; adeò verè fuit Orthodoxus usq; ad annum Christi *supra sesquimillesimum, sexagesimum primum.*

LXXVII. Ibi tum, auspicijs *Illustrissimi Principis ac Domini Dn. Iohannis Guilielmi Ducis Saxoniæ* p. m. instituebatur Colloquium inter *Victorinum Strigelium* Pelagianæ συνεργίας Vindicem & Propugnatorem facilè principem ex una, & *Matthiam Flacium* Antagonistam illius strenuum, ex altera parte.

LXXVIII. In hoc Colloquio Strigelius. *Sessione secunda*, peccatum Originis plus nimium ceperat extenuare, comparans illud magneti allio allio, ejus δύναμιν non tollenti: Sed ἐνεργείαν tantùm cohibenti; ut ita liberum hominis arbitrium non planè extinctum: sed, ad modum ignis sub cineribus, tectum statueret.

LXXIX. Proposuit etiam inter alia hunc Syllogismum:

Nullum accidens potest corrumpere substantiam.

Atqui peccatum Originis est accidens, Liberum verò Arbitrium est ipsa principalis hominis substantia.

Ergo.

Hic

LXXX. Hîc cum Flacio *Majori* fuiſſet infringenda, data *ἐνστάσει*, per exempla ex Naturali Philoſophia, ut *morborum* & inprimis *lepræ*, &c. ipſe feruore diſputationis in præceps abreptus, perquam inconſideratè negavit Minorem, peccatum videlicet eſſe Accidens.

LXXXI. Quem errorem poſtea non tantùm non correxit: ſed ſcriptis in publicum emiſſis perfrictâ fronte & præfracto corde ampliùs defenſitare & divulgare perrexit.

LXXXII. Imprimis verò in *parte II. Clavis ſuæ*, cui peculiare de ſuo hoc delirio Scriptum, *anno 1567.* diſſuadente Wigando, inſeruit.

LXXXIII. Ibi multoties repetit & inculcat:

Peccati vocem ſignificare non tantùm opus, actionem aut cogitationem, non etiam tantùm habitum aliquem: ſed etiam vim & eſſentiam quandam peſſimam, ex utero matris nobiſcum allatam.

Item: *Dementatos præceptis Philoſophicis illam nativam malitiam ſtatuere: Verbi DEI vocem IPSAM SVBSTANTIAM eſſentiamve INTIMAM hominis peccatum vocare, &c.*

LXXXIV. Addit ibidem:

Nos olim fuimus in prima creatione quiddam valdè bonum, tum in Accidentibus: tum in Subſtantia; poſteà mutati ſumus ESSENTIALITER, *in rem valdè malam* SVBSTANTIA *ſuâ.*

LXXXV. Et in ſequentibus:

Objiciat aliquis: me novas ſententias in Eccleſiam inducere; dum aſſirmo, aliquod peccatum, Originale peccatum, aut potiùs aliquam partem Originalis peccati eſſe SVBSTANTIAM.

LXXXVI. Concludit tandem:

Peccatum eſſe præcipuè ipſum pravum & perverſum ac lapideum Cor, ſeu Rationem aut animam Rationalem in Diaboli imaginem transformatam, quæ eſt, vel principaliſſima ac nobiliſſima TOTIVS HOMINIS SVBSTANTIA.

LXXXVII. Ex quibus proprijs ipſiuſmet Flacij apophthegmatis ſatis abundè liquet, quòd ſententia ipſius de hoc argumento ad *duo* præcipuè capita revocari poſſit ac debeat.

LXXXIIX. Quorum *unum*: *quòd imago DEI ante lapſum extiteris*

sèrit ipsa hominis anima Rationalis, principalissima ejusdem pars σαρκικὴ.

LXXXIX. *Alterum*: *quòd peccati* Originalis potissima *pars sit itidem hominis anima, ex imagine* D E I ante lapsum: *exinde conversa* per lapsum *in imaginem Diaboli.*

ἀνατυπωσὶς Flacianismi.

XC. Delirium porrò istud impium & profanum in *b Libr. Christianæ Concordiæ*, ex articulis *1. Creationis*, *2. Incarnationis* & Λόγου, *3. Redemptionis*, *4. Sanctificationis*, *5. Resurrectionis* solidissimè fuit refutatum.

b *Articul.* 1. *qui est de pecc. Orig.*

XCI. Nos huc modò referimus Theologiam Apostolicam, qua ex professo Flacianismus ac Manicheismus iste pestilens ex Agro Ecclesiæ radicitus evellitur, per distinctionem inter hominis naturam ac substantiam, & inter id quod eidem accidit & inhæret.

XCII. Sic enim θεολογεῖ Apostolus ad *Rom* 7.

3. v. 17, & 26. *Non jam ego perpetro illud: sed ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.*

2. vers. 18. *Novi quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum.*

3. v. 21. ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται.

4. v. 23. *Video aliam legem* IN MEMBRIS *meis.*

5. ad Hebr. 13. extat, *Depositio onere omni & tenaciter inhærente peccato* (ἀποθέμενοι πάντα ὄγκον καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν.)

XCIII. In quibus locis Theologiæ Apostolicæ omnibus & singulis accuratissimè discernuntur invicem:

1. οἰκῶν & ἁμαρτία ἐνοικοῦσα.
2. Caro & malum in carne.
3. τὸ παρακείμενον καὶ παράκειμενον.
4. *Membra* & *Lex*, id est, Concupiscentia, *In Membris.*
5. *Substantia* & *natura* hominis, & id quod *illis inhæret*, eamque circumstat.

XCIV. Quòd autem Flacius contrà vel maximè urget vocabula ὑσίας σημαντικὰ, ut *carnis*, *cordis*, *Hominis*, *Mentis*, &c. suam ἀπαρδευσίαν, vel potiùs malitiam manifestè prodit; non attendens quippe *metonymiam subjecti*, non tantùm in his: sed in alijs quoque Scripturæ exemplis, propter arctissimum subjecti & accidentis ἀχωρίστου συνέχειαν.

Id

XCV. *Idquod*, Flacius ipſemet, illa ipſa ſecunda Clavis ſuæ parte, *in Regulis de tropis & ſchematibus Sacrarum literarum*, utiliter tradidit & inculcavit.

XCVI. Repetatur modò huc, planioris ac plenioris doctrinæ gratia, eruditiſſimum (c) Lutheri ὑπόμνημα:

Diviſio hominis in Carnem & Spiritum non eſt natura. Singulæ enim eſſentiales partes hominis dici poſſunt aut Spiritus, aut Caro. Ex ea parte, quæ regeneratæ ſunt, Spiritus: Ex altera verò parte, quæ adhuc delectantur concupiſcentijs carnalibus CARO *ſunt.*

c) ſuper Magnificat.

XCVII. Quòd prætereà magno ſtrepitu crepituq́; gloriantur de Lutheri, in hoc ſuo errore, ὁμοψηφία: in eo certè Theologo illi de univerſa Chriſti Eccleſia præclariſſimè meritò luculentiſſimam faciunt injuriam. λύσις ἐναντιοφανιῶν *ex Luthero.*

XCVIII. Quod enim Ipſe, in hoc Doctrinæ cœleſtis capite, nullatenus è Flacianorum ſtet partibus: ſed totus ſit Noſter, atque adeò planè nobiſcum ſtatuat: peccatum eſſe Accidens: & non ſubſtantiam: id utique hæc propria ipſius teſtimonia liquidiſſimè confirmant.

in Poſtilla Eccleſ. die Concept. Mar. in feſt. f. 14.

Die Erbſünde/ wie alle Doctores eintrechtig ſchreiben/ iſt nichts anders/denn (NB) eine DARBVNG der Erbgerechtigkeit.

In Commentario ſuper Gen. cap. 2.

Ad hunc modum (ſicut Correlativorum natura eſt) peccatum originale demonſtrat, quid ſit juſtitia Originalis & econtra: nempe, quòd eſt (NB) amiſſio juſtitiæ Originalis, ſeu privatio.

XCIX. Quòd autem alicubi c *in Poſtilla* præſertim *Eccleſiaſtica*, peccatum Originis, (id quod Flacius ejuſq; Contribules, ut alterum quoddam Gorgonis caput, Orthodoxis idendidem objectare conſueverunt) appellitat:

Naturſünde/ Perſonſünde/ Weſentliche Sünde.

in eo committunt fallaciam cauſæ, & χέσπως.

c in die Circumciſionis.

C. Cur enim & qua χέσει Megalander Lutherus peccatum originis nominibus illis indigitet: eo ipſo in loco ſimul verbis hiſce perſpicuis perſpicuè explicavit:

„ Die Person/ die Natur vnd gantzes Wesen ist in vns/ durch
„ Adams fall verderbet.

Item:

Es ist die wesentliche Sünde/ die nicht eine Stunde oder zeitlang sündiget: sondern wo vnd wie lang die Person ist, Da ist Sünde auch.

CI. Sed instant: Lutherum contendere, peccatum non esse *Qualitatem*, dum scribat:

Sophista Theologus non potest aliter de peccato loqui, quàm Gentilis Philosophus nempe sic: Qualitas *hæret in substantia, in substantia aut subjecto. Sicut ergo color in pariete: ita peccatum in mundo carne vel conscientia hæret. Igitur eliciendum est per contrarios motus, nempe per caritatem.*

Tom. 4. Jen. Lat. f. 92. super 3. cap. ad Gal.

CII. Sed committitur Sophisma tum divisionis tum Ignorationis Elenchi.

CIII. Eò loci enim non propositum est Luthero demonstrare, quid propriè & in suâ naturâ sit peccatum Originale: sed in genere disserit de remissione peccatorum, docens, quòd peccata, vi & respectu Meriti Christi, ex Theologia Pauli, nihil amplùs sint in Mundo.

CIV. In Sophistis verò non tantùm hoc reprehendit, quòd peccatum superficiali qualitati conferant, cùm sit profundissima Naturæ humanæ corruptio: sed etiam potissimùm id, quòd, ad extenuandam περιεργοδωκαιαν meriti Christi, peccatum per caritatem deleri posse ac debere statuant, idq; tum *antecedentia* tum *consequentia* monstrant.

CV. Ita enim habent proximè *præcedentia*:

Ideò peccata non sunt revera ibi, ubi cernuntur & sentiuntur. Nam, secundum Theologiam Pauli, nullum peccatum, nulla mors, nulla maledictio est amplius in mundo, sed in Christo, qui est agnus Dei, qui abstulit peccata mundi, qui factus est maledictum, ut nos à maledicto liberaret. Contrà secundùm Philosophiam & rationem, Peccatum, mors & maledictio, nusquam sunt nisi in mundo, carne seu peccatoribus.

CVI. Immediatè verò *consequentia* sic sonant:

Vera

Vera autem Theologia docet, quòd nullum peccatum amplius sit in mundo. Quia Christus in quem Pater conjecit peccata totius mundi Esa. 53. vicit, delevit & occidit illud in corpore suo.

CVII. Sed manum etiam de hac tabula. Supereſt unum Problema, ex appendice Decalogi in Catecheſi Lutherana, Coronidis loco, reliquis ſuperaddendum.

X. PROBLEMA.

An liberi teneantur portare iniquitatem Parentum?

CVIII. Ἀνυλογία φαινομένη circa quæſtionem iſthanc ſacris in literis occurrit.

CIX. In recitatione enim Decalogi *Exod.* 20. *& Deut.* 5. Ipſe JEHOVA diſertè ait:

Ego DOMINVS DEVS tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem Patrum IN FILIIS, in tertiam & quartam generationem.

CX. Contrarium verò Idem enunciare videtur *Deuteron.* 24, 16.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed unusquisq; pro peccato ſuo morietur.

nec non Ezech. 18.

v. 4. *Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima patris, ita & anima filij, mea eſt: anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.*

& v. 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filij: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum:*

CXI. Eadem ijſdem ferè Verbis repetuntur

2. *Reg.* 16. 2 *Par.* 25. 4. *Ier.* 31, 29 30.

CXII. Atn. ſi hæc Scripturæ dicta penitiùs inſpiciantur, & examinentur, juxta Canonem Logicum de oppoſitis; facilè utriq; invicem poſſunt conciliari, atq; adeò ἐναντιοφάνεια illa ſemoveri.

CXIII. Sententia enim JEHOVÆ *Exod.* 20. *& Deut.* 5. intelligenda eſt de *pœna corporis temporali*, qua DEUS, juſto interdum judicio, liberos etiam (præſertim, ſi veſtigijs impiorum parentum inſtiterint) & ſic integras ſimul familias exterminari permittit.

CXIV. Apud Ezechielem autem *cap.* 18. *& Ier.* 31. ſermo eſt, de *pœna animæ æternæ*, ſicut ex vocabulo *Animæ* inibi κατ' ἔμφασιν καὶ δπιμονὴν quinquies iterato rectè colligitur.

CXV. Tandem *Deuteronomij 24. 2. Reg. 16. 2. Par. 25.* agitur propriè, uti ex contextu liquidò apparet: de *ſupplicio capitis*, quod *Magiſtratus* ſumit de ſontibus.

CXVI. Confirmat hanc noſtram interpretationem, Theander Lutherus in *Commentario ſuper 20. cap. Exodi* hiſce verbis, quæ *ἰδιωγλώσσως* adſcribere placet:

Dieſe Frage/ warumb der Sohn für den Vater leide/ hat der Prophet Ezechiel gehandelt/ vnd ſpricht: Jhr habt ein Sprichwort vnter euch in Jſrael/ Die Väter haben Heerling geſſen/ vnd vns ſind die Zeene ſtumpff worden. Vnd Jeremias ſpricht: Vnſere Väter haben geſündiget/ vnd ſind dahin/ Wir aber müſſen jhrer Sünde entgelten/ vnd gehet noch heutiges tages/ wir ſündigen vnd verdienen/ das vnſere Nachkommen entgelten müſſen. Das ſol man aber nicht alſo verſtehen/ Das eine ſtraffe der Seelen ſey/ das daß Kind vmb deß Vaters willen verdammet werde/ Wie es denn Ezechiel ſelbſt anzeigt an jtzund genenten ort/ die Seelen/ ſpricht Gott/ durch Ezechiel/ ſind alle mein/ deß Vaters vnd deß Sohns/ welche aber ſündiget die wird ſterben/ Sondern man ſol es von der leiblichen ſtraffe verſtehen/ Er ſtraffet die Kinder vmb der Väter willen/ leſt ſie ſterben/ die doch ſonſt gleichwol ſterben müſſen/ vnd ſtrafft alſo die Väter/ das er zuweilen ein gantz Geſchlecht außrottet. Alſo ſegnet er die Väter in den Kindern/ das viel Nachkommen genieſſen (leiblich) das die Väter from geweſen ſind. *Tom. IV. Ien. Germ. f. 509.*

CXVII. Et hic finis eſto, *in Nomine Tuo, FILI DEI IESV CHRISTE, qui es α & ω, Principium & Finis, Amen.*

DISPVTATIO DE

MERITIS BONORUM OPERUM.

Oppoſita nugis Roberti Bellarmini

RESPONDENTE,

M. JOHANNE ECCIO

Suinfurtenſi Fr.

Ad 28. Aprilis Anno 1610.

PRO-

PROBLEMA.

Utrum opera bona justorum sint meritoria vitæ æternæ?

I.

QUod regius Psaltes David generaliter de Verbo Dixit dicit Psal. 115, 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis:* id nos specialius aliquantò usurpantes, ad legem referre non incommodè possumus.

II. Hæc enim tanquam *lucerna quædam deducit nos per semitam mandatorum divinorum*, Ps. 119, 35. *Hæc perfecta est convertens animam: fidelis est, sapientem efficiens parvulum: pura est, illuminans oculos.* Psal. 19, 8. 9.

III. Hæc lucidissimum est speculum, in quo Voluntas DEI, quæque ipsi placent, directè ob oculos nobis ponuntur. Omnia enim opera, quæ bona sunt, Deoq; placent, necesse est legis esse opera.

IV. Hæc norma est bonorum operum, *ad quæ conditi sumus in Christo Iesu, ut in ijs ambulemus. Eph.* 2, 10. *& serviamus DEO in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Luc.* 1, 74.

V. Quæ igitur de bonis operibus Ecclesiarum nostrarum ἐϱ Ϳοδοξία sit, ex serio & proprio Usu legis omnis bonæ actionis rectricis, & regulæ, de quo aliquibus jam Disputationibus vidimus, abundè liquet.

VI. In fumum ergo sua sponte abit calumnia illa, qua nostras Ecclesias onerare consueverunt præter Romanenses alios concilabulum illud Tridentinum, quasi doctrina nostra de bonis operibus licentiam quidvis perpetrandi inveherer, & omnis generis sceleribus non fenestram tantùm: sed bipatentes portas panderet.

VII. Nos potiùs ex serio cordis affectu illud Apostoli profitemur. *Ephes.* 4, 10. *Dei creatura sumus conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in ijs ambulemus. Non enim vocavit nos Deus ad immunditiem, sed ad sanctificationem.* 1. *Thes.* 4, 7.

VIII. Verùm alia subest causa, ob quam mendacis linguæ gladium ita in nostras stringunt Ecclesias, quòd nimirum opera bona

ex

ex justificationis gratuitæ foro planè pleneq; removent & excludunt.

IX. Quam ipsam controversiam cum Jesuitis aggressuri convenienti & apta methodo id facere conabimur.

I. *Terminos ὡς ἐν περιγραφῇ explicaturi.*
II. *Statum controversiæ legitimè formaturi.*
III. *Evangelicorum ὀρθοδοξίαν confirmaturi.*
IV. *Iesuitarum κακοδοξίαν refutaturi.*
V. *Ad eorundem argutias responsuri.*

CAPUT I.

Περιγραφὴ terminorum.

X. Disputatoris est cauti τὰ πλαχῶς διελεῖν, πρὸς τὸ γίνεσθ κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, καὶ μὴ πρὸς τὸ ὄνομα τὰς συλλογισμὰς. *Arist. l. 1. top. 18.*

XI. *Duo* autem in nostro Problemate continentur termini, qui accuratiorem explicationem merentur: *alter* est bona opera, *alter* meritorium esse vitæ æternæ.

XII. Terminus *bonorum operum*, quamvis sordere quibusdam incipiat est tamen ἔγκριτος, & ipsius Spiritus sancti linguæ vulgaris. *Matth. 5,16. Act. 9,36. Eph. 2,10. Tit. 2,14. 3,1. 2. Cor. 9 8. Coloss. 1,10. 1. Tim. 2,10. 2. Tim. 3,16. 17. 2. Thes. 2,17.* alijsq; multis in locis.

XIII. Sunt autem bona opera, *non quæ fiunt ex præceptis & doctrinis hominum quæ verbotenus speciem habent sapientiæ*, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, *Col. 2,22. 23. Frustra enim colitur Deus mandatis hominum Esa. 29,13. Matt. 15,8. Ezech. 7,5. Quin potiùs diabolus his colitur, Deut. 32,17. Psal. 106,37. Amos, 5, 25. Et Deus ad iram provocatur, Psal. 106, 39.*

XIV. Verùm bona opera sunt, *quæ Deus nobis præcepit, ut faciamus, atq; in ijs ambulemus. Deut. 4,2. 12. 32. 28,13. 14. Num. 15,39. 40. Ezech. 20, 19. Hæc enim est charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus 1. Iohan. 5, 3.*

XV. Neq; tamen hæc etiam, quamvis à Deo mandata, si fiant ab hypocritis absq; fide. *Esa. 1, 11. Matth. 5, 20. Luc. 18, 11. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est. Rom 14, 24.*

XVI. Vera ergo, Deoq; placentia opera sunt, *quæ verbo DEI mandata Deut. 4, 2. 12. 32.* ab homine renato *cordelectanti lege DEI secundum interiorem hominem. Rom. 7, 22. secundùm proæresin cordis non ex*

stri-

tristitia aut necessitate. 2. Cor. 9, 7. ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1, 5. animoq; humili & contrito Psal. 51, 19. auxilio Spiritus Sancti Ezech. 36, 27. Gal. 5, 22. ad gloriam Dei Matth. 5, 16. 1. Cor. 10, 13. tanquam boni fructus ex bona arbore promanant. Matth. 7, 17. 12, 33.

XVII. Hæc qualia sint, prolixè declarat Christus *Matt. 5. 6. 7. cap.* quorum farraginem Paulus recensèt *Gal. 5, 22.* ut sunt: *Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.*

XVIII. Quæ alia etiam non minus jucunda in Scriptura sortiuntur nomina, ut *fructus spiritus, Gal 5, 22. fructus justitiæ, Phil. 1, 11. Novitas. Eph. 4, 32. Rom. 7, 6. Tit. 3, 7. Novitas spiritus. Rom. 6, 4. novus homo. Col. 3, 10. Eph. 4, 24. cor novum, mundum Ps. 51, 12. charitas ex puro corde. 1. Tim. 1, 5.* abstinentia à peccatis *1. Thess 4, 3.* Conversatio sancta, honesta. *1. Tim. 4, 12. 1. Pet. 2, 12. 2. Pet. 3, 11.* εὐσέβεια *1. Tim. 4, 8.* θεοσέβεια *1. Tim. 2, 10.* sanctificatio, *1. Thess. 4, 3. Rom. 6, 19. 2. Cor. 7, 1.* & alia multa.

XIX. *Meritorium esse salutis vel vitæ æternæ*, idem est, quod verè promereri non tantùm corporalia & spiritualia bona: verùm etiam vitam æternam, quæ tanquam merces ex debito justitiæ divinæ bonis renatorum operibus & meritis reddenda sit, non minus ac æterni cruciatus sceleribus impiorum debentur, ut Andradius Concilij Trid. interpres loquitur.

CAPUT II.

Status Controversiæ.

XX. Omissis autem omnibus alijs controversijs, quæ vel cum interreligionis compilatoribus, vel Antinomis, vel alijs hæreticis Ecclesiæ nostræ intercesserunt, controversiæ nostræ statum Jesuitis, & horum antesignano cumprimis Bellarmino opponimus, quem hunc in modum in disputationis vestibulo formavimus.

Vtrum bona opera justorum sint meritoria salutis æternæ?

XXI. Negativam sententiam nos amplectimur: Romanenses contra pro *affirmativa* tanquam pro aris & focis pugnant.

XXII. Nos, quæ negativæ nostræ ἔκθεσις est, meritorium aliud nullum agnoscimus, quam sufficientissimum illud λύτρον *Matt. 20, 28. obedientiam & aspersionem sanguinis* Jesu Christi *1. Petr. 1. 2. qui pretioso suo sanguine nos redemit, v. 19. perq; illum æternam redemtionem nobis invenit. Hebr. 9, 12.*

XXIII. Docent enim nostræ Ecclesiæ (verba Augustanæ confessionis sunt art. 4,) quòd homines non possint justificari coram Deo proprijs viribus, meritis, aut operibus, sed gratis justificantur propter Christum per fidem, cùm credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso *Rom. 3, & 4.*

XXIV. Pontificiorum affirmativam Jesuitarum illudos *Bellarminus l. 5. de Iust. c. 5.* his verbis satis dilucidè proponit.

Nos igitur probabimus id, quod habet communis Catholicorum omnium sententia, opera bona justorũ verè ac propriè esse merita, & merita non cujuscunq; præmij, sed ipsius vitæ æternæ contra sectarios.

XXV. Jam ergo rectà argumenta, tùm κατασκευαστικὰ, quibus ὀρθοδοξία nostra astruitur, tùm ἀνασκευαστικὰ, quibus Bellarmini κακοδοξία destruitur, subjiciemus.

CAPUT III.

Sententiæ Evangelicorum confirmatio.

XXVI. Orthodoxæ nostræ sententiæ confirmationem hoc κυρίῳ συλλογισμῷ invictè demonstramus:

Quicquid I. est hæreditas. II. donum Dei. III. quod nobis gratũ. IV. non ex nostris meritis. V sed ex gratia. VI. dilectione. VII. misericordia. VIII. proposito Dei. IX. propter meritum Christi. X. per fidem. XI. eamq; solam. XII. absq; operibus. XIII. per imputationem justitiæ gratuitam. XIV. non ex lege. XV. sed ex Evangelio confertur. XVI. Vt omnis gloriatio hominibus adimatur: illud non est merces bonorum operum. Atqui salus & vita æterna est talis: Ergo non est merces bonorum operum.

XXVII. Antequam ad probationes tum consecutionis tum assumtionis accedamus, monendum videtur, ne quis suspicetur non probare nos, quod in quæstione est, nos justificationem & salvationem seu beatitudinem æternam cum sacra Scriptura pro ἰσοδυναμίαν accipere, siquidem ijsdem constituuntur, *Rom. 3, & 4. cap. Gal. 2, & 3. cap. Eph. 2, 8. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5. Act. 15, 11.*

XXVIII. Hinc eodem modo, quo justificationem, Apostolus quoq; beatitudinem definit: μακαρισμὸς inquit, *Rom. 4, 9.* seu *beatitudo est imputatio justitiæ absq; operibus.*

Non

XXIX. Non negamus tamen discrimen inter salvationem & beatitatem, quam Scriptura vocat justificationem, & inter plenariam perfruitionem vitæ æternæ in cœlo. Nam & in hoc mundo Christus *est vita nostra & in eo vivunt pij Gal. 2, 20. Phil. 1,21. Ioh. 16,47. 53.57: sed abscondita est illa vita cum Christo in Deo pat. faciendæ suo tempore Col 3, 2. 3.*

XXX. Jam rectà ad consecutionem singulorum syllogismi nostri principalis membrorum. 1. *membri consecutio* manifesta est. Quicquid enim hæreditatis jure quis obtinet, id nullis promeritus est laboribus.

XXXI. 2. *Membri consecutio* non minùs manifesta est, cùm D. Paulus *Rom. 6, v. ult.* ipse inter stipendium seu mercedem & donum distinguat.

XXXII. 3. Quoq; clara est. Gratis enim opponitur, tùm solutioni pretij, tum merito seu mercedi. Unde D. *Lutherus* emphasin hujus vocis expressurus alicubi reddidit ohne vnd wieder verdienst.

XXXIII. 4. Per se patet. Merces enim & meritum relativè se habent. Est enim merces compensatio meriti seu laboris secundùm proportionem debitam. *Operanti merces ex debito datur. Rom. 4, 4.*

XXXIV. 5. Luce Paulina fulget. *Si enim ex gratia non ex operibus, alias gratia jam non est gratia. Rom. 11,6.* Si verò non ex operibus non est merces.

XXXV. 6. Evidens est. Quicquid enim ex dilectione Dei nobis obtingit, gratuitum est, non meritum. *1. Ioh. 4,10. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos & miserit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

XXXVI. 7. sua luce lucet. Ubi enim operum atq; virtutum est aliqua dignitas, & excellentia, ibi locus non datur misericordiæ. Misericordia enim neque ex merito, neq; ex mercede provenit, quod ex parabola illa *Matt.* 18,17. satis elucet, *Item Rom 9,16.*

XXXVII. 8. Apostolica autoritate nititur. *Rom. 11,5. Reservatio secundùm electionem gratuita facta est.* Quod Esaui & Jacobi exemplo illustrat Apostolus *Rom. 9, 11.*

XXXVIII. 9. Prophetico fulgore radiat. Meritum enim Christi omne *συνέργον* excludit *Es. 63,3. Torcular calcavi solus, & de populis non erat mecum. Esa. 45,21. Deus justus & salvans non est præter me.*

XXXIX. 10. Spiritus sancti stabilitur consensu. *Nam credenti non operanti imputatur fides sua ad justiciam. Rom. 4, 5.*

XL. 11. Omni rationi consentanea. Solitaria enim causa omnem sociam & adjuvantem respuit.

XLI. 12. Cuivis obvia. Absq; enim operibus & meritis non datur merces. Merces namq; est meriti merces.

XLII. 13. Ex præcedentibus colligitur. *Merces enim*, non gratuitò *sed ex delito imputatur. Rom. 4, 4.*

XLIII. 14 & 15. Membri consecutio à natura legis, & Evangelij peti potest. Lex enim operantibus mercedem pollicetur *Rom.* 2, 15. Evangelium verò credentibus monstrat justitiam Christi nobis acquisitam.

XLIV. 16. Sacræ Scripturæ consensu, & exemplis fulcita. Ubi enim est aliqua meriti nostri ratio, ibi gloriationis materia. *Si* jam *Abraham ex operibus justificatus est, habet de quo glorietur* Rom. 4, 3. *Eph* 2, 9. Exempla obvia sunt *Matth.* 20, 12. *Luc.* 15. 19.

XLV. Et hæc satis dilucida consecutionis ratio: Jam rectà assumtionis per singula membra probationem subjiciamus.

XLVI. 1. Membrum. Vita æterna est hæreditas. *Psal* 16, 6. *Rom.* 4, 16. *Gal.* 3, 18 *Col.* 3, 24. *Scientes vos à Domino accepturos mercedem* hæreditatis. *Matt.* 25, 34. *Adeste benedicti,* κληρονομήσατε, hæreditario jure *possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Roman.* 8, 17. *Tit.* 3, 7. *1. Pet.* 3, 7. *Iac.* 2, 5.

XLVII. II. Est donum DEI *Rom.* 6, *v. ult.* Donum DEI *est vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro. Ephes.* 2, 8.

XLVIII. III. Nobis gratis confertur. *Rom* 3, 24. *Iustificamur* gratis *per illius gratiam, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu. Apoc.* 22, 17.

XLIX. IV. Non ex nostris meritis. *Ephes* 2, 8. *Gratia estis salvati, per fidem, & hoc* non ex vobis, *DEI donum est. Rom.* 9, 16. Non est volentis, *neq; currentis, sed miserentis* DEI.

L. V. Sed ex gratia. *Rom.* 3, 24. *Iustificamur gratis* gratia DEI *Eph.* 2, 7. 8. *Act.* 15, 11. *Tit.* 2, 11. *Illuxit* gratia *salutifera omnibus hominibus. Tit.* 3, 5. 7. *2. Tim.* 1, 9. *Rom.* 11, 6. *Eph.* 1, 6. 7. *Hebr.* 4, 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum* gratiæ, *ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.*

LI. VI. Dilectione *Ioh.* 3, 16. *Sic* DEVS dilexit *mundum, ut omnis qui* cre-

credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Eph.2,4. DEVS qui dives est in Misericordia, propter multam charitatem *quâ dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos unà cum Christo. Tit.3,4. Apparuit* χρηστότης καὶ φιλανθρωπία *Salvatoris nostri Dei. 1.Iohan.3,16. 4,9. 10.16. Rom 5,8.*

LII. VII. Misericordia. *Tit.3,4.5. Postquam apparuit bonitas & erga homines amor salvatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in justitia, quæ faciebamus nos, sed secundum* misericordiam *suam salvos nos fecit, Rom.11, v.32. Conclusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnium* misereatur. *Eph. 2,4. Rom.9 15.16.*

LIII. VIII. Et, Proposito DEI 2. *Tim.1,9. Salvos nos fecit, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum* propositum *& gratiam, quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna.*

LIV. IX. Propter meritum CHRISTI. *Rom.3,24.25. Iustificamur gratis, DEI gratia per redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV. Quem proposuit DEVS propitiationem* per fidem *interveniente ipsius* sanguine *Gal.2,20. Vivo non amplius ego, sed vivit in me CHRISTVS, & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filij DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Non enim ullum aliud est nomen sub cœlo, quo salvari possimus, quam nomen IESV, Act.4,12.10.43. 13,38. 15,11. Matth,20, 28. Rom,4,28. cap.5. Gal.1,4. 3,13. 4,4. Eph.1,7. 2,13. 1.Tim 2,6. 1.Pet. 2,19. Heb.9,12.*

IV. X. Per fidem. *Rom.10,9. si confessus fueris ore tuo Dominum IESVM, &* credideris *in corde tuo, quod DEVS illum excitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Romanor. 3,22. Iustitia DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes & super omnes qui credunt. Habac. 2,4. Roman.2,17. 3,28. 4,35. & 5,2. 16. & seq. 11. 20.*

LVI. XI. Et quidem solam, *Marc.5,3.6. Ne metue* solummodò *crede Luc.8,50.* Tantùm *crede, & servabitur. Gal 2,16. Scientes, quod non justificatur, ἐὰν μὴ,* nisi *per fidem Rom.3,21.28. 4,5,6.16. Gal.3,12.* Determinat autem hæc particula non subjectum sed prædicatum enunciationis. Facessat igitur calumnia de fide solitaria.

LVII. XII. Absq; operibus *Rom.3,20.* Ex operibus non *justificabitur ulla caro in conspectu ejus. v. 28. Colligimus igitur fide justificari homi-*

nem absq; operibus legis. *Eph.2,9. Gratia salvati estis* non ex operibus, *ne quis glorietur Rom.4,5. Gal.2,16. 2.Tim.1,9. Tit.3,4. Phil.3,8.9.*

LVIII. XIII. Per imputationem justitiæ gratuitam. *Rom.4,6. David explicat beatificationem hominis, cui Deus* imputat justitiam *absq; operibus, Item v.3,10.12. 2.Corinth.5,21. Eum, qui non novit peccatum pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei per illum. Phil.3,9. Ut reperiar in illo non habens meam justitiam ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est, justiciam in fide Gal.3,6.*

LIX. XIV. Non ex lege. *Rom.3,20.* Ex operibus legis nulla *caro justificabitur in conspectu ejus. Per legem enim agnitio peccati. Nunc verò* absq; lege *justitia Dei patefacta est. Rom.4,14.15. Si ij, qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, irrita facta est promissio. Nam lex iram operatur Gal.1,10. 11. 2.18.21. Si per legem est justicia,* CHRISTVS *frustra est mortuus. Galat.3,10.11.12. Si data fuisset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.*

LX. XV. Sed ex Evangelio, *Gal.3,18. Si ex lege hæreditas, non jam ex promissione. Atqui Abrahamo* per promissionem *gratificatus est Deus. Item, v.8,21.22. Rom.4,16. Propterea ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam, ut firma sit promissio.*

LXI. XVI. Ut omnis gloriatio hominibus adimatur. *Eph.2,19. Gratia salvati estis non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus,* ne quis glorietur. *Rom.3,27.* Ubi gloriatio? Excluſa eſt. *Per quam legem? operum? Non, sed per legem fidei.*

LXII. Ex hiſce jam invictè colligimus: *Ergo vita æterna non est merces bonorum operum.*

LXIII. Et hæc eſt ex intimis Theologiæ principijs petita confirmatio ὀρθοδοξίας noſtræ, quæ Dei beneficio in noſtris ſonat Eccleſijs. Jam ad ἑτεροδοξίας confutationem.

CAPUT IV.

Confutatio opinionis Jesuitarum.

LXIV. Palpabilem Pontificiorum, quem errant circa hoc doctrinæ caput, errorem, hoc demonſtramus ſyllogiſmo:

Quodcunq; dogma est I. *est* ἄγραφον. II. *Imò sacræ Scripturæ manifestè contrarium.* III. *decisivæ concilij Hierosolymitani è diametro oppositum,* IV. *exemplis & praxi Scripturæ repugnans.* V. *gra-*

tiæ

tiæ divinæ inimicum. VI. *in meritum Christi contumelioſum,* VII. *& denig; fidei planè adverſum: illud eſt abſurdum & fanaticum. Tale eſt Ieſuitarum dogma: bona opera eſſe meritoria vitæ æternæ. Ergo eſt abſurdum & fanaticum.*

LXV. Majoris connexio proprijs ſuis radijs coruſcat. Statim ergo ad minoris per ſingula membra probationem accedimus.

LXVI. I. Dogma hoc Jeſuitatum eſt ἄγραφον. Nam ne unicum quidem hactenus potuerunt proferre teſtimonium, quod ipſorum patrocinetur ſententiæ, de quo in ſequenti capite videbimus.

LXVII. II. Sacræ Scripturæ manifeſtè contrarium *Rom. 3, 20. Ex operibus legis non juſtificabitur ulla caro. Item v. 28. Rom. 4, 5. 6. Gal. 2, 16. 3, 10. 11. Epheſ. 2, 9. Gratia ſalvati eſtis non ex operibus, ne quis glorietur. 2. Tim. 1, 9.*

LXIIX. III. Deciſivæ concilij Hieroſolymitani è diametro oppoſitum *Act. 15, 10 11. Quid tentatis Deum, ut imponatur jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini IESV CHRISTI credimus nos ſalvatos eſſe, quemadmodum & illi.*

LXIX. IV. Exemplis & praxi Scripturæ repugnans ut, Abrahami *Gen. 15, 16. Rom. 4, 3. 4. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad juſtitiam. Atqui ei qui operatur merces non imputatur ex gratia ſed ex debito.* Davidis *Romanor. 4, 6. Sicut etiam David explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſq; operibus.* Danielis *Dan. 9, 18. Non in juſticijs noſtris proſternimus deprecationes noſtras in conſpectu tuo, ſed in miſerationibus tuis multis.* Pauli I. Cor. 4 4, *Nihil mihi conſcius ſum ſed in hoc non ſum juſtificatus. Phil. 3, 4. 5, 6. 7. 8. 9. Per gratiam autem CHRISTI credimus nos ſalvatos eſſe quemadmodum & illi. Act. 15, 11.*

LXX. V. Gratiæ divinæ inimicum. *Rom. 11, 6. Si enim per gratiam, non ex operibus, alias gratia jam non eſt gratia. Sin ex operibus jam non ex gratia, alias opus jam non eſt opus. Gratia autem ſalvati eſtis per fidem. Ergo non ex vobis, DEI donum eſt non ex operibus ne quis glorietur. Eph. 2, 8, 9.*

LXXI. VI. In meritum CHRISTI contumelioſum. *Quicquid enim meritis noſtris tribuitur, id merito CHRISTI detrahitur. Si enim ex lege eſt juſtitia, fruſtra Chriſtus mortuus eſt. Gal. 2, 21.*

LXXII. VII. fidei planè adverſum. E diametro enim oppo-

nuntur fides & opera, credere & operari, *Gal.2,21. Scientes hominem non justificari ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christum Iesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Gal.5,5 9.10.11.12. Rom.3,21.22. 4,4.5. Non operanti sed credenti in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.*

LXXIII. Hinc ergo irrefragabiliter inferimus: Ergo dogma hoc Pontificium: *bona opera justorum esse verè & propriè meritoria vitæ æternæ*, absurdum est & fanaticum.

LXXIV. Subjiciamus huic alium adhuc non minus firmum: *Quæcunq; opera* I. *dissertè à foro justificationis excluduntur.* II. *è diametro gratiæ & fidei opponuntur.* III. *aliàs creatori debentur.* IV. *sunt imperfecta.* V. *Varijs nævis contaminata.* VI. *ut subinde peccatorum sit petenda venia.* VII. *& justificatos demùm consequuntur: ea non possunt esse meritoria vitæ & salutis æternæ. Talia sunt omnia bona opera justorum. Ergò non sunt meritoria vitæ & salutis æternæ.*

LXXV. *Majoris* connexio certissimis nititur fundamentis, quæ cuivis sunt obvia, pleraq; etiam supra tacta. Rectà ergo ad minoris confirmationem tendimus.

LXXVI. I. Opera bona justorum à foro justificationis excluduntur. *Tit.3,5. Non ex operibus justitiæ, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Rom.3,20.28. Concludimus fide justificari hominem absq; operibus legis. Roman. 4,6. Gal.2,16. 3.10 11. Eph.2,8.8.9. 2.Tim 1,9. Phil.3,8.9.*

LXXVII. II. E diametro gratiæ & fidei opponuntur. *Rom.11,6. Si ex operibus, non ex gratia, alias opus jam, non est opus. Rom.4,5. Non operanti sed credenti imputatur fides sua ad justitiam.* Vide thesin 69. & 71.

LXXIIX. III. Aliàs creatori debentur. *Ipsius enim creatura sumus, creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in ijs ambulemus. Eph.2,10. Debitores ergò sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Rom.8,12. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Luc.17,10.*

LXXIX. IV. Multis nominibus sunt imperfecta *Rom.7,14. Lex spiritualis est: at ego carnalis, venundatus sub peccatum. v.18. Velle adjacet mihi, at ut faciam bonum non reperio.*

LXXX. V. Varijs nævis contaminata. *Esa,64,6. Universæ justitiæ*

nostræ

nostræ quasi pannus menstruatæ. Rom,7,15, Non quod volo hoc facio, sed quod odi hoc facio. v.19. Non facio bonum, quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. v.20,21.23. Phil.3,6.7.8. Iuxta justitiam quæ est in lege factus sum irreprehensibilis. Sed quæ mihi erant lucra, arbitratus sum propter CHRISTVM *damna esse. Quemadmodum etiam arbitror omnia damnum esse propter excellentiam cognitionis* CHRISTI IESV *Domini mei, propter quem omnia pro damnis duco, habeoq; pro rejectamentis, ut* CHRISTVM *lucrifaciam. 1. Ioh. 1, 8.*

LXXXI. VI. Ut subinde sit petenda peccatorum venia *Ps. 32, 6.* Pro hac (remissione peccatorum) *orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Psal.143,2. Ne venias in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. Matth. 6,12. Luc.11,4. Dimitte nobis debita nostra.*

LXXXII. VII. Justificatos demum consequuntur. *Rom. 7, 4. Mortificati sumus legi in corpore Christi, ut essemus alterius, ejus, qui ex mortuis suscitatus est, ut fructum feramus Deo.* Hinc appellantur fructus spiritus *Gal.5,22.* fructus justitiæ. *Phil. 1,11.* Quæ autem à justificatis jam promanant, non possunt esse causa justificationis.

LXXXIII. Hinc ergo per firmissimam iterum consequentiam promptum est colligere: Ergo bona justorum opera non sunt verè & propriè meritoria vitæ & salutis æternæ. Et hæc de capite IV.

CAPUT V.

Responsiones ad exceptiones Bellarmini.

LXXXIV. *Exceptiones* ex sacra Scriptura aliò detorta desumtas Bellarminus ipse ad septem generalia capita revocat, ex quibus *septem* desumit argumenta, quæ singula videbimus.

LXXXV. I. *Argumentum* ducit *ex ijs Scripturæ* locis, ubi vita æterna nominatur *merces*, ut *Matth.5,12. Matt.20,8.* Si enim ipsa est merces, bona opera quibus illa redditur, sine dubitatione sunt merita, inquit *idem c.3. lib.5. de Iustif.*

LXXXVI. II. Sumere se dicit ab ijs locis, in quibus habetur præmium cœleste dari hominibus *secundùm mensuram operum & laboris*, ut *Luc.6,38. Matth.16,23. Rom.2,5. Gal,6,8. 1.Cor.3,8. Ap.ult.v.11.* Hinc enim colligit in præmio illo conferendo non haberi ratio-

non

nem ſolius promiſſionis, & indulgentiæ Dei, ſed etiam dignitatis & efficaciæ ipſorum operum.

LXXXVII. III. Petere ſe ait ex ijs locis, quæ ita vitam æternam reddi teſtantur bonis operibus, ut ipſam ratioem cur detur vita æterna, in operibus ponant. Idq; ex particulis illis, Enim, Quia, Ideo, quas ſemper cauſales eſſe autumat, probare nititur, ut *Matth.* 25,21.34. *Apoc.7*,14.

LXXXIIX. IV. Depromit ab ijs teſtimonijs, ubi dici putat præmium bonis operibus ex juſtitia reddendum eſſe. 2,*Theſſ.* 1,4.6. 2. *Tim.*4,7. *Heb.*6,10. *Iac.*1,12. *Apoc* 2,10.

LXXXIX. V. Mutuatur ex illis ſcripturæ teſtimonijs, quæ docere ſomniat vitam æternam promiſſam eſſe bonis operibus, qualia ſunt *Matth*,19.17.29. 1.*Tim.*4,8.*Iac* 1,12.

XC. VI. Eruere conatur ex illis locis, in quibus fit mentio dignitatis, ut *Luc.*10,7. 2. *Theſ.*1,5. *Sap* 3,5. *Luc.*20,35. *Apoc.*3,4. Nam (quæ ipſius hypotheſis eſt) dignum eſſe præmio & mereri præmium idem ſunt.

XCI. VII. extorquet ex illis locis, ubi dicitur Deus juſtus judex, & non acceptor perſonarum. *Rom.* 2,11. *Gal,* 2,6. 1. *pet.* 1,17 *Act.*10,34.

XCII. *Ad primum argumentum* reſpondeo adhibito diſtinctionis temperamento inter *mercedem*; cujus ſignificatio *1. eſt ſtricta & propria* notans compenſationem laboris ſecundùm proportionem debitam, &adæquatam, ut cum operario pro labore datur ſua merces.

XCIII. *2.eſt latior & modificata* ſumta pro compenſatione ſeu retributione gratuita profecta à miſericordia & promiſſione Dei. Et tum promiſcuè uſurpantur merces, gratia, donum. *pſal.*127,3. *Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Matth.*6,1. dicitur Merces, quod *Luc.*6,32. dicitur gratia.

XCIV. Dictum illud *Matth.*5,12. *Merces veſtra copioſa erit in cœlis*, 1. de Mercede propriè dicta intelligi nequit (Inter laborem enim noſtrum & vitam æternam nulla eſt proportio *Rom.*8,.) ſed de gratia & dono. Nam vita æterna eſt donum Dei *Rom.*6,*v.ult. Gratia eſtis ſalvati per fidem non ex vobis, Dei donum eſt. Eph.*2,8.

XCV. 2. Non dicitur merces veſtra erit cœlum, ſed in cœlis, quod

non

non de ipsa vita æterna, sed de differentibus gradibus gloriæ accipitur. 1 *Cor.* 1.5, 48.

XCVI. Ad alterum *Matth.* 20, 5. Voca operarios & redde illis mercedem, respondemus 1. Per denarium hic vitam æternam intelligi non posse, siquidem denarius etiam obmurmurantibus datus est. Alijs innui hic videtur meritum CHRISTI, quod est sufficiens illud λύτρον quo nos, non verò argento vel auro, redemti sumus 1. *Pet.* 1, 19.

XCVII. 2. Neq; intelligitur hic merces propriè ita dicta seu compensatio labori debita, sed gratuita, siquidem æqualiter datur operantibus & non operantbus. Laborat ergo 1. hoc argumentum fallacia ὁμωνυμίας.

XCIIX. Quoad alterum argumentum 1. nego inde concludi, vitam æternam dari secundùm mensuram & proportionem operum & laboris. *Rom.* 8, 18. Alias etiam, quemadmodum labores, qui exantlantur, alius sunt difficiles alius exiguiitta & vita æterna alteri magis alteri minus tribuenda esset.

XCIX. 2. Non dicitur Deus daturus unicuique propter opera, sed *secundùm opera sua*, que perpetua loquendi consuetudo scripturæ est, quæ nunqnà dicit propter opera, sed semper *secundùm opera*.

C. 3. Non innuitur hic causa ob quam promeritus quis est vitam æternam. Nam *salvavit nos DEVS & vocavit non* secundùm opera nostra, *sed secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis per* CHRISTVM, *ante tempora æterna*, 2. *Tim.* 1, 9.

CI. 4. Sed intelligitur κριτήριον & signum infallibile fidei salvificæ. Reddet enim Christus secundùm opera. i. secundùm testimonium bonorum operum, prout ea de alicujus fide, vel infidelitate perhibebunt testimonium.

CII. 5. Neq; procedit illatio Bellarmini: Per mala opera ira contrahitur E. per bona opera reconciliatio acquiritur. Nam vel unicum peccatum meretur mortem. *Qui enim non in omnibus manserit, quæ scripta sunt, execrabilis est Gal.* 5, 10. *Et qui in uno offenderit, omnium reus factus est Iac.* 2, 10: Non autem unum bonum opus, neq; multa implent legem, sed præstanda sunt *omnia, quæ scripta sunt in Lege, ut vivamus in eis. Gal.* 3, 12.

CIII. Dictum illud 1. *Cor.* 3,8. *Vnusquisq; accipiet mercedem secundùm laborem suũ.* 1. non loquitur de mercede debita & æquivalente, sed de gratuita quã promisit Christus omnibus fidelibus συνέργοις. 2. merces illa non est vita æterna, sed distincti gradus gloriæ in vita æterna, quemadmodum *Daniel* de hac mercede Doctorum Ecclesiæ dicit *c.* 2,2. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, &c.*

CIV. Tertium Jesuitæ argumentum ex vocum illarum (*enim quia, ideo*) significatione petitum admodum lubricum est. Falsissimum enim est voces illas semper esse causales.

CV. Particulæ γὰρ ὅτι, ut & Latinæ, Enim, Quia, multas habent significationes, quarum duas instituto nostro inservientes delibabimus. 1. significant αἰτιολογικῶς, idem quod propter, vel germanicum darumb. Ubi nihil confirmandum proponitur, sed tantùm causa affertur ejus rei, quæ jam est certa.

CVI. 2. Significant συλλογιστικῶς, idem quod germanicum denn. Ubi non indicant causam rei, sed præcedentis assertionis probationem annectunt. De priore significatione nemini est dubium, de posteriori videbimus.

CVII. 1. *Ioh.* 3,14. evidens est exemplum. *Scimus*, inquit, *quod transivimus ex morte in vitam* (unde vero hoc scimus?) *quia diligimus fratres.* Est demonstratio ἐκ τοῦ ὅτι.

CIIX. *Lucæ* 7,47. probaturus Christus mulierem illam, quæ peccatrix fuerat, justiorem esse Simone, quam ipse condemnabat, dicit: λέγω σοι, *Affirmo tibi: Remissa sunt ei multa peccata* (Unde verò mi Christe, hoc affirmas?) *quia dilexit multum. Cui autem minus remittitur, minus diligit*, non qui minus diligit, ei minus remittitur.

CIX. Quin etiam ex familiari usu sermonis exempla deprome-re facile est. Cicero factus est doctus. Quare? quia diligenter studuit. Est Quia causale. Cicero est interfectus. Unde hoc scis? quia caput ejus Romam est allatum. Est Quia rationale.

CX. Et talem quoq; significationem habet particula *Enim* in dicto hoc quod citat Bellar: *Matth.* 25,34. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Esurivi enim & cibastis me.* Ubi bona fidelium opera allegantur, non tanquam causa salutis æternæ, sed ut testes fidei illorum, ex quibus perspicuum evadet, fuisse fidem illorum vivam & per charitatem ἐνεργουμένην.

Pro-

CXI. Probamus hoc 1. ex textu, ubi tria argumenta in contrarium nobis suppeditantur. 1. Nominat Christus justos *benedictos Patris sui. Benedixit autem Deus nos in omni benedictione spirituali in cœlis non propter opera nostra, sed in Christo Ephes.* 1, 3 2. dicit κληρονομήσατε, i. *hereditario jure possidete*, non accipite mercedem. 3. dicit regnum illos non promeritos esse, sed *paratum fuisse ab exordio mundi.*

CXII. 2. Ex alijs Scripturæ dictis, quæ contrarium testantur. *2. Tim. 1, 9. Salvavit nos & vocavit vocatione sancta* non secundùm opera nostra, *sed secundùm propositum & gratiam.* Tit. 3, 5.

CXIII. Ad quarti argumenti dicta generaliter respondemus, justum esse, ut *Deus afflictis retribuat requiem.* 1. non secundùm absolutam suam justitiam, secundùm quam *nemini quicquam debet, Rom.* 11, 34. Aliàs non *justificaret impium. Rom.* 4, 5. sed justum.

CXIV. 2. Sed secundùm justitiam illam in Christi misericordi erga nos affectu tinctam & temperatã. Deus enim piorum suorum passiones pensat ex gratia non ex debito. *Illæ enim non sunt condignæ gloriæ in nobis revelandæ. Rom.* 8, 18.

CXV. 3. Justum etiam est secundùm promissionem & veritatem Dei, Justitia enim in Scriptura interdum pro veritate sumitur. Retributio ergo illa in verbo Dei ex gratia promissa, jam vigore divinæ hujus promissionis cadit in debitum, ita ut post factam promissionem justum sit Deo servare quæ promisit.

CXVI. Hinc Apostolus *Rom.* 3, 25. 26. *Justitiam Dei declarari affirmat per remissionem peccatorum, ut sit ipse justus justificans eum, qui est ex fide Iesu.*

CXVII. Ἐπινίκιον illud D. Pauli (quod pro se allegat Bellarminus) 2. *Tim.* 4, 8. *Quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex*; non agit de causis justificationis & saluationis æternæ, sed de præmijs bonorum operum, quæ Dominus propter solum Christi meritum fide apprehensum justificatis in vita æterna reddit.

CXIIIX. Omne autem momentum situm est in tribus istis terminis. 1. *corona justitiæ.* 2. *Iustus judex.* 3. *reddet*, quibus singulis evolutis sensus erit clarior.

CXIX. *Iustitiæ corona* non intelligitur corona nostrâ justitiâ acquisita. Repugnat enim hoc Paulo, qui *vitam æternam donum* vocat *Rom.* 8, *v. ult. qui suam justitiam pro damnis & rejectamentis reputat. Ph.* 3, 8.

quiq;

quiq; dicit, *se quidem nihil sibi conscium esse, sed in hoc non justificatum* 1. Cor. 4,4. Imo pugnat cum tota disputatione Paulina *Rom. 3. & 4. Gal. 2 & 3.*

CXX. Verùm innuitur corona justitiæ Christi per fidē nobis imputarę quę sic dicitur, tũ quia eam nobis acquisivit *1. Cor. 1,30. 2. Cor. 5, v. ult.* tum quia quod gratis promisit ex sua justitia præstat. *Hebr. 6,10.* Corona autem dicitur, quia *datur certanti & vincenti. 2. Tim. 2, 5.* qui scilicet fide contra diabolum, ejusq; organa decertant.

CXXI. Justus Judex dicitur non legaliter, sed Evangelicè, non quia pios judicat secundum rigorem justitiæ suæ, quæ legis est, *juxta quam nulla caro potest salvari psalm. 143. 2. Rom. 3. 20 Gallat. 2, 16.* Sed quia *justificat eum, qui est ex fide Iesu Rom. 3, 16 ex mera gratia Rom. 3, 21. 28.* Deinde potest etiam exponi pro fideli & veraci.

CXXII. Reddet autem non propter merita Pauli, quæ nulla agnoscit *1. Cor. 4, 4. 1. Tim. 1, 6. Phil. 3, 8.* Sed propter suam gratuitam promissionem. Debitorem enim fidelem se Dominus nobis fecit Non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia nobis promittendo.

CXXIII. Explicationem hanc veram esse patet ex loco illo *Apoc 4, 10, 11. ubi viginti quatuor seniores abjiciunt coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine, qui accipias gloriam &c.* hoc ipso facto ostendentes, se non suo merito, sed gratia agni, hoc est, CHRISTI accipere suas coronas.

CXXIV. In quarti argumenti dictis confundit Bellarminus promissiones legales & Evangelicas. Illę docent viam æternam promissam esse operibus, hæ vero ex fide imputari nobis justitiam Christi monstrant.

CXXV. Primum dictum *Matth. 19, 17. si vis vitam ingredi, serva mandata, 1.* legale est. Nihil ergo promittit nisi sub observatione mandatorum perfecta, quæ impossibilis est, *quippe infirmata per carnem. Rom. 8, 18. Gal. 3, 21. 22.* 2. Debuit autem Christus Pharisæum superbum ad legem non ad Evangilium remittere, ut inde naturalem suam imbecillitatē agnoscceret, remediumq; salutare quæreret. *Lex enim est pædagogus ad* Christum *Rom 3, 20.* 3. *Quærit* Pharisæus de justitia legali, quid sc. faciendum ipsi, non quid credendum sit, ut vitam æternam ingredi possit, proinde rectè ei ex lege respondetur.

CXXVI. Secundum *Matth. 19, 29. Quicunq; reliquerit domum, patrem &c. centuplum accipiet. & vitam æternam hæreditabit. 1.* promittit beneſi-

neficia ſpiritualia pro bonis amiſſis centuplo majora. 2. non mercedis ſed conſolationis & recreationis loco vitæ æternæ poſſeſſionem ipſi adjudicat, quod ipſe innuit, dum ait κληρονομήσ.

CXXVII. Ad tertium 1. Tim. 4,8. *pietas promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ*, reſpondeo diſtinguendo, tum inter Pietatẽ, cujus diſtinctæ ſunt partes, potiſſima quidem fides, reliquæ verò virtutes Chriſtianæ: tum inter promiſſioues, quæ vel ſunt corporales, vel ſpirituales, eęq; vel ipſa beatitudo, vel diſtincti beatitudinis gradus. Cuilibet autem parti ſua aſſignanda eſt promiſſio.

CXXVIII. In quarto ilo Iac. 1,12. *Accipiet coronam vitæ, quam promiſit* DEVS *diligentibus ſe*, non deſcribitur cauſa noſtræ juſtificationis, vel medium applicationis, vel forma, in qua conſiſtit juſtificatio coram DEo: ſed qualitas & ingenium eorum, qui ſunt juſtificati.

CXXIX. Ad ſextum argumentum reſpondeo, non negari ſacram Scripturam juſtos pronunciare dignos regno Dei. Digni autem ſunt non dignitate propria, ſed Chriſti dignitate & merito. Etenim cùm eſſemus cœleſti beatitudine propter peccata prorſus indigni, Devs *qui dives eſt in miſericordia ſua* Eph. 2,4. *in* CHRISTO IESV. *dignos nos fecit & idoneos ad participationem ſortis ſanctorum in lumine*. Col. 1,12.

CXXX. In ultimo argumento nulla eſt conſequentia. Deus Eſt juſtus, nec acceptor perſonarum. Abſurdus es Bellarmine: ſi ita inters: Ergo opera bona juſtorum ſunt meritoria vitæ æternæ. Nec ita ritè infertur. Juſtus judex non dat præmium ſine meritis. Ergo Deus in retributione præmiorum reſpicit hominum merita. Iterum abſurdus es Bellarmine! Reſpicit enim potiùs meritum illud ſufficientiſſimum CHRISTI, *qui dedit animam ſuam* λύτρον *pro Multis*. Matth. 20,28.

CXXXI. Concludimus tandem. *Ergo bona juſtorum opera non ſunt Meritoria vitæ æternæ.*

Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei. Dan. 9,7.

FINIS.

FINIS

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM EX SYMBOLO APOSTOLICO Decades V.

QUINDECIM DISPUTATIONIBUS breviter ac perſpicuè explicatæ ac ventilatæ,

In Electorali ad Albim Academia,

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNE FÖRSTERO
SS. Th. Doct. & Prof. Ordinario.

Pſal. 116.

Credidi, propterà locutus ſum.

VVITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS GORMANNI.
ANNO M. DC. XIII.

Generosi & illustris Baronis, ac Domini, Domini

HENRICI Junioris RUTHENI, Domini à Plauen / Domini in Graitz / Crannichfeld / Gerau / Schleitz & Lobestein / &c. Domini sui gratiosi,

FILIIS

Generosis & Illustribus Baronibus;

Dn. HENRICO RUTHENIO Secundo Juniori; Domino HENRICO Tertio Juniori, Fratribus Germanis, Dominis à Plauen / Dominis in Graitz / Crannichfeld / Gerau / Schleitz & Lobenstein / Dominis suis gratiosis.

Gratiam ac pacem, cum omni prosperitate animi & corporis à DEO PATRE, per JESVM CHRISTVM, in SPIRITV SANCTO.

P.

MEmorabilis & consideratione digna est *B. Augustini* sententia, Generosi & Illustres Domini Barones, Domini gratiosi, eaq; his quidem concepta verbis: *Symbolon Regula fidei brevis est & grandis; brevis numero verborum, grandis Sacramentis & pondere sententiarum.* *Serm. 135. de Temp.*

O eulogion Symboli Apostolici non minus verum, quàm præclarum! Constat illud saltem *duodecim* brevibus ac succinctis aphorismis, quorum singuli singulis Apostolis vendicari vulgò consueverunt; sed in his *Octodecim* articuli fidei continentur, imò pleriq; omnes, quibus *res fidei* comprehenduntur.

Verè igitur Symbolon istud est Symbolon, id est, nota ac tessera Ecclesiæ veræ & Orthodoxæ, qua ab omnibus Sectis & Ἑτεροδόξοις discernenda, quorum hodiè *duo* potissimùm agmina, quibus cum Ecclesiis nostris conflictandum; *Vnum* ducit Pontifex Romanus cum satellitibus suis Lojolanæ factionis Monachis, qui se pro sua, qua universo Orbi Christiano imponere student, hypocrisi Iesuitas appellitant. *Alterius* Dux & Coryphæus est Calvinus suis cum discipulis.

Sed utrumque istud agmen ab ὀρθοδοξίᾳ Symboli Apostolici, in pluribus Articulis, aberrare in hisce nostris Disputationibus passim ostendimus.

Et quidem quantum Calvinianos attinet: gloriatur quidem *Beza in Respons. ad Acta Colloquij Momp. part. 2. p. 252.* nullum sibi suisq; manipularibus in fundamento religionis errorem objici posse, ideoq; nostratium amicitiam

citiam & fraternitatem, jure æquissimo ambire sibi videtur. Idem paucis ab hinc annis Scripto quodam peculiari jactitârunt *Theologi Calviniani in Palatinatu Electorali*: Quàm vera autem ista sit gloriatio, vel potius nulla, pluribus à nostris demonstratum est sæpius. Et ne longè abeamus ad oculum parebit illud, si quis κατ' ἀνπτυξίθεσιν præcipua Theologiæ Calvinisticæ capita ad Lydium Symboli Apostolici lapidem examinaverit.

Atq; hic etiam finis & usus est, & esse debet omnium Symbolorum & Confessionum, quæ, post Symbolon Apostolicum ab Ecclesia conditæ & editæ sunt, diversis temporibus, pro diversitate Adversariorum, à quibus se tessara istiusmodi publica segregare voluit.

Interim tamen Symbolo Apostolico meritò relinquitur sua ὑπεροχὴ, cum ob alias rationes gravissimas: tum ob illas etiam, propter quas *recitatio* ejus *quotidiana* Christianis omnibus quàm commendatissima esse debet.

Nam *primò* est & esse debet Symbolon illud augustissimum *Liber Eucharisticus*, è quo singulis diebus debita laudum præconia singulis tribus Trinitatis sacrosanctæ personis, pro summis & ingentibus beneficijs in nos cumulatissimè collatis grata mente persolvenda. Quid enim aliud pro illis reddere possumus, quàm Vitulos labiorum nostrorum? *Oseæ* 14. *Heb.* 13.

Secundò idem quoque esse potest ac debet *Hominis Christiani Palæstra*, in qua quotidiè fidem ac spem suam erga *DEVM* exercere ac confirmare valet. Quo quid utilius magisq; fructuosum, non apparet.

Accedit *tertiò*; quòd Symbolon Apostolicum non absimile *Horto*, in quo varij variarum doctrinarum cœlestium flosculi, quorum odore anima fidelis mirificè recreati, inq; Studio, Pietatis, incrementum facere potest maximè conspicuum.

Quartò

Quartò, non absre appellari potest aureolum illud Ecclesiæ κειμήλιον Sacrumq; Palladium *Fons vividæ consolationis* pro afflictis conscientiis, ad quarum vulnera & ægritudines sanandas, nihil tam est efficax, quàm frequens & assidua articulorum fidei meditatio. 4.

Quintò denique non immeritò quis illud habuerit pro amuleto & ἀμυντηρίῳ adversus Diabolum & ignita ejus tela. Nam, uti sententia vulgò nota habet: *Terretur Adversarius, cum videt hominis Christiani labia cruore* CHRISTI *rubentia.* Fructus verò cruoris CHRISTI & beneficiorum ejus applicatio nulla alia ratione fieri potest, quàm vera fide, de qua in Symbolo Apostolico ex professo tractatur. 5.

Quæ omnia liquidissimè declarant, quòd præclarum istud Ecclesiæ depositum in summo habendum precio.

Atque hæc etiam causa est, ob quam ego quidem pro talentuli mihi concessi tenuitate illius Exegesin Problematicam in me suscipere voluerim, imò debuerim.

Vobis autem Generosi & inclyti Domini Barones, Domini gratiosi, lucubratiunculam hanc dedicandam censui, propter rationes non adspernandi ponderis & momenti.

Primò enim me non latent, (& qui latêre possent, cùm jam dudum universam Germaniam fulgore suo collustrârint?) insignis pietas, Zelus ac studium veræ ac sinceræ religionis, aliæque virtutes verè Heroicæ & tanto Barone dignæ, quibus *Generosus & Illustris Dominus* PATER &c. *Dominus meus gratiosus*, SPIRITus Sancti gratia præditus & instructus. Unde fit, ut & V. V. I. I. G. G. in liberalium artium, &, quod præcipuum, in veræ pietatis ac religionis incorruptæ studio rectè ac laudabiliter educari, & ad virtutes patrias & avitas assuefieri solicitudine summa curet & allaboret.

Et, quod commendationem meretur eximiam, *Generosus & Inclytus Dominus Parens* sumtibus verè magnificis Scholam illustrem apperuit & erexit, in qua non tantùm liberalium disciplinarum autores diligenter & utiliter explicantur: sed fundamenta etiam Doctrinæ Lutheranæ auditoribus fideliter instillantur; tùm ex aliis libris: tum vel imprimis è Catechesi Lutheri, cujus pars præcipua Symbolon Apostolicon.

Atqui ut Schola recèns aperta prius haberet splendoris & luminis: Heros sapientissimus, pientissimus, V. V. I. I. G. G. Cœlo huic Scholastico, tanquam Stellas quasdam primæ magnitudinis inserendas censuit. Quam insignem tum Generosissimi Domini PATRIS, tùm V. V. I. I. G. G. pietatem & affectum erga veræ Religionis & optimarum artium studia, hac etiam dedicatione celebrare volui ac debui.

Impulit eodem me quoque amicitia & necessitudo, quæ mihi intercedit cum Reverendo & Clarissimo Viro Dn. FRIDERICO GLASERO Aulæ Vestræ, quæ est Geraviæ, modò Concionatore fidelissimo: jam verò *Illustris & Generosissimi Domini PATRIS Domini mei gratiosi Ditionum Superintendente* generali dignissimo, & Illustris ipsius Generositatis Theologo facile Principe, quem Zelo verè Lutherano in asserenda ac propugnanda Veritate cœlesti adversus omnes Adversarios tàm Calvos quàm Rasos ardere scio. Quo nomine & ipsum sincerè amo, & deinceps quoq; sanctam & fraternam amicitiam cum eo colam, idq; eò impensiùs, quantò magis fructuosa talis animorum inter doctores Ecclesiæ consensio.

Tandem etiam accedit, ut hac occasione Scholæ Vestræ optimè constitutæ publicè gratuler, & DEUM supplex venerer, ut Divina ope feliciter consolidetur ea

quàm

quam superiori anno fecit rimam, immaturo obitu, præstantissimi Viri Domini *M. Adami Reinhartii* amici & Compatris mei carissimi, p. m. qui non semel literis ad me perscriptis, de insigni pietate & amore literatum incredibili Generosissimi V. V. I. I. G. G. Domini Patris testificatus, simulq; haud obscura gratiæ, qua is erga me, indignum licet, propendeat, vestigia delineavit.

Quod superest igitur, ad æternum & omnipotentem DEUM PATREM DOMINI ac SALVATORIS nostri IESU CHRISTI, me confero & converto, eumque supplex oro, ut deinceps quoque *Generosißimo & inclyto Domino PATRI, & V. V. I. I. G. G.* una cum *DOMINA MATRE* & Generosis *FRATRIBVS ac SORORIBVS* ex alto benedicat, quà corpus, quà animum, quà animam, quà fortunas, quà Scholam illustrem, plantarium illud Ecclesiæ nobilissimum. Irriget illud DOMINUS salutari rore Spiritus sancti, & ad nominis sui Divini gloriam, Ecclesiæ suæ incrementum, & inclytæ domus Ruthenicæ immortale Decus, florere ac vigere sinat, per & propter FILIUM IESUM, qui illius Protector, Patronus, Inspector Supremus existat, Amen. *Scribebam 27. Februarij, Anno 1611. VVittebergæ.*

V. V. I. I. G. G.

humiliter colens

Ioh. Förſterus
SS. Theol. D. &
Prof. Ordinarius.

INDEX

AD

AD LECTOREM.

A B C D.

PRodeunt iterum Quinque Decades Problematum, ex Catecheſi Lutherana, & quidem ſecunda ejus parte, quam Symbolon Apoſtolicum, conſtituit deſumptorum.

Has ut animo Lutherano, id eſt, Candido accipias precor. Si quæ ſphalmata occurrerint Typographica (occurrent autem ſcio pluſcula) haud gravatim corrige. Jam etiam Orationis Dominicæ ἐξήγησιν ϖϱοβλημαπικὴν meditor, & ſi DOMINUS valetudinem ſervaverit integram: è reſiduis etiam Catecheſeos Lutheranæ partibus aliquos Problematum Decadas adornabimus. Vale.

INDEX

INDEX
PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX SYMBOLO APOSTOLICO, QUINQUE DECADIBUS comprehensorum.

DECADIS PRIMÆ PROBLEMATA.

I. *Quæ & quanta sit Symbolorum autoritas in Ecclesia.*

II. *An Symbolum Apostolicum ab ipsismet Apostolis conscriptum.*

III. *An Zuvinglio Calviniani pro Sociis incorruptæ & invariatæ Confessionis Augustanæ jure sese venditent.*

IV. *An Ecclesia ejusq; membra à Symbolis & Confessione, cui addicta, denominationem desumere possint ac debeant, ideò, ut à parte adversa se sejungant, atq; adeò cavcant, ne communis Christianorum nomine simplicioribus imponatur & fucus fiat.*

V. *An fides sit fiducia.*

VI. *An fides rectè definiatur per ignorantiam.*

VII. *An nonnunquàm licitum sit simulare confessionem.*

VIII. *An sit naturalis quædam Dei notitia, & qualis hæc, & quis ejus usus.*

IX. *Num mysterium Sacrosanctæ atque individuæ Trinitatis, in historia Creationis, mox ab initio cap. I. Geneseos fundatum.*

X. *Quo respectu Patri opus Creationis, Filio opus Redemtionis, Spiritui sancto opus Sanctificationis in Symbolo Apostolico assignetur.*

DECADIS SECUNDÆ PROBLEMATA.

I. An Mundus in tempore esse caperit, & quo anni tempore.

II. An Mundus interiturus sit per ἀπολείψιν, secundùm accidentia modò: An verò, per φθορὰν secundùm substantiam.

III. An, quando, & ex qua materia Angeli sint conditi.

IV. Quidnam propriè fuerit imago DEI, ad quam Homo in prima Creatione est conditus.

V. An DEVS quosdam homines ad æternam damnationem condiderit.

VI. Qualis propagatio animæ hominis post lapsum.

VII. Quæ sit causa efficaciter operans & procreans peccatum.

VIII. An præscientia Dei sit causa rerum præscitarum efficiens, ijsq; vim & necessitatem eventus inferens.

IX. An Mors cujusq; hominis, tam violenta, quàm naturalis, ex absoluto quodam DEI decreto & fato inevitabili dependeat.

X. An Calviniani omnipotentiam DEI primo Symboli Apostolici articulo assertam, in dubium vocent, & imminutum eant.

DECADIS TERTIÆ
PROBLEMATA.

I. An Vnctio, à quâ Salvator Christus in Scripturâ denominatur, finitis vel infinitis Spiritus sancti donis constet.

II. An Vnio personalis duarum in Christo naturarum rectè & sufficienter à Zvvinglio-Calvinianis definiatur.

III. An Christo Homini Majestas τῦ λόγυ infinita vereque divina, propter τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν cum λόγῳ, verè ac realiter sit communicata.

IV. Quo respectu Christus dicatur ac credatur conceptus de Spiritu sancto.

V. An Maria semper-virgo extiterit immunis à peccato originali.

6. An

VI. An Nativitas Christi ex Maria virgine extiterit miraculosa, adeoq; non ordinariâ, sed extraordinariâ ratione, non secundum, sed præter communem naturæ modum & ordinem facta.

VII. An Maria ἡ Θεοτόκος Virgo illibata manserit ante partum, in partu & post partum.

VIII. An tantùm sola humana Christi natura passa ac mortua.

IX. An Christus pro damnatis etjam passus ac mortuus.

X. An Christus ὄντως & καθ' ἀλήθειαν mortuus: an verò φαινομένως & κατ' φαντασίαν duntaxat.

DECADIS QUARTÆ PROBLEMATA.

I. An infernus sit locus quidam subterraneus vel profundus circa centrum terræ.

II. An hæc verba: Descendit ad inferos: constituant peculiarem Symboli Apostolici Articulum, à ceteris omnibus ac singulis diversum atq; distinctum.

III. An sola tantum anima Christi descenderit ad inferos: an v. totus ὁλικῶς & secundùm utramq; naturam divinam & humanam hancq; integram atq; adeò non tantùm rationæ animæ: sed etjã corporis.

IV. An Christus seipsum sua propriâ virtute excitârit à mortuis.

V. An Christus corpore suo glorioso penetrârit saxum sepulchri obsignatum, & num januis clausis post resurrectionem ad discipulos ingressus.

VI. Quo sensu & intellectu Christus ab Apostolo Rom. 4. dicatur excitatus, propter justificationem nostram.

VII. Quis sit terminus ascensionis CHRISTI AD QVEM.

VIII. Quid propriè dicatur & sit dextera DEI.

IX. *Quid dicatur & sit sedere ad dextram Dei:*
X. *An Christus etiam quà Homo judex sit à DEO constitutus.*

DECADIS QUINTÆ PROBLEMATA.

I. *An Spiritus sanctus simul à PATRE & FILIO procedat.*

Vel:

An solus Pater spirando producat Spiritum sanctum, excluso inde Filio; an verò uterq; & Pater & Filius simul unâ individuâ spiratione, Spiritum sanctum producant, ut ita ipse utriusq; θεοβολέως commune spiraculum vel θεόβλημα existat.

II. *An peccatis contra conscientiam à Renatis & Electis etjam excutiatur & amittatur Spiritus sanctus.*

III. *Num Spiritus sanctus detur & habitet in credentibus quod substantiam vel δοτικῶς: an verò tantùm quoad dona ἐνεργητικῶς.*

IV. *An Ecclesia possit deficere.*

V. *Utrum Ecclesia errare possit.*

VI. *An justificatio hominis peccatoris coram DEO consistat in sola remissione peccatorum, & non etjam simul in interna renovatione.*

VII *An corpora eadem numero & substantiâ in extremo die ex mortuis resurrectura.*

VIII. *Quæsit conditio animarum post hanc Vitam antequam iterum reuniantur cum suis corporibus.*

IX. *An invisibilitas sit in censu qualitatum corporum glorificatorum habenda.*

X. *An Ethnici saniores & honestiores etjam consortes vitæ*

Ex

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS PRIMAE
Problemata I. II. III. IV.

RESPONDENTE

M. CASPARO GLAVVERO

Boleslavia-Silesio.

Ad 10. Novembris horis locoq; consuetis.

PROBLEMA I.

Quæ & quanta sit Symbolorum autoritas in Ecclesia.

THESIS I.

DUo sunt potissimùm Scriptorum, quibus Ecclesiæ doctrina proponitur genera: *Divinum* unum: *Ecclesiasticum* alterum.

II. *Divinum* appellamus, quod divinis literis, id est, Canonicis Prophetarum & Apostolorum libris continetur,

III. *Ecclesiasticum* verò, quod ab Ecclesia, ejusque Doctoribus memoriæ proditum extat.

IV. Cujusmodi maximè ac præcipuè sunt Ecclesiarum Symbola, sic dicta, quòd sint, & esse debeant Symbolum, id est, tessara veræ & sinceræ Christi Ecclesiæ, sub signis Ducis sui Jesu Christi, in terris hisce militantis. *Definitio Symbolorum.* 1. *Nominis.*

V. *Definitionis nominis* si quis *definitionẽ rei* adjungi postuleris utriq; non minùs verè quàm nervosè cum (*a*) Apostolo illam definierit: ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, i. e. præcipuorum Relig. Christ. capitum epitomen. (a) *2. Tim. 1, 13.* 2. *Rei.*

VI. Eorum porrò primaria maximeq; classica uno quasi fasciculo comprehensa habentur, in aureo Christianæ Concordiæ Libro.

VII. Et quidem prima inibi sedes assignata est, tribus illis Symbolis Ecclesiæ Catholicis & Oecumenicis. *Symbolo Oecumenica.*

VIII. Quorum. 1. *Apostolicum.* 2. *Nicenum*, in Synodo Nicena *Anno* Christi 325, compositum. 3. *Anastasianum*, in Synodo Alexandrina, *Anno* Christi 371, approbatum, & à Catholica Ecclesia receptum.

Symbolorum autoritas.

IX. Verum enimverò etsi Symbolorum in Ecclesia utilitas maxima, & autoritas jam non exigua: ingens tamen inter hæc & Scripturam discrimen meritò agnoscimus.

X. *Vtilitas* Symbolorum inde patet, quòd, eorum beneficio, vera ac falsa tum doctrina, tum Ecclesia, tanquam signo quodam publico, & in sensus incurrente, internosci queat.

XI. Quo respectu Symbolon Nicenum πάσης αἱρέσεως φρουρὸν nuncupatum ab *Athanasio* apud Epiphanium in Dimœritis.

Autoritas.

XII. *Autoritas* verò quòd in Symbolis publica & solennis totius Ecclesiæ Confessio consignata exhibetur.

XIII. Interim v. non eadem vel ἰσότιμα eorum est autoritas, quæ Scripturæ, tantùm abest, ut illa huic exæquari possint ac debeant.

Discrimen inter Scripturam & Symbola.

XIV. Calumnia igitur est, quòd nonnulli ex Adversarijs criminantur, quasi Symbola nostra sacris literis exæquare non vereamur.

XV. Nam, ut, ὡς ἐν τύπῳ, saltem præcipua discriminum inter Scripturã & Symb. Ecclesiæ, capita, levi penicillo delineemus: 1. Scriptura est αὐτάληθὴς & ἀναμάρτητος: Symbola v. minimè.

XVI. 2. Et proindè Symbolis sua constat autoritas non πρώτως, sed δευτέρως, id est, quatenus ex Scriptura sunt deducta, ut rivuli è fonte, vel ut principiata è suis principijs.

XVII. 3. Nam Scriptura ἀμέσως & immediatè (b) à Deo suam trahit habetq; originem: Symbola verò ἐμμέσως vel mediatè per Scripturam.

(b) *1. Petr. 1. v. 21.*

XVIII. 4. Et sic Scriptura in rebus Theologicis regulæ & normæ infallibilis & omnibus numeris perfectè vicem gerit: Symbola verò testium tantùm partes sustinent.

XIX. Et talium quidem testium, qui testimonium suum ad solam solius Scripturæ normam examussim conformare tenentur *Es. c. 8. 20.*

XX. 5. Et sicut ex illa genuinus doctrinæ Cœlestis sensus: ita ex his Ecclesiæ consensus & doctrinæ in Scriptura tradicæ confessio peritur.

XXI. 6. Illa cum credendi necessitate: hæc cum judicandi libertate recipienda, juxta *Augustinum.*

Tom. VI. contra Faustum Manichæum lib. 11. cap. 5.

XXII. Legatur de hoc argumenti genere *Liber Christianæ Concordiæ, in præfatione in Epitomen Articulorum controversarum*, itemq; *Apologia* ejusdem Libri *cap. X.* Nos conferimus nos ad secundum Problema.

II. PROBLEMA.

An Symbolon Apostolicum ab ipsismet Apostolis conscriptum.

XXIII. *Duæ* de quæstione isthanc tam apud Veteres quàm Recentiores Scriptores Ecclesiasticos sese offerunt sententiæ. *Duæ de hâc Probl. sententia.*

XXIV. *Prior* est eorum, qui Symbolon Apostolicum sit dictum esse existimant, ratione *causæ efficientis ad ministræ*, quòd nimirum ab ipsis duodecim Apostolis, antequam Hierosolymis discederent, compositum fuerit, conferentibus singulis in medium suum Σύμβολον μέρος, vel Symbolam. 1. *Sententia Prior.*

XXV. Hanc sententiam è Patribus amplectuntur pleriq; omnes. Maximè verò *Ruffinus, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus* teste Centuriat. Magdeburgensi Cap. IV. fol. 66.

XXVI. *Ruffinus Aquileiensis* apud Cyprianum in Expositione Symboli ait: *Autoritas Patrum.*

> *Tradunt majores nostri, quòd post Ascensionem* DOMINI, *cum per adventã sancti Spiritus, super singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diversis varijsque loquerentur, per quod eis nullæ gens extera, nullæ linguæ barbaræ inaccessæ viderentur & inviæ, præceptum eis à* DOMINO *datum, ob prædicandum Verbum* DEI, *ad singulas quasq; proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam prædicationis in commune constituunt, ne fortè alius ab alio abducti, diversum aliquid, his qui ad fidem* CHRISTI *mutabantur, exponerent. Omnes ergò in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud, futuræ sibi, ut diximus, prædicationis judicium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.*

XXVII. *Ambrosius* in Sermone 38. de jejunijs & Quadragesima scribit: *Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit: arbitror illam* Duodecim artificum operatione *conflatam.* Duodecim enim Apostolorum Symboli fides fides sancta concepta est, *qui velut periti artifices, in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt: clavem enim quandam, ipsum Symbolum dixerim.*

28. Hiero-

XXVIII. *Hieronymus* in Epistola ad Pammmachium, adversùs errores Johannis Hierosolymitani, tradit :

In Symboli fidei & spei nostræ quod ad Apostolis *traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & veritatem Ecclesia, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione includitur.*

XXIX. *Augustinus* deniq; *Serm. 115. de tempore* usq; adeò in hanc descendit sententiam, ut Symbolon Apostolicum in duodecim articulos distribuat, quorum singulos singulis ordine Apostolis acceptum refert.

XXX. Lubet, in tyronum gratiam, distributionem illam huc assignare.

I. Petrus : *Credo in DEVM Patrem omnipotentem.*
II. Johannes : *Creatorem cœli & terræ.*
III. Jacobus : *Credo & in Iesum Christum, Filium DEI unigenitum Dominum nostrum.*
IV. Andreas : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*
V. Philippus : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*
VI. Thomas : *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.*
VII. Bartholomæus : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*
VIII. Matthæus : *inde venturus est judicare vivos & mortuos.*
IX. Jacobus Alphæus : *Credo & in Spiritum Sanctam sanctam Ecclesiam Catholicam.*
X. Simon Zelota : *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.*
XI. Judas Jacobi : *Carnis resurrectionem.*
XII. Matthias : *Vitam æternam.*

XXXI. Accedit eò, quòd antiquissimus Patrum *Irenæus* Symbolon illud non modò traditionem Apostolicam appellat : sed summam illius, ijsdem ferè verbis recitat, quibus illud descriptum extat :

Sic enim ille *lib. 1. adversùs hæreses cap. 2.*

Ἡμὲν γὰρ ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἑωσπερεὶ τῶν τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα τὸν ποιητὴν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν σεσαρκω-

θόν πα

γένται ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας, καὶ τὰς ἐλεύσεις, καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἐνσαρκὸν εἰς τὰς ἀρχὰς ἀνάληψιν τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τὴν ἐκ τῶν ἀρχῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ, ἵνα τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα καὶ ἀναστῆσαι, πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος.

XXXIII. *Et lib. 3 cap. 4.*

Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiuntur multæ gentes Barbarorum, quorum qui in CHRISTVM *credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem; & veterem Traditionem diligenter custodientes, in unum* DEVM *credentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per* CHRISTVM IESVM DEI *filium: Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem eam, quæ esset ex Virgine, generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans* DEO, *& passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria, venturus Salvator eorum qui salvantur & judex eorum qui judicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemtores Patris sui, & adventus ejus.*

XXXIV. Et tantum de priore sententia: Posterior est eorum, qui Epitomen illam Fidei Catholicæ Symbolon Apostolicum dici arbitrantur, *ratione materiæ*, eò quòd primaria doctrinæ Apostolicæ capita, per eorum Scripta hinc indè dispersa, in hunc velut fasciculum, collecta, & in integrum systema breviter redacta, comprehendantur. *2. Posterior sententia.*

XXXV. Et huc *Augustinus* pariter inclinat *Serm. 181. de Tempore. Et lib. 1. ad Catech.* scribit:

Ista verba quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt: sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere & possit tenere, quod credit.

XXXVI. Quamvis igitur ratione *formæ*, & διωρισμένως ac *spe-*

tiatim, vel quoad *singula verba*, Symbolon Apostolicum non fuerit conscriptum ab ipsis Apostolis : sed forsan ab aliquo eorum discipulo aut successore: dicendum & docendum tamen, quod ratione *materiæ* συγχεχυμένως & *generatim*, vel *quoad verborum sensum* in Apostolorum libris consignatum reperiatur,

XXXVII. Et maximè quidem *Act. 2, 29.* & seq. ubi Petrus Concione sua Pentecostali plerosq; omnes vel certè præcipuos Symboli Apostolici articulos κεφαλαιωδῶς recenset.

XXXVIII. Atq; hæc sanè posterior sententia veritati vel maximè videtur consentanea : prior verò minùs.

XXXIX. Et hoc potissimùm ideò, quòd Lucas Scriptor Actorum Apostolicorum accuratissimus, historiæ istius de συμβολαιογραφία Apostolorum, scitu & cognitu omnium dignissimæ, & proinde maximè ἀξιογράφῳ, nullam uspiam facit mentionem, cùm multò minutiora solicitè ac curiosè admodum persequatur.

XL. Interim tamen priorem istam non omninò rejicimus, siquidem è nostratibus quoq; non pauci eidem subscribunt, atq; adeo & ipsi Symbolon Apostolicum, pro traditione Apostolica, habent & agnoscunt.

XLI. Intelligunt verò talem traditionem, quæ scriptis Apostolorum non contraria : sed analoga, imò inibi comprehensa indeque desumpta, & cui Ecclesia nihil quicquam addiderit ampliùs, quam historicam testificationem.

XLII. Nihil igitur exinde, sive contra Scripturæ perfectionem sive pro suis, quas venditant, traditiunculis, excundere possunt sedis Apostaticæ Satellites Jesuitæ.

III. PROBLEMA.

An Zvvinglio Calviniani pro Socijs incorruptæ & invariatæ Confessionis Augustanæ jure sese venditent.

XLII. Confessio Anno 1530. die 25. Julij, invictissimo Imperatori CAROLO V. exhibita (c) publicèq; in solenni ac frequenti confessu *Romani* imperij, à D. Christiano Beyero, Cancellario Saxonico prælecta, Zvvinglio Calvinianis sudes est in oculis.

(c) *Tom. V. Ien. fol. 30.*

XLIV. Ideoque nunquam non eandem aggressi sunt: modò inimico, modò amico vultu, jam vulpinam: jam leoninam obvertendo.

XLV. Et quis omnes eorum technas enumeraverit? Notamus unam atq; alteram, easq; è puris putisq; mendacijs consutas. *Mendacia Calvinianorũ contra Augustanã Confessionem.*

XLVI. 1. Ausi sunt eorum nonnulli negare Confessionis illius Augustissimæ articulos, ab illo acri & alacri veritatis Divinæ Assertore Luthero conscriptos fuisse.

XLVII. 2. Sed si quis modò inspexerit *Tomum V. Lutheri Ienensem*: is mox *pag. 14.* consignationem offendet eorum articulorum omnium, qui postea à Philippo Melanchthone Latinitate donati, & paulò ampliùs oratione dilatti, in Augustana confessione continentur.

XLVIII. Titulus est:

Bekentnüss Christlicher Lehre vnd Glaubens durch D. Mart. Luth. in 17. Artickel verfasset.

XLIX. Quòd etiam in eo negotio nihil planè, absque præscitu, consilio & consensu Lutheri susceptum & peractum fuerit: id ex eodem tam clarum est, atq; solis meridiani jubar.

fol. 21. 22. 30. 39. 40. 41. 42. &c.

L. 3. Non verentur eam Confessionem, quæ in ipsis Comitijs Augustæ Anno 30. celebratis, autoritate publicâ conscripta, & Carolo V. exhibita, quantum in ipsis, exautorare, in ejusq; locum illam alteram, Anno 40. VViteberga privatis in ædibus clam & subdolè exaratam surrogare.

LI. Sed in universo Orbe CHRISTIANO jam dudum percrebuit: Philippum Melanchthonem ausu privato Confessionem illam, in gratiam Zvvinglianorum, non uno in loco mutâsse, eoque nomine, jussu Electoris Saxoniæ, à D. Pontano graviter & severè objurgatum fuisse; eoque adductum, ut statim altero, post ἀλλοίωσιν illam, anno, in solenni conventu Ratisbonensi, ea, quæ inibi vel expuncta vel variata fuerant, publicè restituerit.

Oper. Philip. Tom. IV. p. 736.

LII. Cætera Zvvinglio-Calvinianorum calumniæ videantur in admonit. Neostad. p. 144. 145.

LIII. Referatur item huc Apologia Protestantium, quæ habetur in Præfatione Libri Concordiæ.

Negativa problematis adfertur.

LIV. Nos ad institutum nostrum nos convertimus, id est, ad Problema modò propositum, cujus Negativam tum Ἰσοφυῶς: tum δογματικῶς asserturi.

Ἰσοφυῶς trifarium.

LV. *Fundamenta* assertionis *historicæ* petimus, 1. *ex Sleidano.* 2. *ex testimonio Philippi*, qui aliàs apud Zvvinglio-Calvinianos in summa autoritate; 3. ex propria Adversariorum Confessione. Σεμνὴ γὰρ καὶ ἡ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία, juxta *Isiodorum Pelusiotam Epist. 218.*

LVI. 1. Et *Sleidanus* quidem autor est, quòd ipso Comitiorum tempore Zvvinglius ejusque socij sese ab Augustana Confessione sejunxerint. Verba ejus hæc sunt:

Lib. VII. mihi fol. 58.

Interim Argentinenses, Constantinenses, Meningi, Lindavij, doctrinæ suæ confessionem, scriptam & ipsi tradunt Cæsari. De Cœna DOMINI, non idem hi, quod Saxones, atq; socij sentiebant, *ut supra diximus.*

Similia his leguntur in eodem libro fol. 167. 168. 169.

Item Lib. VIII. mihi fol. 183.

I. LVII. II. *Philippus Melanchthon* a. in ipsis Comitijs per literas à Luthero petijt, ut Philippum Hassiæ Landgravium cohortaretur, ne se Helvetiorum [*Zvvglianorum*] toties iteratis solicitationibus frangi, & in eorum partes pertrahi pateretur.

LVIII. Cui Melanchthonis petitioni satisfaciens, Reverendus Pater LUTHERUS ad Landgravium exaravit epistolam, in qua ipsum non modò dehortatur ab illo cum Helvetijs syncretismo: sed errores etjam Zvvinglij magno ardore spiritûs perstringit & condemnat.

Tom. V. Ienens. fol. 22. 23.

LIX. Adde, quòd idem Philippus tum itidem ad Lutherum perscripsit, quod Zvvinglius peculiarem Confessionem Augustam misserit, à nostratibus verò neque tum neque ullo tempore post acceptaram.

LX. III. Quod denique *adversarios* attinet, juvat huc duntaxat

xat factionis Sacramentariæ Ducum *Calvini* & *Bezæ* testimonia adducere :

Calvinus in Epist. 10. Sep. Anno 61. scripta pag. 251. prior. edit.

Augustana Confessio, ut scis, FAX est vestræ furiæ ad excinandum incendium, quo conflagret tota Gallia. Sed quærendum est quorsum obtrudatur : cum semper ejus mollities cordatis displicuerit, autorem ejus pœnituerit, & in plerisq; locis accommodata sit ad peculiarem usum Germaniæ. Omitto quod ejus brevitas & obscura & præteritis quibusdam maximi momenti capitibus mutila est, &c.

Beza Volum. 3. Epist. 1. pag. 189.

Restat Germanica Confessio, quam Augustanam vocant, cujus Professores non inficior inter se acrius dissentire. Fateor etiam illam nobis in quibusdam NON SATISFACERE, atq; adeò in nonnullis ac præsertim in capite de Cœna Domini NON PROBARI.

LXI. Consulatur Scriptum Reverendi nostri Collegæ, Dn. D. *Leonharti Hutteri*, cujus Epigraphe *Calvinista Aulico-Politicus*, in quo thema istud plana & plena tractatione disputatur.

LXII. Assertionis *dogmaticæ* fundamenta ante oculos statuit *ἀνυποθέτως* utriusq; doctrinæ, id est ejus, quæ in Confessione Augustana traditur, & ejus, quæ à Zvvinglio-Calvinianis voce & stylo hodieq; spargitur & propugnatur. II. δογματικῶς.

LXIII. Sed ne videamur τὸ πρᾶγμα πράττειν : Remittimus Theologiæ Studiosos ad primam Disputationem B. *Hunnij* in Augustanam Confessionem, itaq; ad geminam dissertationem Domini D. *Menzeri*, quibus Titulus : *Collatio doctrinæ Zvvinglij Theodori Bezæ, & sociorum cum Augustana Confessione.*

LXIV. Jam concludimus : Zvvinglio-Calvinianos nullo jure se vendirare posse pro socijs Augustanæ Confessionis incorruptæ, & proinde nec habendos esse pro Fratribus.

LXV. Interim tamen pacem Religioni daram ipsius non invidemus, imò nos etiam pacem externam & politicam cum ipsis colemus, & colendam non dissuadebimus, exemplo & consilio Lutheri, qui in (c) Colloquio Marburgensi dextram fraternitatis Zvvinglio & socijs ejus quidem negavit : sed tamen externam & politicam pacē ijsdem non negandam censuit. (c) *Tom. IV. Ien. Germ. f. 468.*

LXVI. Hone enim in modum scribit in quadam Epist. quam, quia plena Cœli & Zeli, & admodum nervosa, nec non ad calumnias Dipnosophistarum retundendas accommodatissima totam huc adscribere placet:

Ob ich keinen Schwermergeister bekehre / So sols doch nicht dran mangeln (ob Gott wil) daß ich die Warheit hell vnd dürr gnug wil für jhre Augen stellen / vnd etliche jhrer Schüler abreissen / Oder je die Einfeltigen vnd schwachen stercken / vnd für jhrem Bifft bewahren. Beret das auch nicht / da Gott für sey / so wil ich doch hiemit für Gott vnd aller Welt bezeuget vnd bekant haben / Daß ichs mit diesen Sacramentslesterern vnd Schwermern nicht halte / noch je gehalten habe / noch jmmermehr halten wil (ob Gott wil) vnd wil meine Hende gewaschē haben / von aller Blut der Seelen / die sie mit solcher Bifft Christo abstelen / verführen vnd ermorden. Denn ich bin vnschüldig dran / vnd hab das meine gethan / etc.

Vnd wil sie gar freundlich gebeten haben / wolten nicht drumb zürnen / Daß ich jhre Lehre verdamme / vnd dem Teuffel zuschreibe / Ich kans nicht anders machē noch nennen / denn wie ichs im Hertzen gleube / etc.

Das wollen wir aber gerne thun / Welelich wollen wir mit jhnen eins sein / das ist leublichen zeitlichen Friede halten / Aber Geistlich wollen wir sie meiden / verdammen vnd straffen / weil wir Odem haben / als die Götzen / Gottes Wort verkerer / Lesterer vnd Lügener / Daneben von jhnen leiden / als von den Feinden / jre verfolgung vnd zertrünnung / So fern vnd lang es Gott leidet / vnd für sie bitten / Sie auch ermanen / daß sie ablassen / Aber in jhr Lestern willigen / schweigen oder billigen / wollen vnd können wir nicht thun.

IV. PROBLEMA.

An Ecclesia ejusq; membra à Symbolis & Confessione, eâ addicta, denominationem desumere possint ac debeant, ideò, ut à parte adversâ se sejungant, atq; adeò caveant, ne communi Christianorum nomine simplicioribus imponatur & fucus fiat.

Sacramentarii Negativa.

LXVI. *Negativam* hujus Problematis *Sacramentarij* propugnant, seq; non alio, quàm Christianorum nomine, dici volunt.

LXVII. Imò infamiæ notam, sibi inuri clamitant, si à Præceptore Calvino Calvinianos quis eos vocare audeat.

Calvin. in Epist. ad Frider. Palat. Rheni, Prælectionibus in Ierem. præmissa.

Affirmativa.

LXVIII. Nos pro *Negativa* stamus, quam ut solidiùs evincamus, illud præmittimus προγύμνασμα, maximè necessarium.

προγύμνασμα.

LXIX. Quale verò illud? *Distinctio* inter nomina, ratione *Baptismi*, & ratione *Confessionis* considerata. Tauffnamen / vnd Confessional Namen.

LXX. Ratione *Baptismi* omnes appellamur à CHRISTO, in (e) cujus nomine baptizati sumus, communi nomine CHRISTIANI.

(e) *Actor. 2. v. 38. cap. 19, 5.*

LXXI. Et huc concernit illud Præconis Gentium.

1. Cor. 1. *Num Paulus crucifixus est pro Vobis?*
Aut in nomine Pauli baptizati estis?

Assertio Affirmativæ.

LXXII. Ratione autem *Confessionis*, distinctionis gratiâ, à Confessione, ejusque primario Assertore nos Augustanæ Confessionis socios ireniq; Lutheranos: cæteros verò, qui à Confessione nostra dissentiunt, vel Papistas, vel Calvinianos, vel Anabaptistas aut Svvenckfeldianos appellari posse & debere, quis iverit inficias?

Rationes ἄτεχνοι.

LXXIII. In promptu enim & in procinctu sunt & astant Rationes, quarum *duæ priores ἄτεχνοι: Posterior ἔντεχνος.*

LXXIV. Rationum ἀτέχνων alteram *Scriptura*; alteram ex *historia Ecclesiastica* depromimus.

è Scripturâ.

LXXV. I. E *Scriptura* liquet, 1. quòd Paulus etjam, post suam Confessionem & Baptismum, *Pharisæum* se nominare non dubitârit, studio nimirum à Saducæis se distinguendi. *Act. 36, 6.*

76. Quòd

LXXVI. 2. Quòd *Nicolaitæ* à Nicolao hæreseos illius inventore & Coryphæo nomen acceperint suum, teste Apostolo *Apoc. 2, 15.*

LXXVII. Unde Athanasius καθολικῶς :

οἱ τοῖς αἱρετικοῖς ἀκολουθοῦντες, κἂν μυρίας βλασφημίας ἔχωσιν ἀλλὰ πάντως τὸ ὄνομα τοῦ τὴν αἵρεσιν εἰσφερομένου φέρουσιν.

Tom. 1. pag. 136.

2. Ex Hist. Ecclesiastica. Ratio ἐνθυμήματος.

LXXVIII. II. *Ex historia* autem *Ecclesiastica* clarum est & perspicuum, quòd *in Symbolo Niceno* Ecclesia à Confessione Symboli Apostolici *Apostolica* indigitetur.

LXXIX. *Rationem ἐνθυμήματος* in pelliculam hujus Syllogismi includimus :

Quandocunq; nomen generales sub se complectitur species Confessionibus invicem dissidentes & pugnantes, ibi tum species illas nominibus etiam Confessionum specialibus invicem discerni oportet, alias confusio oriretur perquam noxia & periculosa.

Atqui nomen Christianorum generale & commune tales species invicem dissidentes & pugnantes sub se complectitur, v.g. Lutheranos, Zvvinglio-Calvinianos, Papistas, Anabaptistas, &c. Ergo.

Responsio ad autoritatem Pauli.

LXXX. Sed objiciunt Adversarij autoritatem tum *Pauli 1. Cor. 3. vers. 4.* tum *Lutheri, Tom. II. VViteberg. fol. 76.*

LXXXI. Ad *autoritatem Pauli* respondemus : Illam plane ἀ προσώπου allegari, adeoq; committi ignorationem Elenchi.

LXXXII. Illa enim increpatio Apostolica non opponitur nostræ assertioni de distinctione, quod confessionem, eorum, qui uni & eidem confessioni non addicti : sed præpostero Corinthiorum studio, quorum quidam â Cepha, id est, Petro, quidam à Paulo, quidam ab Apostolo, (NB) non propter doctrinæ ; sed donorum in concionando diversitatem, denominari gestiebant.

Et Lutheri.

LXXXIII. Neque quicquam nobis officit LUTHERI *autoritas*, è contextu siquidem clarissimè effulget : LUTHERO ibi sermonem esse non de fidei Confessione : sed de fidei fundamento, quale nemo præterquam CHRISTUS, à quo solo etiam CHRISTIANI dici meremur.

LXXXIV. Legatur *B. Gesnerus* in Refutatione Apologiæ Martini Mölleri Crypto Calviniani p. 260. 261. 263. 264. 265.

PROBLE-

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS PRIMAE
Problemata V. VI. VII.

RESPONDENTE

M. ERASMO WILLICHIO
Francofordensi Marchico.

Ad 17. Novembr. horis locoq; consuetis.

V. PROBLEMA.

An fides sit fiducia?

I.

QUoniam juxta Philosophorum monita πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν καὶ διαλέγεσθαι δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα; Primò omnium, antequam ad ζήτημα propositum respondeamus, ὁμωνυμία, qua vox Fidei intricata laborat, enotanda & enucleanda venit.

II. Præterquam enim quod varias in profanis admittat acceptiones, in sacro etiam codice πολύσημον esse λόγον passim deprehendimus. *Definitio nominis.*

III. Ubi quandoque activè fidelitatem & constantiam dictorum aut factorum notat, ac si, secundum *Ciceronem lib. 1. de Offic.* 1. fiat id quod dictum promissúmve.

Psal. 86. vers. 15. Rom. 3. v. 3. ὁμωνυμία vocis πίστεως.

IV. Nonnunquam pro ipsa doctrina θεοπνεύστῳ Propheticis & Apostolicis Scriptis comprehensa accipitur. 2.

Rom. 12. v. 6. Gal. 1. v. 23. Tit. 1. v. 13. in Epistola Iudæ vers. 3.

V. Interdum pro sua cujusque, quam confitetur, religione. 3.

Rom. 1. v. 8. Iacob. 2. v. 24.

VI. Nonnullibi sumitur pro facultate divinitus concessa edendi miracula, cujus objectum est DEI omnipotentia miraculorum effectorum *1. Cor. 12. v. 9.* 4.

§. VII. Sæpius reſpectu fiduciæ pro apprehenſione divinæ gratiæ in Chriſto quæ ſit corde ſive voluntate. *Rom. 10. v. 10.*

Status controverſiæ. VIII. De hac igitur fide, quæ ſignificat non ſolùm in intellectu notitiam, ſed & in corde aut voluntate aſſenſum, quæritur, *Num ſit fiducia?*

IX. *Negativa* hactenùs placuit Romanenſibus, inprimis eorum Corypheo *Bellarminus lib. 1. de juſtific. ſcribenti:*

Probatur primùm ex divinis literis, fidem juſtificantem non eſſe fiduciam miſericordiæ, ſed ſolum aſſenſum firmum, ac certum ad ea omnia, quæ DEVS credenda proponit.

X. Quomodo verò erroneam ſuam opinionem probare ſtudeat, pòſt videbimus, poſteaquam *affirmativam noſtram* firmiſſimis Scripturæ munierimus fundamentis.

καθαποδεικτικά. XI. Quorum alia *ἀποφατικῶς*, alia *ἐξηγητικῶς*, alia *προφητικῶς*, alia *συλλογιστικῶς* noſtram confirmabunt ſententiam.

I. XII. Ex *ἀποφάσει* colligimus fidem eſſe fiduciam, quando in ſacris nominatur (a) *πληροφορία*, hoc eſt, indubia notitiæ certitudo, quæ ex verbi & promiſſionis veracitate gignit firmam, & immotam perſuaſionem, ut voluntas toto animo feratur in illud, quod cognitio in verbo monſtravit.

(a) *Rom. 4. v. 21. Coloſ. 2. v. 2. Hebr. 6. v. 11.*

XIII. Confer, ſi libet, plura Novi Teſtam. exempla *Luc. 1. verſ. 1. 2. Tim. 4. v. 7. Theſ. 1. v. 5. Hebr. 10. v. 22.* & alia quibus *πληροφορία* & *πληροφορηθῆναι* idem eſt ac plenis velis ferri, certis perſuaſum eſſe teſtimonijs, ut promiſſa in dubium vocare impudentiæ & craſſiſſimæ ſit diffidentiæ.

XIV. Huic non abſimile eſt, quod vocatur *παῤῥησία* (a) fiducialis ingreſſus in ſanctuarium (b) filialis acceſſus ad thronum gratiæ (c) quo quicquid petimus, impetramur.

(a) *Hebr. 10. v. 19.* (b) *Hebr. 4. v. ult.* (c) *1. Iohan. 5. v. 14.*

XV. *πεποίθησιν* porrò ſignificare fiduciam omnes teſtantur Lexicographi. Hæc autem fidei tribuitur.

Epheſ. 3. v. 12. Phil. 3. v. 4.

XVI. Oſtendunt & fidei juſtificantis naturam voculæ, *καύχημα καὶ καύχησις Rom. 5. v. 2.* in quâ ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum DEI.

17. Ἐξη-

XVII. Ἐξηγητικὰ testimonia suppeditat nobis Regius Propheta II.
Psal. 78. v. 21. Mich. 7. v. 5. Iob. 39. v. 14. & 15. Quibus in locis ponuntur tanquam ταυτὸ δυνάμενα fides, credulitas, confidentia.

XVIII. Idem demonstrat & praxis Evangelica, quæ fidei justificanti adscribit (a) confidentiam (b) vim justificandi & salvandi (c) remissionem peccatorum. III.

(a) *Matth. 9. v. 22. Iohan. 16. v. ult.* (b) *Matth. 15. vers. 28.* (c) *Luc. 5. v. 20.*

XIX. Quibus addenda græca vox πίστεως, quam fiduciam pleriq; verterunt Græci (1) Erasmus, (2) Plutarchus, (3) Budæus & alij.

(1) *in cap. 10. ad Hebr. Rom. 1.* (2) *in comment.* (3) *in fine historiæ de Pompejo.*

XX. Optima insuper denominatio & definitio sumitur à forma. IV.
Atqui forma fidei justificantis est fiducialis apprehensio Christi ad justificationem teste Evangelista *Ioh. 1. v. 12.*

XXI. Unde hoc resultat πόρισμα: Omnis in Christum credens, hoc est, ipsum fideli corde accipiens est Filius DEI, & non perit, sed habet vitam æternam.

XXII. Suffragatur hisce ἀυτόπτοις, Orthodoxa Antiquitas ἀξιόπιστος: V.
(a) *Cyprianus*, (b) *Origines*, (c) *Ambrosius*, (d) *Augustinus.*
(a) *in sermone de morte*, (b) *in 3. ad Romanos.* (c) *in 1. Cor. 1.* (d) *de verbis Domini sermone 7.*

XXIII. Constat ergò thesεως affirmatæ sua veritas, nec portæ inferorum illam evertere poterunt, licet Antichristi Romani satellites & mercenarij eam expugnare remis velisque contendant omnibus, quorum argumenta ad cynosuram verbi Divini nunc revocabimus.

XXIV. *Primò* autem *Bellarminus lib. 1. de justific. c. 6.* nobis objectat locum *Rom. 4. v. 19. 20:* Non infirmatus est in fide, nec *consideravit* corpus suum jam emortuum, &c. & paulò post: Confortatus est fide dans gloriam DEO, *plenissimè sciens.* *Antagonista* ἀναισθητὸν *refellitur.*

XXV. Ubi urget 1o. verbum *Consideravit*, quòd sit officium intellectus non voluntatis, ad quam pertineat fiducia. I.

XXVI. 2o. Phrasin *plenissimè sciens*, quæ spectet mentem non voluntatem,

XXVII. 3. Distinctionem πληροφορηθεὶς significare propriè pleniſſimè perſuaſum eſſe, pro certo habere, quæ omnia ſint intellectus munera.

Λύσις 1. XXVIII. *Reſpondemus committi fallaciam oppoſitorum.* Non enim aſſenſus & fiducia ſe mutuò tollunt, ſed ἀλλήλως ordinant, imò in fide juſtificante indiſſolubiliter connectuntur.

2. XXIX. Totus ille locus Apoſtolicus ſummam in ABRAHAMO deſcribit fiduciam, quod & ipſi hoſtes veritatis Evangelicæ agnoſcunt.

XXX. Ita enim *Cajetanus* in enarratione dicti Moſaici: Credidit Abraham DEO, &c. ſcribit: Moſes non dicit Abrahamum credidiſſe DEO, ſed in DEO, Hoc enim plus eſt. Nam credere DEO eſt fidem habere illius verbis ut veracibus, credere autem in DEO, inſuper addit fiduciam in DEO.

3. XXXI. *Hebræor. 6*, fides appellatur πληροφορία τῆς ἐλπίδος. Jàm cum ſpes ſit in voluntate, quis & fidem in voluntate eſſe negabit?

4. XXXII. Non inuſitatum eſt Scripturæ, definire fidem, modò per notitiam, modò per fiduciam, quæ tamen noticiam & aſſenſum ſupponit.

5. XXXIII. Vox πληροφορίας, ut antea oſtenſum, dicit certitudinem & plenitudinem quandam. Quapropter in deſcriptione fidei plenam, certam ſolidamque ſignificantis perſuaſionem, non tantùm ad intellectum, ſed & ad voluntatem eſt referenda.

II. Bellarmini fulcrum. XXXIV. *Secundum* argumentum deſumit Jeſuita ex *1. Cor. 13. verſ. ult.* in hunc ferè modum concludens:

Fiducia eſt ſpes roborata.
Fides non eſt ſpes roborata.

(Quia Scriptura diſtinguit fidem à ſpe & duo diverſa eſſe innuit *1. Corinth. 13. Iob. 8. verſ. 13. 14. Pſal. 39. v. 5. Ierem. 17. verſ. 7.*) Ergo fides non eſt fiducia. *Oritur quidem fiducia ex fide, ſed non poteſt* idem eſſe cum *fide*.

Reſponſ. per diſtinct. XXXV. Facili autem negocio hæc tollitur Sophiſticatio adhibito diſtinctionis temperamento, cum ſpei vocabulum & *latè* & *ſtrictè* uſurpari conſtet. *Latè* comprehendit in ſuo circulo fidem, prout ea de-

ea definitur hypostasis rerum sperandarum: Quo sensu *Hebr. 6. v. 11.* appellatur πληροφορία τῆς ἐλπίδος.

XXXVI. *Strictè* acceptum distinguitur à fide & fiducia. Quippe spes est expectatio futuri boni, fiducia autem apprehensio promissionis præsentis.

XXXVII. *Tertium* ex *2. Corinth. 10. vers. 5.* formatum: (Per fidem intellectus captivus ducitur in obsequium CHRISTI. Ergo fides est intellectus non voluntatis) ejusdem est sortis cum primo. *III. Arg.*

XXXVIII. Vera enim oppositio juxta Canonem logicum debet esse κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ πρὸς αὐτὸ: Qui cùm hic non observetur; oritur ἔλεγχος ἀπὸ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς; in quantum est notitia ad intellectum, in quantum verò fiducia ad voluntatem pertinet fides.

XXXIX. *Quartò* conatur nos adversarius deducere ad absurdum ex Epistola *Eph. 3. cap. 12.* In quo habemus fiduciam & aditum (*Bellarmini falsò vertis assensum*) in confidentia per fidem ejus. *IV.*

XL. Si igitur fides est fiducia, habebimus fiduciam per fiduciam, quod ἄτοπον.

XLI. Sed lubens fortè nescire cupit Sophista, quod Apostolus fidem describat ab ejus exercitijs, effectis atq; adjunctis, cujus veritatem rectissimè ostendit praxis piorum hominum. *Resp. 1.*

XLII. Quandocunq; enim fides exercetur, nascitur inde confidentia erga DEUM, non secus ac justificati fide dicuntur habere pacem cum DEO. *Rom. 5. v. 1.*

XLIII. Insuper fides suos habet gradus & incrementa, quæ modò infirmar, modica, languida & imbecillis, modò παῤῥησία magna & prævalida. Qui effectus omnes nobilissimi notitiæ soli adscribi nequeunt. *2.*

XLIV. *Tandem* opinatur Cardinalis non graviter in principia impingere Philosophica: Una virtus, inquit, in duabus potentijs GENERE distinctis esse non potest. *V.*

Fides est virtus.

Ergo in intellectu simul & voluntate esse nequit. Et per consequens nec fiducia nominari potest.

XLV. Nos hic rationibus alijs valere jussis, filum & stilum sequimur Scripturæ, quæ illam distinctionem non attendit, utpote ap-

pellatione cordis & intellectum comprehendens & voluntatem.

XLVI. Philosophis Philosophum opponimus acutissimum ac præstantissimum subtilitatis Magistrum Scaligerum *qui exercit 307. sect. 15.* Intellectum & Voluntatem, non re sed ratione tantùm distingui asserit.

XLVII. Cui calculum suum dedit *Bonaventura in 3. sentent. lib. dist. 29. art. 1. q. 5.* scribens, Non esse inconveniens unum habitum ponere in ratione & voluntate.

XLVIII. Imago Dei numero una est & tamen spectatur in intellectu & voluntate simul. Idem judicium esto de regeneratione, sanctificatione & libero arbitrio.

XLIX. Obiter taxamus Papisticam fidei confidentiam, quam semper in justificationis actu, ut & in hujus argumenti propositione minore pro virtute habituali in nobis hærente venditant, cum tamen relatè in meritum Christi feratur tanquam in suum correlativum.

Fulmen Papale.

L. Cætera quæ proferre consueverunt Romanenses, ad ipsam thesium disquisitionem reservamus. Desinat interea fulminare, *Canon. 12. sess. 6. Concil. Trident.* quo anathemate percutit illos, qui credunt justificantem fidem esse fiduciam.

LI. Contrà testamur *Lutherum* nostrum, Divinum illum Thaumasiandrum rectiùs pronunciasse in comment. *super 22. cap. Genes.* Miseri illi & amentes Papistæ fidei vim & naturam ignorant. Quantum papyrus ista intelligit de his quinq; literis FIDES, tantùm isti intelligunt. Existimant esse otiosam cogitationem aut notitiam tantùm qualis in dæmonibus est.

VI. PROBLEMA.

An fides rectè definiatur per ignorantiam?

LII. Fuêre quidam fratres ignorantiæ, qui fidem potiùs per ignorantiam, quàm notiam definiendam esse putarunt.

LIII. Ad quam ignorantiam stabiliendam Scholastici finxerunt distinctionem *inter fidem implicitam & explicitam*, ut videre licet apud (a) Lombardum & (b) Gregorium de Valentia.

(a) *lib. 3. distinct. 24. c. 3. distinct. 25. cap. 1. & 2.*

(b) *Tom. 3. disp. 1. q. 2.*

LIV. Fides implicita ipsis est quædam συγκατάθεσις & mera sa- *Implicita fi-*
lutis ignorantia ex alieno dependens γνῶσι, quando idem credit *des quid.*
hic, quod credit Ecclesia, & Ecclesia credit illud quod hic.

LV. Quam opinionem servilem ad salutem omninò sufficere judicarunt.

LVI. Eundem errorem jamdudum explosum postliminio revo- *Bellarm. in*
care ausus est Cardinalis Robertus his verbis: Judicium sive assen- *numero fra-*
sus (l. 1. de justif. c. 3.) duplex est: alter sequitur rationem & evi- *trum igno-*
dentiam rei, alter autoritatem proponentis; Prior dicitur noticia *rantia.*
(si propriè velimus loqui) posterior fides: Et paulò post, Melius igitur per ignorantiam quàm noticiam definitur.

LVII. Quò minùs verò huic absurditati adstipulari queamus, movemur haud leviss imis rationibus.

LIIX. Inficias sanè non imus multa in mysterijs divinis (quæ abscondendo nomen habent) ignorari & occultari, quæ mens stostra cimmerijs tenebris obruta capere & intelligere minimè potis est, Unde pleraque in ænigmate quasi cognoscere dicimur.

LIX. Quæ tamen ad salutem nostram facere & scitu cognituque necessaria judicantur, ea omninò quilibet Christianus sine salutis dispensio scire tenetur.

LX. Aurea huc ascribatur *Ambrosii* sententia: *Quæ DEVS occulta esse voluit, non sunt scrutanda*, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. N.B.

Lib. 1. cap. 7. de revocatione gentium.

LXI. Et ex *Theoreti dialog. 2.* ὰ δεῖ τὰ κεκρυμμένα ζητεῖν, ὰδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν.

LXII. Quanquam enim plurima in aliam reservanda, nonnulla tamen in hac quoque vita discenda sunt, quorum quædam ad generalem, quædam ad specialem de DEO cognitionem pertinent. *Θεογνωσία nostra vel est generalis.*

LXIII. *Generalem* θεογνωσίαν requirit à nobis *Psal. 1. vers. 2.* ubi beatum prædicat eum, qui meditatur in lege Domini assiduè die ac nocte. Et *Paulus Coloss. 1. vers. 11. 3. v. 16.* orat ut Colossensium Ecclesia crescat in scientia Dei impleaturq; (ἐπιγνώσει) agnitione Dei in omni sapientia & intellectu spirituali.

64. Spe-

Vel Specialiè. LXIV. *Specialiè*, quam fides juſtificans potiſſimùm attendit, reſpicit Chriſtium ejusq; *tùm perſonam, tum officium.*

1. *Perſona Chriſti.* LXV. *Perſonam ipſius* noſſe debemus, quod ſit æternus æterni Patris FILIUS, quodq; in plenitudine temporis aſſumſerit humanam naturam propter ſacratiſſimum redemptionis opus.

LXVI. Hæc enim eſt vita æterna, ut cognoscant te ſolum verum DEUM, & quem miſiſti JESUM CHRISTUM.

Iohan. 17. *verſ.* 3.

2. *Officij.* LXVII. *Quoad officium* autem, ut ſciamus ipſum eſſe noſtrum Mediatorem, Regem, Sacerdotem & interceſſorem, vi dicti Prophetici: In ſcientia ſui juſtificabit ſervus meus MESSIAS multos.

Eſa. 53. *verſ.* 11.

LXVIII. Sic neque Chriſtiano nomine dignus, qui ignoret verum veri DEI cultum, impiasque ſuperſtitiones nesciverit discernere, immemor præcepti Apoſtolici: Omnia probate & quod bonum eſt tenete. 1. *Theſſ.* 5. *verſ.* 19. Quomodo verò probabunt, niſi ſciverint.

LXIX. Taceo craſſam, affectatam & ſupinam illam ἄγνοιαν graviter à DEO damnatam eſſe, teſtantibus multis Scripturæ locis.

Luc. 12, 48. 1. *Cor.* 14, 33.

Cauſa hujus diſputationis. LXX. Porrò ſin cauſam, quare Bellarminus ignorantiæ patrocinium ſuſceperit, inquiras, facilè invenies, nimirum ut dubitationi ſuæ Papiſticæ vel potiùs Diabolicæ viam ſternat; innumerisq; fulcris ruinoſis eam ſtabilire poſſit.

1. *Adverſarij argumenta.* LXXI. In quem finem etjam ſubſequentia Scripturæ loca mirificè torquere ſatagit. *Eſa.* 7. *verſu* 9. Si non credideritis, non permanebitis.

LXXII. Jeſuita vertit: *Niſi credideritis non intelligetis*, Ex qua præmiſſa concludit fidem non eſſe intelligentiam, ſed viam & modum ad intelligendum.

LXXIII. Ὁ ἀσυλλογιστίαν! Achazus Rex Judæ pertimeſcens adventum Aſſyriorum, accepit reſponſum à Domino per Propheram, ne formidet. Fore enim ut hæ duæ caudæ (Raſin & Phacee) abſumantur & intereant, ſin minus & ipſe dubitaverit non permanſurum. Ne gry quidem hic de intelligentia, adeò ut totus con-

textus certissimam fiduciam & sic quoq; notitiam cum assensu insinuet potius quàm excludat.

LXXIV. Deinde distinctiones illas Apostolicas huic nostræ negativæ non parum officere sibi persuasum habet Cardinalis, (*a*) Si habuero omnem scientiam & noverim mysteria omnia & omnem fidem. *Similiter Paulus* dona DEI enumerans (*b*) ait : Alij datum esse sermonem Sapientiæ, alij sermonem scientiæ, alij fidem. Fidem igitur per notitiam definiri posse non autumat. 2.

(a) *1. Cor. 13. v. 2.* (b) *1. Cor. 12. v. 8. 9.*

LXXV. Verum enimverò de quâ fide hic loquatur Apostolus, non opus est Oedipo. *In priori* fidem signorum seu miraculorum, quæ & monstra transferat & in reprobos cadere possit subinnui, manifestum est ex ipso vers. 2.

LXXVI. *In posteriori* fidem per heroicum quendam impetum describit, quo incitati homines non ausu temerario, vel privato libitu, sed Spiritus sanctus instinctu aliquod opus singulare ad optatos perducunt fines.

LXXVII. Nihil igitur de fide justificante, de qua nobis sermo. Observa fallaciam ἐπεξηγήσεως.

LXXVIII. Cæterùm CHRISTI obsequium & obedientia fidei, ad quam provocat Bellarminus non evertit aut tollit veritatis cœlestis noticiam, sed magis requirit, tùm maximè, quando ratio nostra, quæ in divinis cæca, omnem de DEO respuit cognitionem, fides contra rationem apprehendit sublimia, captum humanum exuperantia omneq; νόημα captivo Evangelicæ doctrinæ submittit. 3.

LXXIX. Hæc est illa captivatio, qua informati in Verbo DEI Christum benè didicerimus, credimus contra spem rationis in spem fidei ad infallibiles DEI promissiones respicientes.

LXXX. Patrum testimonia non moramur, utpote quæ parti adversariæ nihil subsidij adferunt. 4.

LXXXI. Quæ enim nos de illuminatis & renatis asserimus, ille ineptè ad nondum illuminatos transfert & ἀσυλλογιστικῶς concludit.

LXXXII. Falsum demum est, quod subjcit Jesuita : apprehensionem præcedere fidem, & non esse fidem,

LXXXIII. *Contrà Formam* est ipsa formati pars essentialis, Apprehensio fiducialis est forma fidei justificantis, ut ostensum supra thesi 20. Ergò.

LXXXIV. Valeat igitur rudis de ignorantia fidei disputatio, & Monachis ignorantiæ fratribus relinquatur semper discentibus, nunquam ad veritatis cognitionem pervenientibus. *2. Tim. 3. v. 7.*

VII. PROBLEMA.

An nonnunquam licitum sit simulare confessionem?

LXXXV. Problematis hujus decisio ut eò distinctiùs innotescat quædam *ἀναμφισβήτητα καὶ ἀναμφίδοξα* removeamus oportet.

ἀναμφισβήτητα.

LXXXVI. *Horum unum*: Licere cum infidelibus sive extra, sive in Ecclesia politicè conversari commercia exercere, comitia aliosq; conventus instituere, de Reipub. tranquillitate deliberare, &c.

LXXXVII. *Alterum est.* Studiosis in vera LUTHERI religione edoctis sanoque judicio confirmatis, Negotiatoribus, Legatis non esse prohibitum, propter finem non Theologicum sed historicum Idololatrarum ingredi templa, adire conciones, Missæ interesse.

NB.

πίστις.

LXXXVIII. *Ἀναμφισβήτητον* verò est: *An cuiquam syncero & candido Lutherano in gratiam ἐτεροδόξων, fidem, quam corde fovet, ore, lingua alijsq; signis externis quandoq; liceat dissimulare & abnegare?*

Affirmativa hypocritarum.

LXXXIX. Pseudochristianis, præsertim politicis affirmativam *dictis, factis & scriptis* hactenus nescio qua conscientia defensare allubuit, oblitis certe Dei atq; animæ salutis.

Species aliquot abnegationis.

XC. *Dictis* ita ut ab Adversarijs de fide interrogati ex uno ore calidum & frigidum spirarint, verbis responderint ambiguis, quibus se ad nutum & voluntatem aliorum apprimè componere didicerunt, ne vel Magistratus excideren favore, vel bona ventis committerent, vel etjam summum vitæ discrimen subirent.

XCI. *Factis* multifariam animum prodiderunt hypocriticum, cum vel coram statuis in gratiam Principum ad genua procubuerint, in processionibus nudato capite, mira quadam ostendata devotione sequuti, quodq; atrocius missas celebrarint, hodie in Pontificijs eras

in

in Calvinianis communicarint Ecclesijs, alijsque plurimis se Anti-Lutheranis ὁμοψήφους professi fuerint.

XCII. Quàm dolosè etjam non pauci *Scriptis* nobiscum egerint, docent Papistarum, Zvvinglio Calvinianorum inprimis Crypto-Calvinistarum subscriptiones, approbationes, Confessiones fraudulentæ.

XCIII. Puduit hactenus libris sua præfigere nomina: non erubuere lingua uti LUTHERI, mentem verò occultare Calvini: Omni exuti pudore libris nostris SYMBOLICIS calamo subscripsêre Lutherano, corde autem; (ô perfidiam!) crassissimos venenatosq; aluêre Sacramentariorum errores.

XCIV. Producamus exempli loco Vespertilionum horum formulas aliquot candidis & cordatis hominibus maximè indignas, quibus sanctissimum *Concordiæ* librum conspurcare, Ecclesijs nostris imò Deo illudere non sunt veriti virusq; suum in nobilissimis Germaniæ partibus disseminare studuerunt.

XCV. Quæ autem illæ? Attende, perpende diligenter; Interrogantib. ante paucos annos qua dexteritate, qua fide, qua mente nomina sua libro huic dederint? Responderunt alij se subscripsisse,

NB. *Subscriptiones Calvinianorum in S.*

1. *in Genere*, ins gemein.
2. Quidam: *in summa rei* obenhin.
3. Nonnulli: *in fundamento.*
4. Non pauci: *ad præfationem.*
5. Pars aliqua: *ad paragraphum præfationis.*
6. Multi: *cum conditione*, gedings weise.
7. Plurimi: *cum exceptione controversiarum.*
8. Aliqui: *propter promissam Synodum.*
9. Alij: *ut catechumeni.*
10. Quidam: *cum reservatione majoris lucis.*

Plura lege apud D. Hunnium in lib. cui titulus: Widerlegung des Calvinischen Büchleins *Anno 600. VVitebergæ edito.*

XCVII. Hoccine Christiani officium? hoccine bonum & honestum decet hominem? Quid hoc, si non Diabolica hypocrisis & simulatio? Quid hoc si non idea vertumnorum, qua annon plus Ecclesijs verè Lutheranis attulerint damni ac si aperto marte illas fuissent adorti tota ferè Germania experta est?

Fundamenta negationis.

XCVII Meminerit autem plebs Samaritica aphorismi Apostolici *Rom. 10.* Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem: Et Christi, *Matth. 10. v. 32.* Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, NEGABO & EGO eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

XCVIII. (a) Prohibemur profectò cum diversæ religionis socijs in negotijs Ecclesiasticis, rebusque conscientiam spectantibus ulla in parte colludere: (b) prohibemur jugum ducere cum infidelibus: (c) prohibemur communicare operibus infructuosis tenebrarum quæ magis redarguendæ (d) prohibemur circumferti, quovis doctrinæ vento:

(a) *Esaiæ 52. vers. 11. Num. 16. vers. 26.*
(b) *2. Cor. 6. v. 14.*
(c) *Ephes. 5. v. 11.*
(d) *Ephes. 4. vers. 14.*

XCIX. Cæterùm non sufficit in corde habere fidem latentem, sed publicam & ingenuam oportet accedere confessionem quippe ἀδιαιρέτως cohærent fides & confessio *Psal. 116.* Credidi propter quod locutus sum. *Rom. 10.*

Fides & Confessio conjuncta.

C. Adeò ut apodicticè inferre liceat eos, qui non confitentur non præditos esse vera fide, siquidem ad fidem hoc quoq; pertinet, ut credant Christo dicenti: Qui me confessus fuerit,

CI. Cogitet demùm præmia veram confidentibus fidem pœnas illam abroganibus.

CII. Præmia rectè loquentium sunt tranquilla conscientia, omnium bonorum affluentia, vitæ salutisq; æternæ participatio.

CIII. Pœnas hypocritis comminatur DEUS & temporales & æternas, temporales *4. Reg. 27. v. 34.* æternas *Matth. 10. v. 33.*

I. *Effugium & tegumentum Vertumnorũ.*

CIV. Atqui *oggannunt se tantùm oretenus* infidelium simulare religionem, corde tamen synceram complecti.

CV. Hoc est quod maximè improbamus. Gentilibus certè grande fuit nefas mel in ore, fel in corde fovere. Unde Homerus Iliad. 1.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃσι φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζει.

Ini-

Inimicus mihi æquè ille ac inferni portæ,
Qui aliud quidem occultat in animo, aliud verò dicit.

CVI. Quantò minus in foro Theologico hominem bonum & pium decebit cœlestem simulare veritatem in offendiculum proximi, quod summoperè cavendum *Matth. 18. v. 7.*

CVII. *Quidam Vertumni pallio Naamani* se tegere volunt, qui *4. Reg. 5. vers. 18. 19.* à lepra mundatus ab Elisæo sacris Idoli Remmon interesse petijt. 2.

CVIII. Disparitas hic magna. 1. Non simulavit Syrus religionem suam ut patet *vers. 17.* 2. Non procubuit in genua coram Idolo. 3. Politicum suo Principi præstitit officium manu Regem ducens in templum sicut Saxoniæ *Elector Carolo V. Imperatori fortissimo* Missam adituro gladium sine ulla conscientiæ læsione præferre non dubitavit.

Sleidanus lib. 7. historiarum.

CIX. *Minimam quoq; fidem & imbecillem* Fidem quandam esse ajunt; Ut hoc non negamus: ita omnem fidem abnegationi conjunctam non modò hypocriticam, sed planè nullam, imò fidei nomen non mereri contendimus. 3.

CX. *Nicodemum proferunt, qui crediderit, sed præ metu* Judæorum confiteri noluerit. 4.

CXI. *Testatur Iohannes 12.*: Ex principibus multos credidisse in Christum, sed propter Pharisæos occultasse fidem, ne è Synagoga ejicerentur.

CXII. Sed hi dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei *vers. 43.* Quid Nicodemus senserit, magis magisq; aperuit *Ioh. 3. v. 1. cap. 7. v. 15.* Tandemq; ipso facto comprobavit, dum periculosissimo tempore in conspectu Judæorum Corpus Christi emortuum terræ demandavit. Hujus exemplum si obtendere velint Assentatores hi, & re & facto immitentur.

CXIII. Quorum igitur nec officij ratio postulat, nec mens Religionis nostræ fundamentis imbuta potis est ἑτεροδόξων vanitatis convincere superstitiones, ritus, dogmata, præstat abesse quàm interesse cultibus idolorum.

CXIV. Confessio enim nostra nec ambiguitate aliqua involvi, nec impia quædam in hostibus veritatis collusione, vel quacunq;

alia abnegationis ſpecie obſcurari debet, ſed ita comparata ſit, ut nulla habita ratione vel vitæ vel fortunarum fremente etiam mundo & invitis inferorum portis Chriſto & doctrinæ ipſius laudem aſſcribat.

CXV. *Coronidis loco placet in inſigne Conſtantiæ exemplum Conſtantiſſimi Ducis & Electoris Saxoniæ* JOHANNIS FRIDERICI *ingenuam atq; in periculoſiſſimis editam vinculis apponere Confeſſionem, quam Sleidanus lib. 10. his concepit verbis*: Per Granvellanum & Atrebatenſem Epiſcopum Cæſar Saxoniæ Ducem captivum urgebat, ut editi libri (interemiſtici) doctrinam ſequeretur. Et quanquam pollicitationibus animum ejus tentabant, & ſpem aliquam libertatis oſtendebant, conſtans tamen ille in ſententia permanſit ad Epiſcopos inter alia dicens: *Cum* DEVS *me hac ſui verbi cognitione illuſtravit, non mihi licet ab agnita veritate diſcedere niſi ſempiternum exilium mihi conciliare velim. Itaque ſi decretum hoc reoperem, quoniam multis in locis & graviſſimis quidem illud à ſacra Scriptura diſſidet, damnarem, quam ſum huc uſque profeſſus* JESV CHRISTI *doctrinam & verbis atque ſermone probarem, quod vitioſum & impium eſſe ſcio. Hoc ipſum verò quid aliud ſit, quàm pictis atque fucatis verbis ludificare divinam majeſtatem & Cæſarem. Qua quidem re quid fieri poſſit flagitioſius? Nam hoc illud eſt, de quo Chriſtus tàm diligenter nos admonet, Peccatum in ſpiritum ſanctum, quod nulle unquem tempore condonatur.*

CXVI. Admiranda quoque eſt GEORGII Marchionis Brandeburgenſis, Principis nunquam ſatis laudati intrepida vereque Chriſtiana reſponſio, quam Imperatori in comitijs anno 1530. non ſemel concionum Evangelicarum obrogationem flagitanti dediſſe ſcribunt hiſtorici. *Malle ſe flexis coram Cæſarea Majeſtate genibus ſpiculatori cervicem ferendam ſtatim præbere, quàm* DEVM *& Evangelium ipſius abnegare.*

CXVII. Quas voces Germanis Principibus dignas Fortissimi quiq; Heroes sedulò expendant, factis constantiam demonstrent, *Majoresque* suos Fidei synceritate superare laborent, votis ardentibus precamur.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS PRIMAE
Problemata VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. JOHANNE MECKELIO

Ulmensi Suevo.

Ad 24. Novembris horis locoq; consuetis.

VIII. PROBLEMA.

An sit naturalis quaedam DEI notitia, & qualis haec, & quis ejus usus.

THESIS I.

PRoximâ συζητήσει contra Jesuitas, eorumque maximè Protagonistam Bellarminum disputatum, & demonstratum est Fidem esse notitiam. μετάβασις.

II. Et quidem talem, quæ jam, post lapsum, nobis *non ingenita*: sed verbi Divinitus patefacti beneficio, *comparanda*, quæque usitate notitia DEI *specialis, Ecclesiæ propria revelata & Evangelica* dici consuevit, de qua;

Matth. 11. v. 27. Joh. 1. v. 18. cap. 6. 39. cap. 14. 6. 9.

1. Cor. 1. v. 21. cap. 2. 7. Ephes. 3. v. 9.

III. An verò præter hanc naturalis quædam & generalis adeoq; κατάλογος omnibus promiscuè hominibus, vel toti *naturæ humanæ* communis sit & detur DEI notitia, non injuriâ quæritur.

4. Co-

Negativa falsa.

IV. Conatur Photinianus & Samosatenianus ille *Ostorodius*, ne, pro malitiâ suâ plusquam Satanica, quicquam intactum, & quantum in se, illabefactum relinquat, *Negativam* tueri, & impudenter scriptitare:

> *Neque à naturæ; neque ex creaturarum contemplatione* DEVM *cognosci; sed tantùm famâ de* DEO *extrinsecus homines addiscere, quod aliquis sit* DEVS *&c.*
>
> In Confess. Germ. Anno 1604.

Affirmativa vera.

V. Nos, cum Theologis γνησίως καὶ εἰλικρινῶς orthodoxis, *Affirmativam* tenemus, quæ, ut accuratiùs & explicatiùs tractetur, singulæ Problematis partes ordinè discutiendæ sunt.

Διάθεσις Problemat. in 3. partes.

VI. Quarum, ut ex primo statim intuitu apparet, istæ tres 1. περὶ τὸ εἰ ἔστι, *An sit Naturalis* quædam Dei notitia. 2. περὶ τὸ ποιὸν, *qualis* illa sit. 3. περὶ τὸ τέλος, de *fine* & *usu* ejusdem.

1. *Partis assertio.*

VII. *Primam* igitur Problematis partem quod attinet: apertè & disertè profitemur, quòd, præter revelatam Dei notitiam, omnino etjam sit & detur notitia quædam Deo naturalis, qua omnes in universum homines non tam intra quam extra Ecclesiam vivant: *esse* Deum, eumq; religiosè colendum.

Probationes.

VIII. Munimenta ac monimenta nostræ hujus assertionis *duûm generum* futuro, quorum *unum internum, primarium* & ἔνδιαθετον: *alterum* verò *externum, secundarium* & ἄνδιαθετον.

1. ἔνδιαθετοι

IX. βεβαίωσιν ἔνδιαθετον constituunt & absolvunt hæc, quæ sequuntur, θεπίσματα partim *Veteris*, partim *Novi* Instrumenti.

Ex V. T. I,

X. Ex *veteri* huc referri potest istud:

> Job. cap. 12. *Interroga jumenta, & docebunt te; Et volatilia cœli, & indicabunt tibi; Loquere Terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris,* QVIS IGNORAT, *quòd omnia hæc manus* DOMINI *fecerit?*

Ex N. T. IV,

XI. In *Novo* autem *Testamento* scopum hunc propositum directè feriunt hæc Pauli Præconis Gentium θεολογήματα *numero quatuor.*

1,

XII. Primò ad *Rom. c. 1. v. 19.* scribit quòd γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Gentilibus φανερόν: Deumque id ipsis φανερῶσαι patefecisse.

2,

XIII. 2. In *eodem capite versu mox sequente 29.* restatur τὰ ἀόρατα, i. e. *sempiternam Dei potentiam & divinitatem* ut *objectum* cognosci, ex rebus creatis à condito mundo, tanquam *per medium cognoscendi.*

14. In

XIV. 3. In *eodem capite* 3. *v.* 32. Idem pronunciat, quòd gentiles ἐπιγνόντες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, id quod absq; ἐπιγνώσει, necognitari quidem potest, siquidem autoritas juris & legum non nisi ab illius & harum autoribus dependeat. 3.

XV. 4. *In capite* 2. *v.* 15. ejusdem Epistolæ Idem Apostolus affirmat: Gentiles *NATVRA sibiipsis legem esse*, (NB) ostendentes τὸ ἔργον τοῦ νόμου γεγραπτὸν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *simul ATTESTANTE eorum* CONSCIENTIA. 4.

XVI. Cujus certè testimonij nulla vis esset, nisi naturalis quædam honestorum quæ præmiis, & turpium quæ pœnis digna, animis mortalium impressa & insculpta esset notitia.

XVII. Cæterùm ad βεβαίωσιν ἄγραφον pertinent hominum sanctorum tum *intra* tum *extra* Ecclesiam suffragia. 2. ἄγραφον

XIIX. Ex iis qui *intra* Ecclesiam consistunt, producimus *Patres* orthodoxos. *Ex Patribus.*

Justin. Martyr in Respond. ad. 1. Quæst ad Græc.

Οὐδέ ἔστιν ὅλως ἄγνοια τοῦ Θεοῦ. Πάντες γὰρ
ὅπερ ἔστιν ὁ Θεὸς ὁμολογοῦσι κοινῇ ἐννοίᾳ,

Et Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Rom. fol 25.

Τὴν περὶ αὐτοῦ γνῶσιν ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἀνθρώποις ἐνέθηκεν ὁ Θεός.

XIX. Ex iis verò, qui *extra* Ecclesiæ pomeria vixerunt, sistimus Ethnicos sapientiores, quorum omnium instar esse possunt sapientiæ & Eloquentiæ Magistri *Cicero*, *Latinus*, & *Aristoteles Græcus*. *Ex Philosophis*

XX. E *Cicerone* notentur hæc duo:

Lib. 1. de Nat. deorum.

Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum?

Et lib. 2.

Qui potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus, quàm esse aliud numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.

XXI. Ex *Aristotele* autem istud unicum summè ἀξιόλογον.

Lib. 1. de Cœlo cap. 3.

Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι βάρβαροι καὶ ἕλληνες ὅσπερ ὄντως εἶναι νομίζουσι θεὸς, δηλονότι ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον.

3. Αὐσις Sophismatum Ostorodij.

XXII. E quibus hactenus dictis, edoctis & productis omnibus ac singulis meridiano jubare nitidiùs exsplēdescit: quàm ἀπαίδευτος, ἀσύστατος, καὶ ἀθεόλογος sit impuri illius oris *Ostorodij* opinio.

1.

XXIII 1. Ἀπαίδευτον, quòd putat quosdam homines, ut in *Brasilia* & *India*, reperiri, qui nulla planè cognitione DEI imbuti.

XXIV. Testis enim illa veritatis Historia docet: usque adeò Divini Numinis persuasionem etiam in populorum, in remotissimis illis, & antea in accessis orbis Terrarum partibus, animis, radices egisse; ut potiùs simulacris mutis omnique & motu & nutu destitutis, quinimmò Cacodæmoni ipsi cultum religiosum exhibere: quàm videri omni Numinis cultu carere, maluerint.

3.

XXV. 2. Ἀσύστατον, quod aliqui ex doctoribus Philosophis DEUM esse & humana curare negârint, quemadmodum de Evemero Acragantino, Diagora, Hippone Milesio & aliis, qui exinde ἄθεοι appellati, memoriæ proditum.

XXVI. Est enim *Fallacia accidentis*: siquidem illud non eorum ignorantiæ: sed malitiæ potiùs, (qua *veritatem in injustitia detinuisse* ab Apostolo perhibentur,) (a) adscribendum, *vel*, quòd *cum DEVM cognoverint: non ut DEVM glorificaverint; neq; grati fuerint*, juxta eundem Apostolum, *Rom. 1, 21.* (a) *Rom. 1, 18.*

XXVII. Quo sensu etiam gentiles ab eodem dicuntur (b) ἄθεοι iisq; (c) ἄγνοια tribuitur: sicut & alicubi (d) ipsis Israelitis.

(b) *Eph. 2, 12.* (c) *4. 18. Cal. 4. 8.* (d) *Es. 1. 3. cap. 45. 4. 5. Ierem. 4, 22.*

XXVIII. 3. Ἀθεόλογον deniq; imò frivolum & sycophanticum, quod verba Pauli de patefactione DEI per opera creationis, interpretari audet, de nova creatione per doctrinam & opera.

XXIX. Disertissimis enim verbis loquitur de iis πτήμασι, quæ ἀποκτίσεως κόσμου, inde à prima usque Mundi creatione, omnium in universum hominum oculis ubiq; patuerunt.

II. *Partis Explicatio per geminam distinctionem.*

XXX. Sed transeamus ad *alteram* ζητήματος nostri partem, circa quam *duæ* veniunt considerandæ *distinctiones* scitu & observatu dignissimæ, quarum *prior* est *in insitam & acquisitam: posterior* in συγκεχυμένην vel *generalem*: & διωρισμένην vel *exquisitam* DEI notitiam.

1.

XXXI. *Insitam* DEI notitiam appellamus scintillulas illas adhuc residuas de splendidissimo illo perfectæ agnitionis DEI lumine, quod in natura humana, ad imaginem DEI condita, ante lapsum fulsisse legimus.

XXXII.

XXXII Ex his, mox inde ab utero materno, emicant notionum quarundam radii, qui vulgo principia nobiscum nata dici solent.

XXXIII. Inter quæ nonnulla etiam ad DEUM usque pertingunt, suntque *partim theoretica*, ut, quod sit DEUS, quòd idem unus, justus, &c. *partim practica*, ut, quòd DEUS religiosè colendus.

XXXIV. Atque hanc DEI notitiam hominum animis per naturam inde ab utero impressam asserit Apostolus potissimùm *ad Rom. 1. 25. 32. cap. 2, 14.*

XXXV. *Acquisita* DEI notitia comparatur ex intuitu & consideratione operum DEI, quæ vel in μιπεροσμῳ supra nos, circa nos & infra nos: vel in μαεροσμῳ intra nos sese exerunt, proferuntve.

XXXVI. De hac disseritur ad *Rom. 1.19. 20. Actor. 14.17. cap. 17.27. & Psal. 19, 1.*

XXXVII. Et Chrysostomus: εἶχε (ψυχὴ) τὴν Φύσιν ἀντὶ βιβλίου *hom. 7. in Epist. ad Cor.*

XXXVIIIX. Ceterùm *utraque* hæc DEI notitia tum *Insita*, tum *Acquisita non est διωρισμένη & exquisita. sed* tantùm *συγκεχυμένη & generalis.*

XXXIX. Subsistit enim in primo Creationis articulo, & saltē τὸ ὅτι de DEO à posteriori, quodque unus sit essentiâ & colendus, tenet.

XL. Ad secundum verò & tertium Symboli articulum non assurgit; nec quicquam de DEO à priori, nec quòd trinus personis, nec quo pacto colendus comprehendit.

XLI. *Denique* ut ad *tertiam* Problematis partem deveniamus *usus* sanè notitiæ illius Naturalis: alius est *verus & genuinus*; alius verò *falsus* & adulterinus. III. *Pars evolvitur.*

XLII. Usus naturalis DEI notitiæ *verus & genuinus quadruplex* constitui potest. *I. per θέσιν usus veri quadruplici.*

XLIII. *Primus* est, ut homines DEUM palpent & inveniant. 1.
Act. 17. 27.

XLIV. *Secundus*, ut inventum glorificent, eiq; se gratos exhibeant, id quod colligitur ex Epist. *ad Rom. cap. 1. v. 21.* 2.

XLV. *Tertius*, ut, si id facere neglexerint, & obid, justo DEI judicio obnoxii reddantur, planè existāt ἀναπολόγητοι *Rom. c. 1. 32. 2. 1.* 3.

XLVI. *Quartus*, ut habeant (e) testem & judicem suorum factorum conscientiam, cujus stimulus ipsis potest & debet esse occasio conversionis, sicut videre licet in Custode carceris *Actor. 16. 29.*

(e) *Rom. 2, 15.*

1-66

11 Et ἀφαί-ρεσιν falsi.

XLVII. *Vsus* ejus *falsus & adulterinus* est, quòd *partim Patrum* nostrorum: *partim nostra* etiam *memoria* fanatici extiterint homines, qui Gentiles isthac naturali notitia salvari potuisse, imò quosdam etiam eorum salvàtos esse tradiderunt.

XLIIX. *Patrum memoria* delirium istud in Ecclesiam invexerunt, tum *Romanensium* tum *Dipnosophistarum* nonnulli.

XLIX. E *Romanensibus* celebres sunt hoc nomine: Erasmus Roterodamus *Monachus quidam* in Concilio Tridentino, *Thammerus*, *Andradius* Jesuita.

L. E *Dipnosophistis* verò, Zvvinglius, ejusq; succenturiatus Defensor, Gualtherus.

LI. *Nostrâ nrmoriâ* eandem ferè insaniam insanire ausus est illud omnium impietatum & absurditatum sterquilinium, *Franciscus Puccius*, de quo Osiander *Cent. XVI fol. 1098. 1099.* Nos infra *Probl. ult. V. Decadis.*

IX. PROBLEMA

Num mysterium Sacrosanctæ atq; individuæ Trinitatis, in historia Creationis, mox ab initio cap. 1. Geneseos fundatum.

τὴν ἑρμηνέων Interpretum scripturæ.

LII. Joh. c. 5. ὁ Επιστάτης noster summus oratione gravi & seriâ nos jubet *scrutari scripturam de se testificantem.*

LIII. In Græco utitur verbo ἐρεύνατε, sumtâ à re metallari & fossilibus metaphorâ, quam *Iobius* hisce verbis eleganter juxtà & significanter exponit.

Ἔοικε τὰ ἱερὰ γράμματα χρυσίῳ γῇ, ἧς ὁ πᾶσιν ἐν τοῖς τυχοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς φιλοπόνως καὶ ἐπιμόνως μεταλλεύσι τὸ τε χρύσιον δόκιμον καὶ τὸ κέρδος τῶν πόνων μεῖζον παρέχεται ὥσπερ ἂν πενίας οὐκ ἀπαλλάττεται ὁ μὴ μεταλλικὴν ψάμμον ἐν ὠργάσιμῳ, ἢ παιδιᾷ ἢ κατὰ μυκτηρισμὸν ἐπαφώμενος, οὐδὲν δὲ φιλοπονῶν: οὐδ' ἀνιχνεύων τὸ ὑποκείμενον κρυπτόμενον: ὅτι οὐκ ἂν ἀγνοίας ἀπαλλαγείη, οὐδὲ τῆς ἐχθρᾶς τὰς ῥαθύμους ἀπαθείας, ὁ τῷ γράμματι μόνῳ ἐφιστάμενος, τὸν δὲ ἐν αὐτῷ θησαυρὸν οὐκ ἀνερευνῶν, οὐδὲ τὸ ἐν βάθει κέρδος τῶν νοημάτων ἀναλεγόμενος.

Super situm locum fol. 323.

LIII. Sicut

LIII. Sicut verò metallici vel fossores thesauros terræ non ἐν τῇ πλάτῃ & prodatulo: sed ἐν τῷ βάθει & abscondito inquirunt, & quidem non ἁπλοϊκῶς sed ἀκριβῶς: ita quoque juxta Clementem Alexandrinum: δεῖ τὰς γραφὰς ἀκριβῶς διεξελθεῖν, καὶ οὐκ ἐξ ἁπλοτέρας ἀναγινώσκειν, *in Elect. Proph. fol. 348. & lib. 7. Strom.*

LIV. Thesaurus autem omnium preciosissimus in visceribus Scripturæ reconditus latens, est cognitio CHRISTI & Mysterii Sacrosanctæ atque individuæ Trinitatis.

LV. In hac enim tota salutis nostræ cardo vertitur & volvitur ünicè *Iohan. cap. 17. 3.*

LVI. Meritò igitur commendatur Christianorum Interpretum pietas & diligentia, qua mysterium illud παναγιον & ἀπερφάσιον (ut *Damascenus* loquitur) in Scriptura διεξελθεῖν ἀκριβῶς studuerunt.

Quo factum, ut illud mox in prima Pentateuchi Mosaica venula, id est, *Gen. 1, 1.* sub involucris vocabulorum בָּרָא & אֱלֹהִים felici indagine offenderint.

LVII. Etenim, cum nomen אֱלֹהִים plurali numero, cum verbo בָּרָא numeri singularis, contra omnem analogiam, modo planè singulari construatur: eo ad mysterium Tri-unitatis digitum quasi indicem intendi, rectissimè judicârunt; ita quidem ut per verbum *singularis* numeri Divinæ essentiæ *unitas*: per nomen autem *pluralis* numeri personarum *Trinitas* denotetur. *Sententia Interpretum Christianorum.*

LIIX. Sed quid Aristarchus ille Genuensis Calvinus? Pro καινοσοφία & φιλονεικία sibi congenita pium istud interpretum Christianorum studium atro notare calculo non veretur. *Calvini καὶ κακοδοξία.*

LIX. Sic enim super illo Mosis verba commentatur:

Habetur apud Mosen אלהים *nomen pluralis numeri. Vnde colligere solent, hic in DEO notari tres personas: sed quia parum solida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non insistam. Quin potius monendi sunt lectores, ut sibi â VIOLENTIS ejusmodi glossis caveant. Putant illi se testimonium habere adversus Arrianos ad probandam FILII & SPIRITVS divinitatem, interea se involvunt in errorem Sabellij; quia postea subjicit Moses Elohim locutum esse, & SPIRITVM Elohim incubuisse aquis.*

Refutatur Calvinus,

LX. At enimverò putidam hanc hominis supra modum ambitic. si, καινοδοξίαν & ἰδιοχαιροσύνην confundere & obtundere non est operosum. Ingens enim rationum in contrarium nubes ultro sese oggerit.

1. παχυλῶς.

LXI. Taceo cabalam in verbo בָּרָא cujus literâ 1. בֵּן ב seu FILIUM. 3. אָב id est, PATREM. 2. & mediâ רוּחַ *Spiritum sanctum*, copulam & nexum PATRIS & FILII, adumbrari, piè docent & sentiunt plurimi.

LXII. Omitto cabalam illam alteram in prima mox Scripturæ dictione בְּרֵאשִׁית, quam si resolvas: prodit ilico: בֵּן אָשִׁית FILIUM *panam*, simulq; PATRIS & FILII mentio involvitur.

2. ἀκριβῶς tribus fundamentis.

LXIII. Sed firmiora habemus causæ nostræ præsidia, quorum *tria præcipuè* brevitate & claritate qua fieri potest maximâ proferre, iisq; mox eorum, qui aliàs Calvino ex asse addicti, suffragia subjungere fert animus.

1.

Occurritur I. Calvini & assectarum exceptiunculis.

LXIV. *Primum* præsidium collocamus in Mosaica, qua, uti & paulò antè prænotatum, nomen pluralis numeri cum verbo singularis numeri, jungitur. Idq; non ea de causa factum quasi singulare אֱלֹהִים non sit in usu. Frequentissimè enim in sancta & Lingua & Scriptura in numero singulari usurpatum repetitur; maximè.

Deut. 32. *15. Psal* 50,22. *Psal.* 11.4,7. *Daniel.* 11. 38. *Hab.*1,11.

LXV. Verùm alio quodam consilio, de quo Galatinus autor ille ἐβεβαιώσατο ita tradit.

Hoc nomen אלהים *Elohim, etsi pluralitatem designet, cum verbo tamen singularis numeri jungi solet, quoties in Scriptura sacra pro* DEO *vero accipitur. Vt est illud* in libri Geneseos principio, בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ hoc est, In principio creavit Dii cœlum & terram. *Vbi g. nostra tam Græca quàm Latina editio* DEVS *habet: Hebraica veritas* Dii *dicit. Quod quidem absq; grandi* mysterio *factum non est. Quia enim juxta D. August. sententiam, opera Trinitatis indivisa sunt ad extra: Idcirco Moses ille magnus ad insinuandum* omnes tres personas *divinas,* PATREM & FILIUM & SPIRITUM S. *simul ad mundi creationem concurrisse* אלהים *Elohim, i. e.* Dii in plurali *dixit, & non* אלוה *Eloha sive* אל *el. i. e.* DEUS *in singulari: Ad ostendendum autem* tres illas personas *essentialiter non distingui, sed idem omnino esse: hoc est unum* DEVM *esse, & non tres Deos.* ברא *bara i. e. creavit* in singulari, *dixit, & non* בראו *bareu, id est, creaverunt,* in plurali.

LXVI.

LXVI. Nec obstat, quod plurale אֱלֹהִים aliquando uni singulatim Trinitatis personæ tribuitur, ut PATRI *Gen.* 1, 3. FILIO *Gen.* 32. 28. *&c.*

LXVII. Fit enim idipsum quoq; κέντρον quadam ad sacrosanctæ atque individuæ Trinitatis mysterium, quo personæ ejus περιχωρήσεως eaq; intimâ mutuò se complectuntur.

LXIIX. Multò minus ponderis & momenti habent frivolæ exceptiones Judæorum, Nam 1. falsum est, plurali אֱלֹהִים notari duntaxat plures DEI *virtutes*, quemadmodum & Calvinus ἰουδαΐζων interpretatur. *11. Judæorum nugis 4.*

LXIX. Nusquam enim nomen illud pro virtutibus accipitur: sed semper pro *rebus, per se subsistentibus.*

LXX. 2. Falsum JEHOVAM de se in plurali numero loqui, honoris causa, vel Majestatis suæ asserendæ gratiâ, more Regum secularium.

LXXI. Contrarium enim docent sacræ literæ, præsertim *Esaiæ cap. 43. cap. 44. cap. 45.* ubi certè DOMINUS non à pluralitate: sed *ab unitate* suam divinam Majestatem vindicat.

LXXII. Et quæ quæso consequentiæ ratio à more Regum hujus seculi: ad Regum illum Regem, qui in cœlis æternitatem inhabitat?

LXXIII. 3. Falsum, quod תּוֹ—חַיִּים, quod è (*f*) Codice Biblico adducunt, sit pluralis numeri. Nam vel ex plurali חַיִּים & in regimine חַיֵּי usitatissimo abundè liquet, quod illud non sit pluralis: sed *singularis* numeri.

(f) *Gen. 42, 15. 1. Sam. 1, 26. 2. Sam. 11, 11.*

LXXIV. 4. Quòd plutalia אֲדֹנִים & בְּעָרִים de personis singularibus enuncientur: id fit κατὰ σύνθεσιν, respectu ad pluralitatem personarum, quæ dominio & familiâ eorum comprehenduntur.

LXXV. Sed erigamus *secundum* causæ nostræ præsidium, & sanè ex ipso textu Mosaico, in quo *non tantum operte* phrasi illa jam explicatâ mysterium illud adumbratur: sed mox etiam *aperte* singularum trium Trinitatis personarum ἐπαγωγῇ declaratur.

LXXVI. Introducitur enim 1. DEUS PATER ex quo omnia *Rom. 11. Eph 4.*

LXXVII. 2. FILIUS ὁ λόγος, non προφορικὸς: sed ὑποστατικὸς, ut confirmat *Iohan. cap. 1, 1.*

LXXIIX. Moses verbo [illegible] ipsũ indigitat, verbo inquã illo, à quo

FILIUS

FILIUS DEI *Chaldaicâ* linguâ בַּר אֱלָהִין; *Græcâ* λόγος. Communiter appellari meritus, quam consuetudinem vulgo tum receptam Johannem etiam in Evangelio, Canonica & Apocalypsi sua secutum esse, constat.

LXXIX. Addè quòd idem Evangelista θεολογώτατος Mosen interpretaturus haud obscurè (*f*) docet: FILIUM DEI esse eum ipsum Λόγον PATRI æterno ὁμοούσιον, καὶ συναΐδιον, per *quem fecerit omnia*; cui ὁμόψηφος Autor quoq; Epistolæ Hebræis inscriptæ

c. 1. 2. (*f*) *Ioh. 1, 3.*

LXXX. 3. SPIRITUS etiam SANCTUS nominatim exprimitur, imò ut avis alis suis aqueæ moli incubans, eamq; fovens & vitali Spiritu imbuens, pingitur.

3. LXXXI. *Tertium* causæ nostræ præsidium Rex & Psaltes ille Sionius Davides extruit Psalmo 33:

VERBO DOMINI, inquiens, *Cœli firmati sunt, & SPIRITV ORIS ejus omnis exercitus eorum.*

LXXXII. *Quibus* profectò verbis nihil aliud continetur, quàm compendium historiæ Creationis absolutissimum, vel insignis Commentarius in præsentem Geneseos textum, de quo inter nos & Calvinum contenditur, & disceptatur.

LXXXIII. Attestantur id non modò Orthodoxi Patres, & Lutherani interpretes; sed *Calviniani* etiam & inter hos *Tremellius & Iunius* qui in suis ad textum Biblicum notis in istum Psalmi versiculum hoc modo commentantur,

Gen. 1. *Ab opere creationis & conservationis, ut observatum est in vers. 4. quod opus DEVS PATER in FILIO fecit per SPIRITVM.*

LXXXIV. Ceterùm nostris sic constitutis & erectis è Scriptura præsidiis, supersunt ipsorum Zvvinglio, Calvinianorum *suffragia*, quorum plura è *Pellicano Szegedino Petro Martyre* & aliis produci possent sed sufficiant pro re nata hæc saltem duo:

Zanchius lib. 2. de trib. Elohim, cap. 2.

Firmius est, quòd alij doctissimi viri, ex voce pluralis numeri qua hîc DEVM nominat Moses, nempe אֱלֹהִים, *colligunt: plures personas in illo esse Iehova, qui legitur creâsse cœlum & terram.*

[Tre-

Tremellius & Franciscus Jun. super cap. 1. Gen.
Unus essentiâ, personæ tres, PATER FILIUS & SPIRITUS SANCTUS: *ut Hebræa voce ostenditur. Sic deinceps in creationis historia oportet accipi, nisi cum adhibetur aliqua determinatio ad personarum relationem inter se pertinens.*

XXCV. Legatur de hoc Problemate *B. Hunnius* in Calvino Judaizante, & Antiparæo priori.

X. PROBLEMA.

Quo respectu PATRI opus Creationis, FILIO opus Redemptionis, SPIRITUI SANCTO opus Sanctificationis in Symbolo Apostolico assignetur.

XXCVI. Qua ἀφορμῇ & occasione istud Problema proponendum duxerimus: tum è *primo Symboli articulo*: tum ex *problematis proximè præcedentis* ἐξηγήσει facilè intelligitur.

XXCVII. Etenim in *primo Symboli articulo* opus Creationis PATRI tribuitur: ex ἐξηγήσει autem *Problematis* jam modò propositi patet, quòd opus illud commune sit omnibus & singulis tribus Sacrosanctæ Triados personis.

XXCIIX. Liquet insuper ex secundo & tertio Symboli articulo, quòd sicut opus Creationis Patri: ita Filio opus Redemptionis, Spiritui autem Sancto opus Sanctificationis assignetur.

XXCIX. Non immeritò igitur quæritur, quo respectu illud fiat, cùm aliàs opera ad extra sint indivisa. Ita enim futurum, ut Symbolon illud sacratissimum pleniori intelligentiâ recitare valeamus.

XC. quòd Patri opus creationis adscribitur: id utique fit modo quodam singulari eòque potissimùm *triplici*. 1. *De PATRE.*

XCI. 1. Quia, ut Pater est ἄναρχος & πηγὰ θεότητος, adeoque ἀρχὴ personarum Trinitatis quoad opera ad intra: ita concinnum, ut eidem ἀρχὴ operum ad extra quoque tribuatur.

XCII. 2. Quia Pater τῇ τάξει prima est Triniatis persona: ideo etiam prima actio, qua se sacrosancta Trinitas patefecit, non inconvenienter ei assignatur.

XCIII. 3. Quia Pater est causa πρωταρχικὴ creationis : sicut Filius δημιουργικὴ : Spiritus S. τελειωτικὴ juxta *Basilium Orat. 16.* de Spiritu Sancto.

XCIV. Quod enim Filius creator : habet à Patre : quod Spiritus Sanctus : id habet à Patre & Filio simul, Pater autem id habet à neutro : sed à seipso.

2. de FILIO.

XCV. Cæterùm quòd Filio, in secundo Symboli articulo adscribitur opus Redemptionis : id non eò accipiendum, quasi Pater & Spiritus S. inde sint excluſi.

XCVI. Minimè omnium. Contulit enim uterq; πλεῖστον suum μέρος : tum ad *incarnationem* tum ad *passionem Christi.*

XCVII. De *incarnatione* nota est πρόσφωνησις Angeli ad Mariam *Luc. cap. 1. vers. 35.*

XCVIII. De *passione* Christi itidem in confesso, (g) quòd Pater *pro nobis tradiderit Filium*, & quod Filius *per Spiritum æternum se obtulerit. Hebr. 9. vers. 14.* (g) *Iohan. 3. v. 16. Rom. 8, 32.*

XCIX. Interim tamen Filio adscribitur opus Redemptionis, quia is solus passus est in carne, & solus carnem assumsit : non Pater non Spiritus sanctus.

C. Unde scitè & eruditè Augustinus.

Suscepit, inquit, *Filius carnem in proprietate, sed tamen & Pater & Spiritus sanctus non defuit majestate.* Item : *Cum ergo una sit Deitas, una sit Divinitas : implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus sanctus*, sed majestate nec susceptione. Denique : *Nec Pater nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur.* Serm. 3. de tempore.

3. De Spiritu Sancto.

CI. Tandem quod Spiritui S. opus sanctificationis asscribitur : id fit, tum ratione officij, tum patefactionis.

CII. *Officij*, quod est sanctificare, cujus gratia κατ' ἐξοχὴν non tam Sanctus : quàm sanctitas & sanctificatio & sanctificator salutatur. *1. Thes. 4. v. 3. Ezech. 20. v. 12. cap. 37. 28.*

CIII. *Patefactionis*, quod se circa opus sanctificationis visibilem in modum revelavit, ut maximè *Actor. 2.* in die Pentecostes.

EX

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS SECUNDAE
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE
M. SIMONE SALICHIO.
Magdæburgenſi.

Ad 1. Decembris horis locoq; conſuetis.

I. PROBLEMA.

An Mundus in tempore, eſſe ceperit, & quo anni tempore.

THESIS I.

PRImus omnium Ariſtoteles tum à majoribus: tum à Magiſtro Platone diſſentiens, Mundum æternum ſtatuere auſus eſt, ſcribit *Bodinus in Methodo hiſtorica cap. 8.*

II. Cui *Scaliger* alias non inſtrenuus Ariſtotelis ἐφοσπιστὴς ſuum adjicit calculum: *Quis* inquiens, *ignorat*, (Mundum) *à Platone generari, à nobis creari, ab Ariſtotele æternum dici.* Exercit. 61. diſt. 2. *Error Ariſtotelis de æternitate Mundi.*

III. Et quis adeò hoſpes eſt in Philoſophi iſtius ſcriptis, qui neſciat, quòd *VIII. Phyſicorum capite I.* non tantùm tacitè notet eos, quos κοσμοποιεῖν ait: ſed apertè etiam & ex profeſſo demonſtrare nitatur: Motum eſſe æternum & per conſequens etiam Mundum: ſecus ac Plato in Timæo docuerit, quem & ipſum eodem capite nominatim perſtringere non erubuit.

IV. Silentio prætereo, quòd *1. Topic. cap. 11.* quæſtionem de Mundi æternitate inter Problemata Dialectica referat, de quibus dubitandum, utrum ſic vel ſecus ſe habeant.

V. Sed lapſum eſſe hominem Ethnicum ignorantiâ Scripturæ, Chriſtiani hodie Philoſophi non inviti largiuntur, licèt non deſint, quibus hunc errorem de æternitate Mundi excuſare allubeſcat.

VI. Nonnulli Ariſtotelem æternitatis Mundi aſſertorem fuiſſe acerrimum autumant, dum adhuc juvenis eſſet; ſed hanc opinionem ipſum poſteà, cum ad majorem ætatis & judicij maturitatem provectus, in Metaphyſicis retractaſſe.

VII. Num verò excuſari poſſit error iſte Ariſtotelis Philoſophicè, penes Philoſophos eſto judicium.

VIII. Certè in hæc hujus ipſius Philoſophi principia dogma illud de Mundi æternitate adverſa fronte impingit:

Nullum Ens finitum eſt à ſe.

Nihil vel magnitudine vel numero infinitum conſtare poteſt.

Infinitum ratione & intelligentia non poteſt comprehendi, &c.

Creatio Mundi ex nihilo articulus fidei

IX. Nos hæc & ſimilia Philoſophis relinquentes, in Scripturæ ſacrario ſubſiſtimus, Ἀλαβρήδην quæ teſtatur; πίστει νοεῖσθαι καταρτίσθαι τοὺς αἰῶνας VERBO DEI *Hebr. 11.*

X. Quanquam enim Philoſophi ante Ariſtotelem in eo convenerunt invicem, quòd Mundus aliquod ortus ſui habeat principium, ſic edocti principijs Philoſophicis, quorum unum atq; alterum jàm protulimus: attamen, quòd Mundus *ex nihilo* productus, nemo eorum, ex ſuæ Philoſophiæ principijs, colligere & intelligere potuit unquam.

XI. Verùm iſtud ex ſolo Verbo Divinitus revelato in Eccleſia, & non ex principijs humanæ Rationis in ſcholis Philoſophorum cognoſcitur, quo nomine & creatio Mundi non inter τὰ νοούμενα: ſed inter τὰ πίστει-νοούμενα ab Apoſtolo refertur, id eſt, inter ea, quæ non
„ intelligendo creduntur: ſed quæ credendo intelliguntur, juxta
„ Methodum Fidei propriam, adeoque methodo τῶν νοητῶν ἀνεξιχνίαστον διηρημένην.

NB.

Mundus in tempore cepit.

XII. Quòd autem Mundus in tempore & cum tempore ceperit; Deiq; omnipotentiâ ex nihilo productus fuerit: id μέγας ὁ Θεόλογος Moſes Geneſeos cap. 1. σοφῶς καὶ συμφῶς deſcribit.

XIII. Et ſanè cum Scriptura (*a*) *ſolum* Deum æternum agnoscat, (*b*) eumque hoc titulo à creaturis diſtinguat, quodque cum æternus, ſolus *ea, quæ* æterna *non ſunt vocet ut ſint*: quis adeò alienus & adverſus ab omni ratione fuerit, qui mundum DEO coæternum fingere meditetur?

(a) *Eſa. 44, 6. cap. 57, 15. Apoc. 1, 8. Pſal. 90, 3. Pſal. 102, 26. & 27.*

(b) *Rom. 4, 17.*

14. Ce-

XIV. *Ceterùm* cum in aprico positum sit: Mundum DEO non esse coæternum: sed in tempore & cum tempore cepisse: ulteriùs jam quæritur, quonam anni tempore ceperit. *De quæstione quo anni tempore Mundus sit conditus 3. Opiniones.*

XV. *Gerardus Mercator*, Mundum *æstivo tempore*, & quidem mense Julio, sole Leonem peragrante, conditum fuisse, opinatur.

XVI. Conjecturam, qua suam hanc opinionem stabilire nititur, desumit indè, quòd, Noæ tempore, initium anni in mensem illum incidisse ex eo probabiliter colligi possit, quòd columba 24. die Mensis undecimi reversa attulerit secum ramusculum oleæ foliis virentibus. *1. Mercatoris.*

XVII. Sed conjecturam hanc admodum invalidam esse, quis non animadvertit? Nam vel ex plinio constat, imò experientiâ, quòd Oleæ folia nunquam decidant, & colorem suum nunquam amittant: *Lib. 16. cap. 20.*

XVIII. Et posito, quod deciderint, an non iterum progerminare potuerunt, mense undecimo, qui usitatè Hebræis annus arborum, eò quòd illo mense, arbores gemmas protrudere, & frondes expiicare in regionibus illis soli vicinioribus soleant?

XIX. Et qua demum ratione nobis persuadebit Mercator, mensis undecimi appellatione, indigitari nostrum Majum; primum verò mensem coincidere cum nostro Julio.

XX. Longè diversum Theologicè, Historicè & Hebraicè eruditi summo hactenus consensu tradiderunt.

XXI. Et quæ quæso temeritas, de Orientialium illarum regionum indole, secundùm Occidentalium terrarum genium judicare velle?

XXII. Communis præterea & vulgo recepta est opinio: Mundum *verno tempore* conditum fuisse.

XXIII. Et huic subscribunt plurimi, *Theologi*, pleriq; omnes *Astronomi*, non pauci *Philosophi*. *2. Vulgo recepta.*

XXIV. Ex *Theologis*. Eusebius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Damascenus, & inter recentiores permulti.

XXV. Ex *Astronomis* nominare possemus complures, & inter hos quosdam, qui eò usque progressi, ut Thema Cæli erigere, eoque solem in natali Mundi, eoque die, quo lux creata est, primum Arietis punctum in medio cœli, vel domo decima ocupasse, tanquam in tabella monstrare non dubitarint.

XXVI. Ex *Philosophis* fictimus *Scaligerum*, qui suo & cæterorum nomine istud posteritati reliquit pronunciatum :

Mundum vere ortum primo, & autumant Sapientes, & credere par est.

Exercit. CCLVII.

XXVII. An enim verò, (quod pace & gratiâ tot doctissimorum hominum dixerim,) videtur hæc opinio paulò longius à regia & militari veritatis viâ deflectere.

3. *Sententia vera.*

XXVIII. Multò propius autem eò accedit sententia eorum, qui statuunt : Mundi exordium non in Vernum sed in *Autumnale tempus* incidisse.

XXIX. In promptu namque sunt & scripturæ *Fundamenta* & alia insuper *Documenta*, quæ vel invito assensum extorquere valent.

1. *Fundamenta scripturæ.*

XXX. Scripturæ fundamenta in hujus Syllogismi fasciculum colligimus & colligamus :

Quo anni tempore & mense, antiquissimi Hebræorum ante Mosen annum incoare consueverunt : eodem etiam tempus cum Mundo & Mundus cum tempore cepisse, scitè & rite judicatur.

Atqui Autumnali tempore & mense Tischri, qui Septembri nostro maxima ex parte respondet, Antiquissimi Hebræorum, ante Mosen annum incoare consueverunt. Ergo.

XXXI. Ratio consequentiæ in majore ἀυτοφανῶς patet. Principium enim cujusque rei Naturæ instinctu inde ducitur, unde incipit. Et si secus: quo jure quæso dicerentur anni à condito Mundo numerari ? & an non remaneret aliquid, quo minus numeratio integrè sibi constâret ?

XXXII. Assumptionis Veritatem tribus scripturæ fundamentis, communimus, quorum primum literis consignatum extat *Exod.* 24. secundum *Exod.* 34. tertium *Levitici* 23.

XXXIII. 1. *Exod.* 23. Jehovah jubet festum tabernaculorum celebrari, *Mense* Septimo בְּצֵאת הַשָּׁנָה sub exitum anni, vel anno jam exeunte.

XXXIV. Septimum autem Mensem, quo Hebræi festum Tabernaculorum olim celebrare soliti, esse mensem autumnalem, & eundem ferè cum nostro Septembri, planum est & indubium.

XXXV. Relinquitur igitur, in hunc mensem incidisse & finem vel exitum veteris : & principium vel introitum Novi anni, perinde,

de, ut termini Anni Juliani in noſtrum hodie Decembrem concidere conſveverunt.

II. XXXVI. 2. *Exod.* 34. imperat Jehovah, ut eadem ſolennitas agatur eodem menſe תְּקוּפַת הַשָּׁנָה *in revolutione anni*, vel anno vertente, in & cum æquinoctio Autumnali.

XXXVII. Unde iterum haud infirmâ ratione colligitur: Hebræorum annum, tempore autumnali, circa æquinoctium, exijsſe, & injiſſe, præſertim, cum Moſes, datâ operâ, vocabulo (*d*) (תְּקוּפָה *Revolutionis*) Aſtronomico utatur, quo ipſo etiam metaphoricæ interpretationi præcedentis loci rectâ obviam ire licet.

(d) *Pſal. 19. verſ. 7.*

III. XXXVIII. 3. *Ex Levit.* 23. rectè deducitur origo illius conſvetudinis, qua Hebræi, primo die menſis Tiſchri, ab æquinoctio autumnali, in feſto tubarum annos ſabbathicos, cumq; his annos à crearione Mundi numerare & incoare conſueverunt.

XXXIX. Utq; dies iſthic eſſet ſolennior, & obſervaretur ſtudioſiùs: ſono tubarum tum ille: tum annus ſimul novus cum illo, ex mandato Dei, publicè indicebatur.

XL. Et hæc è ſcriptura, ἐσωτερικὰ καὶ ἀπεγραφικὰ: *Documenta* ἐξωτερικὰ eò pariter collimant ſingula & univerſa, quòd principium Anni apud Hebræos indè à Mundi exordio in autumno vel menſe ſeptimo fuerit conſtitutum. II. *Documenta* ἐξωτερικὰ

XLI. Adducemus ſaltem præcipua, & *primum* quidem ex *Paraphraſte Chaldaico*, qui, non modò apud Hebræos in maxima: ſed apud Chriſtianos etiam in magna autoritate eſt.

XLII. Is in *v. 2. lib. 1. Reg. cap. 8.* quo commemoratur, quòd Rex Salomon templi recens extructi Encænia celebrarit in menſe ſeptimo Æthanim dicto, ita commentatur:

> *In menſe Æthanim, qui antiquitus, ante exodum dicebatur Primus, nunc ſeptimus.*

XLIII. Secundum petimus, ex Antiquitatum Judaicarum ſolertiſſimo Scriptore Joſepho, qui *lib. 1 ἀρχαιολογίας cap. 4.* ita ἱστορεῖ.

> *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noæ ſexcenteſimo menſe ſecundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marſonante, ſic enim Ægyptij diſtinxerunt annum, Moſes autem Niſan, qui eſt Xanthicus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Ægyptijs*

2. Ecclesiæ Ægypto eduxisset, eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit, *alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque dispensationem anni attinet*, nihil de *pristino ritu* innovavit.

3. XLIV. *Tertium* desumimus à *consuetudine*, quâ Judæi etiamnum Annos post conditum Mundum à primo die Mensis Tischri, tempore Autumnali, circa æquinoctium Autumnale, incoare & numerare solent.

Synagog. Iudaica cap. 12. & 9.

XLV. Et, quod observationem meretur non contemnendam, lectiones Bibliorum in Synagogis Judæorum, quas antiquissimi instituti esse constat, ita distributæ sunt, ut semper à mense septimo, vel Septembri lectionarium incoetur *à primo capite Geneseos*, quo historia Creationis descripta extat, ut ita de Creatione legatur, eo ipso anni tempore, quo de illa facta & peracta admonemur.

4. XLVI. *Quartum* nectimus ex hac *Ratione*:

Si Arbores in statu perfecto productæ sunt in Paradiso: sequitur utiq; quod autumnali tempore productæ fuerint.

Sed verum est prius.

Ergo & posterius.

XLVII. Ratio connexionis in *copulato* manifesta est, quia arbores tum in statu maximè perfecto esse existimandum, quando fructibus jam maturis perfectisq; gravidæ; id quod non alio, quam autumnali tempore fieri cernimus.

XLVIII. *Minor* desumpta est ex Genesi. quæ expressè restatur: terram tertio die *produxisse lignum faciens FRVCTVM, juxta genus suum* cap. 1. vers. 12.

XLIX. Nec tantùm hoc: verùm mox eodem capite causa istius rei annotatur hisce verbis: *ut sint Vobis in ESCAM, & cunctis animantibus terræ, &c.* vers. 29.

Causæ erroris. L. Ceterùm, quòd tam multi tempus Vernum, quàm Autumnale, primordijs Mundi assignare maluerunt: duplicem potissimùm ob causam, qua decepti, factum videtur.

LI. *Prima* est, quòd ex conditione, quæ hodiè naturæ jam creatæ, de ipsius primæ creationis ratione, judicium facere soliti.

LII. *Altera*, quòd non distinxerunt, inter annos Judæorum, quos

quos *partim* ab Æquinoctio autumali: *partim* ab Æquinoctio Verno incoare ac numerare consueverunt,

LIII. *Annos communes* deducebant à Creatione Mundi, eosq; exordiebantur ab *Æquinoctio Autumnali*, mense Tischri sive Septembri: *Annos* autem *festorum* numerabant ab exitu ex AEgypto, eosq; exordiebantur ab *Æquinoctio Verno*, mense Nisan.

LIV. Illa numeratio mox à condito Mundo ante Mosen cepit, & post Mosen etiam retenta fuit & observata: Hæc verò, tempore Moßis, demum cepit, ad mandatum JEHOVÆ.

Exod. 12. *Mensis iste Vobis erit caput mensium: primus erit vobis in mensibus anni.*

LV. Contestatur idem Josephus perspicuè loco paulò ante allegato *lib. 1 de χαιολ cap 4.*

LVI. Nos concludimus: cepisse Mundum in tempore, & Autumnali quidem tempore cepisse. AB

LV. Idq; tamen ad partes illas tres terræ, in quibus Paradisus extitit, restrictum volumus, ad ceteras verò terræ plagas extensum nolamus.

II. PROBLEMA.

An Mundus interiturus sit per ἀλλοίωσιν, secundùm accidentia modò: an verò secundùm substantiam?

LIIX. Quòd Mundus non ab æterno extiterit: sed in tempore & cum tempore cæperit dictum & evictum, in Problematis prox: mè præcedentis ἐξηγήσ.

LIX. Quòdq; idem quoq; suo tempore, quod soli Deo cognitum interiturus, nemo nisi Empæcta negare & in dubium vocare audet. *1. Pet. 3.*

LX. Scripturæ enim oracula de universali Mundi interitu, tum in Veteri: tum in Novo Testamento edita, tam clara sunt & illustria, ut Solis meridiani jubar clarius & illustrius esse nequeat.

Psal. 102, 27. Esa cap. 34, 4. cap 51, 6.

Luc. 21, 33. Apoc. cap 20. 11. cap 21, 1, 2.

LXI. Verum enimverò sicut τὸ ὅτι interitûs illius ἀναμφισβήτητον: ita τὸ πῶς ejusdem summe est ἀμφισβητήσιμον, maximèq; controversum,

Priotis Probl. partis asserto-tores.

LXII. *Priorem* Problematis propositi partem magno consensu tuentur *Patres.*

LXIII. Unde *Hieronymus in cap. 24. Matth.* super verba cœlum & terra transibunt,

Cœlum & terra transibunt immutatione non abolitione sui: alioquin quando Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent: si cœlum in quo ista sunt, terraq; non fuerit.

LXIV. Cui adstipulatur *Augustinus epist. 87. de Civitate Dei lib. 20. cap. 14. 16. 18. ac 24. & de dogmatibus Eccles.* Tom 3.

Elementa, inquit, id est, *Cœlum & Terram per ignem non credamus abolenda, sed in melius commutanda, figuram quoq; Mundi, id est, imaginem non substantiam transituram*, cap. 20. Do.

Eorum rationes.

LXV. Et sanè conantur illi, & eorum sectatores suam opinionem fulcire. 1. *Simili à vestimento inveterascenti Psal. 102.* 2. *phrasi* לְעוֹלָם *Psal. 104. 5. Ecclesiastæ 1, v. 43. dicto* Apostoli *de liberatione creaturarum* tantùm à servitute corruptionis *Rom. 8.* 4. *sententiâ* ejusdem Apostoli de *Schemate Mundi* transituro *1. Cor. 7.*

Posterior pars astruitur IV. Rationibus.

LXVI. *Posteriorem* Problematis partem amplectuntur hodiè Theologi γνησιως καὶ ὁλοψύχως *Lutherani*, quibus & nos meritò & lubentes subscribimus, propter firmamenta rationum summi ponderis & momenti.

LXVII. Quarum *I ex vi & ἐμφάσει* verborum, quibus in Scriptura παλιγγενεσία Mundi designatur, hoc Syllogismo comprehenditur:

Quicquid TRANSITVRVM, INTERITVRVM, PERITVRVM, FVGITVRVM *ita, ut locus* NON INVENIATVR *amplius: illud in nihilum abiturum & planè abolitum iri rectè statuitur.*

Atqui Cœlum & Terra, id est, Mundus (per periphrasin) (1) TRANSITVRVS, (2) INTERITVRVS, (3) PERITVRVS, (4) ABITVRVS, (5) FVGITVRVS *est ita, ut planè locus* NON INVENIATVR *ei amplius. Ergo.*

LXIIX. *Majorem* nemo sanus negaverit. Singula *Minoris* membra è sacræ Scripturæ visceribus desumpta ac deprompta sunt,

(1) *Luc. 21, 33.* (2) *Psal. 102, 27.* (3) *Esaiæ cap. 51, 6.*
(4) *Apoc. cap. 21, 1.* (5) *Apoc. 20, 11.*

LXIX.

LXIX. II. Petere licet ex *privilegio τῆς ἀΦθαρσίας* solius naturæ rationalis proprio.

LXX. III. Hunc in modum colligi & concludi potest:

Qualis Mundi ortus ratione terimini à quo: talis etiam ejusdem futurus interitus ratione termini ad quem.

Atqui mundus ex nihilo prodiit, & esse cepit, omnipotentiâ DEI.

Ergo eâdem DEI *omnipotentia in nihilum redibit & in nihilum desinet, ut ita & de Mundo usurpari possit istud Poetæ:*

Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.

LXXI. IV. Accedit *Typus Lev. 14, 44. 45.* ubi domus leprosorum jubentur non superficialiter renovari: sed fundamentaliter destrui & aboleri.

LXXII. Quid verò Mundus jæm post lapsum aliud, quàm magna illa leprosorum domus, quæ leprâ peccati tam profundè infecta, ut aliter purgari nequeat, quam totali destructione.

LXXIII. Cæterùm ut sententia isthæc nostra pleniùs astruatur: ad fulcra opinionis contrariæ destruenda nos convertimus. Falsitatis enim confutatio, veritatis quodammodò confirmatio est. *Refutantur Rationes contrariæ.*

LXXIV. *I.* Per *Simile de vestimento inveteraſcenti Psal. 102.* intelligit *ὁ ἱερὸς ψάλτης* solummodo inclinationem virtutum cœlestium partialem (de qua *Luc. cap. 21, 26.*) antegressuram totalem cœlorum interitum; cujus eodem in loco disertissimam facit mentionem.

LXXV. 2. Ad *phrasin* לְעוֹלָם responsio facilis est adhibita explicatione *ὁμωνυμίας* hujus vocabuli, de quæ (i) Augustinus:

Verba tenenda & sciendum est, quod vocabulum illud trifariam solet accipi, ac 1. pro eo, qnod non habet finem. 2. pro eo, quod in hujus seculi tenditur finem. 3. quod ultra memoriam hominum protrahit finem. Secunda significatio locum habet, in præsenti dicto (i) *lib. 16. de civit. DEI. cap. 26. & in quæstionibus super Genes. quæst. 31.*

LXXVI. 3. Ad *dictum* Apostoli *Rom. 8.* de liberatione creaturarum à vanitate &c. dicendum; liberatum iri creaturas à vanitate servitutis, cui jam subjectæ sunt, *non per simplicem aliquam*

innovationem: sed per totalem abolitionem; & hùc referendi sunt creaturarum gemitus, quòd videlicet malint in nihilum redigi & desinere esse, quam subservire vanitati & abusui hominum impiorum contra creatoris sui intentionem.

LXXVII. 4(In sententia 1. *Cor.* 7. de schemate Mundi transituro falluntur ignorantia phraseωs. Per σχῆμα enim mundi non intelligitur hic forma mundi exterior, sed instrumenta voluptatis ac vanitatis in hoc mundo, sicut ex textu præcedenti liquidissimè patet.

III. PROBLEMA.

An, quando, & ex qua materia Angeli sint conditi.

Problema tripartium.

LXXVIII. Dum ex primo Symboli Apostolici articulo de παγγενεσία vel omnium rerum creatione disseritur: non incommodè tractari potest imò debet & istud Problema de angelis, cujus tres partes, quas singulas ordinè delibare juvat.

2, AN sint Angeli.

LXXIX. Prima est de quæstione AN Angeli sint conditi, & Creaturis accensendi.

LXXX. Et esse quidem plusculis in locis Scriptura reddit testatissimum, maximè *Psal.* 104, 4. *Col.* 1. 16. ubi appellatione invisibilium Catalogo τῶν κλιθέντων inseruntur.

LXXXI. Traditur idem in Symbolo Niceno, & repetitur in canone quodam concilii Lateranensis magni.

LXXXII. Parum igitur hodie absunt à Sadducæorum delirio *Anabaptistæ*: Angelos creaturas esse negantes.

LXXXIII. Quòd autem Moses τῆς ἀγγελοποιίας nullam faciat mentionem, in Creationis historia, à diversis diversæ afferuntur rationes.

LXXXIV. Omnium verò optima & veritate maximè consentanea est illa, quæ à scopo Mosi proposito desumitur dicendo: quod is voluerit describere creationem Mundi tantummodo corporei, adeoq; rerum visibilium, accommodata scriptione ad captum Hebræorum, qui natura rudiores & doctrinæ rerum spiritualium minus capaces.

Quando Angeli sint conditi.

LXXXV. Prætereà *de quæstione quando* Angeli à Deo conditi sint: variæ diserepantes apud Patres & Scholasticos reperiuntur opiniones.

86. 1. Ali-

LXXXVI. 1. Aliqui putant eos *ante hunc Mundum* corporeum creatos esse, ut Origenes, Basilius, Nazianzenus.

LXXXVII. 2. Alii eos simul post mundum hunc corporeum conditos esse autumant, ut Gennadius & Achacius.

LXXXVIII. 3. Nonnulli eos productos esse sentiunt intra illud sextiduum, *cum mundo* hoc corporeo ut Augustinus, aliiq; quàm plurimi.

LXXXIX. Quid nos? Angelos non ante sed cum hoc Mundo conditos esse, ex scriptura, qua creaturis Visibilibus uno & eodem Catalogo annumerantur, planum & perspicuum esse statuimus, idq; etiam Concilio Lateranensi definitum scimus.

XC. Quod ante genus humanum producti fuerint: id ipsum quoq; non infirma collectione educi arbitramur ex hoc. Job. c. 38.

Vbi eras (ὅτε Φωνησαν est JEHOVAE ad genus humanum) *cùm jubilarent omnes Filij DEI*, id est Angeli, (qui Filii DEI gratiâ creationis)

XCI. Quo die autem præcisè conditi fuerint, an primo cum luce, ut nonnulli volunt, an secundo, ut alii opinantur &c. id in medio relinquimus, obsequentes isti Augustini:

Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quàm falsam scientiam profiteri. Epist. 78,

XCII. Tandem quod *tertiam* problematis hujus partem spectat: *Ex qua materia* Angeli fuerint conditi: nec de illa quidem aliquid certi indubitatò affirmari potest. *3. è qua materia Angeli conditi.*

XCIII. Quidam eos aerea habere corpora senserunt.

XCIV. Nonnulli ex nominibus (g) Seraphim & (h) Urieli, quòd item (i) אֵשׁ לֹהֵט appellantur, (k) quòdque cum fulgore quodam apparere consveverunt, conjecturam faciunt, eos lucidæ esse naturæ, adeoque primo creationis die ex luce productos.

(g) *Es. 6. 2, 6.* (h) *4. & 9. 1. Psal. 104. 4.* (k) *Matth. 28, 3.*

XCV. Verùm cum sint & dicantur (l) spiritus: eos utiq; ἀὐλῶς, & ex nihilo, Dei omnipotentia, factos non insciter dixeris, perinde ut anima quoq; hominis, quæ & ipsa spiritus immortalis, non ex Deo vel ex aliqua elementari materiâ: sed à nihilo facta rectissimè statuit. *Gen. 2, 7.*

(l) *Psal. 104, 4. Heb. 1, 14.*

XCVI. *Sed quid de Angelicis Spiritibus viles loquantur Vermiculi? Credimus sanè & indubitata fide tenemus, divinâ eos præsentiâ & visione beatos sine fine lætari in bonis* DOMINI, *quæ oculus non vidit; nec auris audivit: nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus: quæ nec ipse quidem cogitare: nec illi saltem audire sufficiant?* ait Bernhardus in serm. in festivitate Michaelis.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS SECUNDAE
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
M. THEODORICO ERMLERO
Stendalienſi Marchico.

Ad 6. Decembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

Quidnam propriè fuerit imago Dei, ad quam Homo in prima Creatione est conditus.

THESIS I.

μεγάλαις.

IN proximâ Διατριβῇ concertatum ac disputatum est de creatione τοῦ μικροκόσμου *in genere*, deq; productione Angelorum, creaturæ omnium nobilissimæ, *in specie*.

II. Hac vice, quædam succedunt Problemata, breviter ac modicè delibanda, de μικροκόσμῳ vel homine, altera Dei creatura, quæ præstantiâ & dignitate Angelicam ὑπεροχὴν quàm proximè attingit, quæque post exoptatissimam illam (a) τῶν πάντων ἀποκατάστασιν (b) ἰσαγγέλῳ, olim futura.

(a) *Act. 3, 11.* (b) *Luc. 20, 36.*

III. In hac autem Διατριβῇ primò omnium ea obvenit ventilanda quæstio, quæ de imagine DEI, ad quam Homo, in prima rerum creatione, conditus, hodieq; non leviter agitatur.

IV.

IV. Sed: ut μεθόδως καὶ ἐυτάκτως progrediamur; tractare placet quæstionem illam difficilem & arduam. 1. ἀποφαλικῶς per *falsarum & erronearum opinionum* ἀφαίρεσιν καὶ ἀνασκευὴν. 2. καταφατικῶς per *veræ ac sinceræ*, de imagine DEI, *doctrinæ* θέσιν καὶ κατασκευὴν. Διάταξις.

V. 1. Quantum igitur falsas & erroneas opiniones attinet: earum utique *duæ* potissimùm, circa præsentem hanc materiam sese offerunt. 1. ἀνασκευὴ *erronearum opinionum.*

VI. *Prior* est Veterum, *Audianorum & Anthropomorphitarum*: posterior Recentium, *Iesuitarum* & *Flacianorum.*

VII. De *Audianis* testatur *Epiphanius*, quòd imaginem DEI *corpus* esse dixerint, *hæres. 70.*

VIII. Idem delirium delirârunt etiam *Anthropomorphitæ* imaginem DEI de formâ & figura corporea interpretati, eosque, qui diversum tradebant, Origenistas appellare soliti.

Augustinus in lib. de hæres. cap. 75. Socrates lib. 6. cap. 7.

IX. *Audianos* refutat Epiphanius hunc in modum argumentando: *Si imago DEI est corpus: aut visibilis & corporalis erit DEVS: aut homo adæquabitur DEO. Sed utrumq; falsum.* (c) DEUS enim est Spiritus, (d) nec carnem nec ossa habens. Nec in DEO aut passio aut affectio aut diminutio ulla, ut in corpore. Et impossibile est, visibile simile esse invisibili, corporale incorporali, tactile incomprehensibili. Ergo.

(c) *Ioban. cap. 4, 24.* (d) *Luc. 24. 39.*

X. *Anthropomorphitas* oppugnat *Basilius Homil. 10.* εἰς τὴν ἑξαήμερον. quæ est περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς, ubi inter alia gravissimam hanc ponit sententiam:

ἀρχηγαλὶς ☉. ὁ θεὸς ἁπλοῦς, ἀμεγεθὴς, ἄποσ ☉. μὴ φαντασθῆς μορφὴν περὶ αὐτοῦ. μὴ καταμικρύνῃς ἰουδαϊκῶς τὸν μέγαν; μὴ περιλάβῃς τὸν θεὸν σωματικαῖς ἐννοίαις.

XI. *Iesuitæ* & *Flaciani* in hoc Religionis capite partim *consentiunt*: partim *dissentiunt* invicem.

XII. *Consentiunt*, quoad *definitionem*. Utrique enim ipsam animæ rationalis substantiam, & naturam hominis imaginem DEI esse somniant.

XIII.

XIII. Etenim, *Lib. 1 de grat. primi hominis cap. 1.* os illud Jesuitarum impudens & impurum Bellarminus, Imaginem DEI refert ad naturam intelligentiæ & voluntatis, eamque ut diversum quiddam à similitudine dispescit.

XIV. *Flacius* verò stilo supra modum crasso non erubescit scriptitare:

Scriptura dicit, Deum hominem creâsse ad imaginem suam: postea illo homine per inobœdientiam mortuo dicit Gen. 5. v. 3. eum genuisse filios non amplius ad Dei sed ad suam imaginem, *ac loquitur non de externis lineamentis, aut specie hominis, quæ adhuc utrumque priorem illum hominem refert: sed ipsa intima nobilissimaq; essentia* hominis, *ubi imaginem illam satis indicat esse ipsam potissimùm* essentialem formam *in summis nobilissimisq; hominis partibus.*

XV. Atque hic sanè error, quia nimis crudus, non prolixâ indiget refutatione.

XVI. Quinimò vel indè absurditas ejus elucet, quòd, si Imago Dei ipsa animæ substantia, sequeretur: amissâ imagine Dei, etiam hominis animam fuisse deperditam.

XVII. Vel, quia anima hominis per lapsum non amissa, nec illam amissam fuisse: sed integram & indeperditam remansisse.

XVIII. Quòd utrumq; ἄγραφον, ἄτοπον, ἄλογον, uti mox sequentia fusiùs ostendent.

XIX. *Dissentiunt* porrò invicem *Iesuitæ* & *Flaciani*, quoad imaginis DEI *amissionem*, ubi illi: κατ' ἔλλειψιν: hi κατ' ὑπερβολὴν errare deprehenduntur.

XX. Jesuitæ contendunt: imaginem Dei per lapsum primi hominis non fuisse amissam: sed mansisse integram, nullaq; sui parte deteriorem factam.

XXI. Prodeat iterum *Bellarminus* digitum eò indicem quasi intendens, dum scribit.

lib. de grat. prim. hom. c. 1. obscuriùs.

Docent per Adæ peccatum totum hominem verè deteriorem esse factum: & tamen nec liberum arbitrium, neque alia naturalia dona, sed solùm supernaturalia perdidisse.

Et cap 5.

Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ à statu ejusdem in puris

in puris naturalibus, quam differat spoliatus à nudo, neque deterior est humana natura, *si culpam originalem detrahas, neq; magis ignorantia & infirmitate laborat, quàm esset & laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni naturalis carentia neq; ex alicujus malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione prosluxit.*

XXII. Sed audiat Jesuita Apostolum, qui nos post lapsum non cælestis: *sed terrestris Adami imaginem gestare* sonora voce pronunciat, 1. *Cor.* 15.

XXIII. Audiat μέγαν θεόλογον Mosen qui testatur: Adamum post lapsum *genuisse filium*, non secundum DEI: *sed secundum SVAM imaginem Gen.* 5.

XXIV. Audiat iterum Gentilium Præconem, toties nos, de instauratione imaginis DEI in nobis, erudientem.

2. *Cor.* 13. 8. *Eph.* 4, 22, 23, 24, 25. *Col.* 3, 9, 10.

XXV. *Flacius* verò imaginem DEI non modò amissam fuisse per lapsum: quin etiam, in aliam, essentialem imaginem, per substantialem animæ immutationem, conversam esse, ἀπαιδεύτως sentit:

XXVI. Sic enim mentem suam ipse exponit:

Hanc substantialem formam dici non tantùm deperijsse: sed etiam prorsus in contrarium esse INVERSAM, idque per substantialem immutationem animæ, parte 2. Clavis tractat 6. p. 369.

XXVII. Ubi autem scriptura? Nullibi, imò ex articulo Creationis, Redemtionis, Regenerationis & Resurrectionis jampridem in libro Christianæ Concordiæ invictissimè demonstratum, peccatum non substantiam (qualem Flacius in locum imaginis Dei successisse contendit) sed accidens esse, quod salva hominis substantia adesse & abesse possit.

Articul. 1. de peccato originis.

XXIIX. Nolumus itaque hic moras nectere: sed potius, remotis è viâ falsis & erroneis de imagine DEI opinionibus, ad veram ac sinceram de eadem doctrinam, ἀνεμποδίςως, accedimus.

Π Κατὰ σκευὴν *vera doctrina.*

XXIX. *Duæ* fuerunt *partes* (liceat ita loqui) imaginis Dei generales, 1. εὐδοκία: 2. εὐταξία.

XXX. Εὐδοκία fuit, paterna Dei acceptatio ac dilectio hominis coram Deo, conjuncta cum communicatione tum bonorum temporalium.

poralium, tum vitæ æternæ, ſicut ex ſuaviſſimâ hac Dei voce datur intelligi:

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, Gen. 1.

XXXI. Εὐταξία fuit ſumma omnium virium cum Deo archetypo conformitas, & perfecta rectitudo, quæ *quinque* potiſſimum ἀξιωμάτων generibus conſtitit.

XXXII. Inter quæ tamen illud conſtitui poteſt ac debet diſcrimen: Quòd quædam *primaria & interna*: Quædam verò *ſecundaria & externa* dici mereantur.

XXXIII. 1. Eſt perfecta Dei cognitio, & ſapientia, *Col. 3. v. 10.*

XXXIV. 2. Perfecta ſanctitas & juſtitia *Eph. 4. 24.*

XXXV. 3. Perfecta omnium Virtutum actio *Col. 3. 12. 13.*

XXXVI. 4 Ἀφθαρσία vel immortalitas, quæ ſub conditione obedientiæ, homini fuit naturalis, eique poſt lapſum, propter peccatum, mortalitas ſucceſſit.

Sap. 2. 23. Rom. 6. verſ. ult.

XXXVII. 5. Dominium in cuncta animantia, *Gen. 1. 26.*

XXXIIX. Verùm hæc dona ac bona Homini concreata, per lapſum, (proh dolor) ablata ſunt omnia, non abſque horribili integritatis & excellentiæ totius naturæ corruptione, non abolita tamen ipſa hominis ſubſtantia.

XXXIX. Sed manſit & manet eadem, inq; hac imago DEI per CHRISTUM Inſtauratur, non μεταγραφῇ ſed μεταμορφώσει, quam non in ſubſtantiæ immutatione: ſed in qualitatum renovatione conſiſtere, vel ipſe vocis ſonus arguit. *2. Cor. 3, 18. Col. 3, 10.*

XL. Et quidem *incoativè* hîc in Regno Gratiæ, beneficio verbi & ſacramentorum, illic verò in Regno gloriæ *conſummativè*, per Reſurrectionem & ἀποκατάστασιν τῶν πάντων *1. Cor. 15. 42, 43. Act. 3. 21.*

V. PROBLEMA.

An Deus quosdam homines ad æternam damnationem condiderit.

XLI. Duæ ſunt, de Problemate iſthoc ſententiæ, Una *falſa*: *vera* altera,

XLII.

XLII. *Falsa est Zvvinglio-Calvinianorum*, affirmare non dubitantium: Reprobos omnes ad exitium, & damnationem sempiternam conditos fuisse. *Falsa Zvvinglio-Calvinianorum sententia.*

XLIII. Patet id ad oculum ex sequentibus Emblematis, quæ scriptis in publicum emissis interseruisse, nulla eis religio aut formitudo fuit:

Calvinus lib. 3. Instit. cap. 21. sect. 5.

Non pari conditione CREANTVR *omnes: sed aliis vita æterna, aliis* DAMNATIO *æterna* PRÆODINATVR.

Zanchius lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. pag. 690.

DEVS *pro sua voluntate, tot hominum millia, & antequam ab ipsis ullâ affectas fuisset injuriâ, opisse: & postea etiam vasa iræ suæ* CREARE, *& ad interitum apparare constituit.*

Idem lib. 5. cap. 2. pag. 686.

Præcedit odium ac voluntas, seu decretum, illudq; justissimum, quo impios æternæ morti destinavit; quoniam Apostolus ait, vasa esse iræ APTATA *seu* CREATA *&* DESTINATA, *nempe à* DEO *ad interitum, ut in eis suam ostendat iram & potentiam.*

Beza in Colloq. Mompelg pag. 529.

Cum enim odium DEI *contra illos (reprobos) in seipsis corruptos sit justum, qui causis adductis, quas* IPSE SOLVS NOVIT, *proposuit eos in hunc finem* CREARE, *ut in ipsis iram & justitiam suam ostenderet, quos* NVNQVAM *dilexit.*

XLIV. Quid? Impiæ illius sectæ πρωτότοκος in Helvetia Zvvinglius, eò usq; insaniæ processit, ut ἄκυρσμα illud φοξλιὸν καὶ βλάσφημον eructare ausus:

In Elencho contra Catab. fol. 172.

Jam frustra dicemus: Vtinam infans mortuus esset: Mori enim non potuit, quem Divina providentia in hoc CREAVIT, *ut viveret, atq; IMPIE viveret.*

In Elencho contra Catabaptistas.

XLV. Et conantur quidem illi suum istud delirium stabilire dicto (e) Salomonis, & (f) Similitudine Paulinâ: *Vindicatio 2. dictorum à ψευδεξηγητεία Calvinistica.*

(e) Proverb. 16. v. 4. *Vniversa propter semetipsum operatus est* DOMINVS, *impium quoq; ad diem malum.*

Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat alud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam?*

XLVI. Sed conatu planè infelici & irrito. Et in interpretatione quidem *dicti Salomonis triplicem* committunt fallaciam.

XLVII. *Primò* petunt principium, & *geminâ* quidem vice.

XLIIX. *Vnâ* dum verba hæc interpretantur de creatione, cùm tamen in fontibus non τὸ בָּרָא sed τὸ פָּעַל usurpetur.

XLIX. Unde *Tremellius & Iunius* Calvinistarum ἀυτυπασίγητοι locum hunc, de Providentia DEI directrice & ordinatrice, quàm de creatione, exponere maluerunt.

L. *Alterâ*, dum diem malum יוֹם רָעָה, vel, ut *Tremellius & Iunius* habita ratione constructionis regiminis, rectiùs reddiderunt, *diem mali*, intelligunt de cruciatibus æternis in gehenna, cum (g) Scriptura eâ phrasi calamitates hominum in hac vita indigitare passim soleat, annotante non tantùm *Avenario*: sed etiam quodam ex Adversariis.

(g) *Psal. 47, 8. Eccles. cap. 9, 12.*

LI. *Secundò*, Sophisticè omittunt vel certè non attendunt, quòd versu mox sequenti, omnis arrogans dicitur esse abominatio DOMINI. Quo pacto igitur impius, quâ talis à DEO conditus perhibebitur?

LII. *Tertiò*, posito κατὰ παρομολογίαν quòd sermo sit Salomoni de die Judicij & condemnationis æternæ: ludunt nihilominus Antagonistæ sophisticatione ὡς πρὸς τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς.

LIII. Nam etsi DEUS impium *materialiter*, id est, quatenus *homo* est, facit: eum tamen *formaliter*, id est, quatenus *impius*, non apparat, sed impietatem ab ipso instinctu Diaboli apparatam, operatione ineffabilis suæ sapientiæ, dirigit ac deducit ad illustrandam gloriam justititiæ suæ, quæ ex interitu impiorum, justo DEI judicio, malitiam eorum antegressam insecuto, exsplendescit,

LIV. *Similitudo Paulina* adeò thema illud Calvinisticum non confirmat, ut potiùs invictæ ἀποδείξεις è textu Paulino elici possint, quibus illud ex imis usque fundamentis diruatur.

I. LV. Etenim 1. de vasis quidem misericordiæ enunciatur, quòd DEUS ea *præpârarit* (προητοιμίασεν *voce activa*) *ad gloriam*. De vasis autem iræ dicitûr: quod sint (κατηρτισμένα *voce passiva*) *apparata ad interitum*

LVI.

LVI. A quo verò? num à DEO? Ne minimus quidem de eo ſpi-
culus.

LVII. Quid ergo DEUS? TOLERAVIT (NON CREAVIT) vaſa illa, πολλῇ μακροθυμίᾳ: nulla εὐδοκίᾳ.

LIIX. Unde præclarè & piè *Patres* Orthodoxi:

Auguſtinus lib. de artic. ſibi falsò impoſit. art. 2.

Omnium quidem hominum DEVS creator eſt: ſed nemo ab eo ideò creatus eſt, pareat, *quia alia eſt cauſa naſcendi, eſt alia pereundi. Vt enim naſcantur homines eſt creatoris beneficium: ut autem pereant eſt prævaricationis vitium.*

Fulgent ad Mon. lib. 1.

Iuſtitia non erit? ſi puniendum reum non inveniſſe: ſed feciſſe dicatur.

LIX. Et ſic abeat falſa Calviniſtarum ſententia: *vera eſt Lutheranorum* conſtanter & intrepidè aſſerentium Hominem: non ad interitum, ſed ad vitam æternam à Deo conditum fuiſſe. II. *Vera ſententia Lutheranorum.*

LX. Fundamenta hujus aſſertionis conſtituunt partim *Teſtimonia*: partim *Argumenta* Scripturæ. *Ejus fundamenta.*

LXI. *Teſtimonia* maximè illuſtria ſunt:

Gen. 1.

Et creavit DEVS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem DEI creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos.

Ibidem verſ. 31.

Viditq; DEVS CVNCTA quæ fecerat: & erant VALDE BONA.

Sap. 2.

Creavit DEVS hominem (ἐπ' ἀφθαρσίᾳ) incorruptibilem & AD IMAGINEM ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem DIABOLI mors introivit in orbem terrarum.

LXII. *Argumenta* valdè inſignia ſunt, & reliquorum omnium inſtar eſſe poſſunt hæc duo:

LXIII. Quorum primum ex (g) *Ezechiele* ſic proponimus:

Qui non delectatur interitu impiorum: de eo utique nulla ratione dici aut cogitari poteſt, quod eos ad interitum creârit.

Atqui DEVS non delectatur impiorum interitu.

Ergo. (g) 18, 23. & cap. 33, 11.

LXIV. Alterum ex libro (h) Sapientiæ delumimus eſtq; tale:

Quicquid ad interitum creavit DEVS: illud odio habeat neceſſum eſt.

Sed DEVS nihil eorum, quæ fecit odio habet.
Ergo nihil quoque eorum quæ fecit, ad interitum condidit:
Sed creavit omnia, ut ESSENT *Sap.* 1, 14.
(h) *cap.* 11, 25.

VI. PROBLEMA.

Qualis propagatio animæ hominis post lapsum.

In prima Creatione,

LXV. Primo homini animam inspirâsse Deus κατ' ἀνθρωποπάθειαν dicitur, ut hoc tanquam Symbolo innuatur, animam spiritum esse; non corporeum quiddam.

LXVI. Quo pacto autem in natura jam constitutâ anima propagetur: varia & difficilis est disputatio, sicut vel apud Augustinum videre licet.

Status controversiæ.

LXVII. Hodie inter nos & Bellarminum de hoc maximè controvertitur: *An animæ à parentibus in Sobolem propagentur: an verò immediate à Deo creentur & infundantur.*

LXIIX. Partem *priorem* purior tenet Ecclesia, eaq; jam breviter à nobis *probanda.*

LXIX. *Posteriorem* propugnat (h) Jesuita, cujus argumenta paucis *refutanda.*

(h) lib. 4. de Amiss. gratiæ & statu peccati cap. 11.
Nos igitur his omissis duobus modis efficaciter demonstrare conabimur, animi non propagari ex parentibus: sed creari: PRIMVM *traditione Ecclesiastica.* DEINDE *rationibus evidenter ductis ex principibus fidei.*

Τύπῳ & fundamentorum sententiæ veræ.

LXX. *Probationis* nostræ sententiæ istháec, ὡς ἐν τύπῳ, è Scripturâ ducimus & producimus lineamenta.

LXXI. *Primum* est benedictio DEI non verbalis: sed realis; non afficiens: sed efficiens, non ad partem tantùm hominis: sed ad totum hominem animâ & corpore constantem pertinens.

Gen. 1, 28. *c.* 8 17. *c.* 9, 1.

LXXII. Unde scitè ac piè *Lutherus* θεορρήμων.
Creato masculo & fœmina. postea ex eorum sanguine DIVINA BENEDICTIONE *generatur homo.*
In com. in Gen. p. 19.

LXXIII, 2. Quod Evæ non æquè ut Adamo, anima à Deo inspirata:

sed

sed per costam & in & cum costâ vivâ & animatâ in isthanc אִשָּׁה mul propagata, rectè creditur.

LXXIV. 3. Quod Adamus legitur Filium (Sethum) genuisse, ad imaginem suam; quæ certè non in corpore tantùm residet: sed primariò in anima, perindè ut κακὸν ἐπείσακτον peccatum, quod in locum illius καλῆς ἁπλότητος, successit. *Gen.* 5 3.

LXXV. 4. Quod animæ septuaginta perhibentur egressæ E FEMORE Jacobi, *Gen 46, 26. Exod.* 1, 5.

LXXVI. 5. Quòd CHRISTUS PERFECTUS Homo, ex substantia matris in seculo natus. *In Simbol. Athanas.*

LXXVII. 6 Quia aliàs contra Pelagianos ostendi nequit; quo vehiculo, peccatum originale, à parentibus in sobolem, per generationem transvehatur.

LXXIIX. E quibus omnibus συλλήβδην concludimus: animas non de novo à Deo immediatè creari & infundi: sed per traducem propagari, de anima parentum, cum semine, cui anima δυνάμει inest, quæ δύναμις non tantum πλαστικῆς δυνάμεως beneficio, sed, ex benedictione illa primæva, peculiari etiam ipsius Dei, Plastæ nostri in utero, operatione in actum excitetur.

LXXIX. Progredimur ad refutationem argumentorum *Bellarmini*, quorum *primum* genus consarcinat ex Patrum testimoniis *Refutatio argumentorum Bellarmini.*

LXXX. Sed hæc sententiæ nostræ parum officiunt: 1, quia Apollinaristis & Luciferanis qui animas hominum, perinde, ut bestiarum animas, ex materia corporea educi somniabant, opposita, ut videre licet apud Augustinum *de hæres. c. 81.*

LXXXI. 2. Quia patres in hac quæstione admodũ lubrici & dubij.

LXXXII. 3. Patribus à Jesuita allegatis opponere licet Tertullianum, & maximam partem occidentalium, quos in nostra sententia fuisse, ipsemet Jesuita ultro fatetur.

LXXXIII. *Altero* argumentorum genere *tres* complectitur rationes, quas, ex principiis fidei, evidenter ductas, superbè moreq; Jesuitico gloriatur.

LXXXIV. *Primam* includit gradationi, eiq; *trimembri* sed in nullo planè membro firma ac solida connexio.

LXXXV. Non in *primo*, quia anima sic à Deo creata est, non ut per se subsistat, sicut angeli, extra corpus: sed ut, *in corpore* suam habeat

subsi-

subsistentiam, eiq; ut forma formæ, vel ut altera pars hominis substantialis insit.

LXXXVI. Non in *secundo*, *tum* quia, uti dictum, anima ex intentione creatoris suam per se subsistentiam extra corpus habere non debet; *tum* quia per subsistere, & per se produci non necessariò semper cohærent, & concurrunt; sed hoc illo est prius, illud hoc posterius.

LXXXVII. Non in *tertio*, quia non dicimus animam ex semine tanquam ex materia propagari; sed eam seipsam in semine & cum semine ex parentibus in sobolem, operatione divina promovere.

LXXXVIII. *Secundam* in Dilemmatis forma proponit, in quo per insignem sophisticam vel malitiam potius sycophanta τὸ ψεῦδος λαμβάνει, talemq; nobis affingit opinionem, a qua pij & sani quique animitùs abhorrent.

LXXXIX. Nemo enim unquam uspiam statuit; animam ex anima crahi, & educi ut materiatum ex materia quadam corporea: per generationem physicam, ἄτοπον, ἄλογον, ἄσοφον: sed quæ nostra sit sententia pia ac sobria jam planè ac plenè explicatum est.

XC. Potest illa animæ productio, multo *sublimiòr* & *verè pluxquam physica* appellari ἔλλαμψις, per metaphoram, à lampade, de qua Scaliger.

> *Et habemus præ oculis exemplum: quemadmodum à lampadis flammâ flammam excipimus*, illa nihilo secius integrâ manente. Exercit. 6. sect. 11.

Tertia Ratio. XCI. *Tertia* ratio Roberti non-robusta, constat ἀπαγωγῇ εἰς τὸ ἄπειρον: sed planè Jesuitica, id est, sophystica & sycophantica. *Duplici* enim Sophismate laborat.

XCII. 1. Est *petitio principij*. Nos enim semen non pro materia, ex qua anima, ut animæ brutorum, generetur habemus: sed pro vehiculo in quo & cum quo anima ex parentibus in sobolem traducatur.

XCIII. 2. Est *fallacia consequentiæ*. Licet enim anima hominis à corpore per mortem, *propter accidens peccati*, separetur: nullo tamen modo sequitur, quòd ob id deficere & perire eam necessum sit; siquidem spiritus est & immortalis.

XCIV. Atq; hæ sunt illæ machinæ, quibus nostram, de animæ propagatione doctrinam, labefactare & convellere voluit, ogminis Antichristiani Goliathus iste, Bellarminus.

XCV.

XCV. Exceptiones, quibus fundamenta doctrinæ illius noſtræ ſuccutere conatur, non ferreæ ſed terreæ, non ſolidæ ſed ſtolidæ ſunt. Nolumus igitur iis refutandis immorari, ne tempus πολυτελέστατον, illud ἀνάλωμα inutiliter teramus.

XCVI. Nam, uti Philoſophus monet, ἐνηθὲς, τὸ τὰς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν.

lib. 3. de partibus animal. c. 4.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS SECUNDAE
Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. WOLFGANGO WILHELMO BRUNONE

Neoburgenſi.

Ad 15. Decembris horis locoq; conſuetis.

I. PROBLEMA.

Quæſit cauſa efficaciter operans & procreans peccatum.

THESIS I.

HΣ παγγενεσίας hiſtoriæ lepidum & pereximium iſtud ſubtexitur ἐπεισόδιον.

Et vidit DEVS omnia quæ fecerat, & ecce מְאֹד טוֹב, *ad unum omnia excellenter BONA!*

II. Non abs re itaq; quæritur, unde malum illud ſummè malum & malorum omnium, in Natura, fons & ſcaturigo, peccatum, ſuam trahit originem.

III. Reſpondet *Auguſtana Confeſſio* breviter quidem: ſed verè & perſpicuè. *De cauſa peccati docent, quod tametſi DEVS creat & conſervat naturam, tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante DEO, avertit ſe à DEO, ſicut CHRISTVS ait Ioh. 8. Cum loquitur mendacium, ex ſeipſo loquitur.*

Artic. 19.

IV. Quid verò Ἀρχέκακος ille Stygius cum satellitibus suis? causam à se in ipsum (ô blasphemia!) à se inquam, in ipsum DEUM optimum maximum transferre non erubescit, ut scilicet, vel hac etiam in parte, nomen & omen τῆ Διαβόλῳ καθόλου tueatur.

V. *Veteranos* illius συμμάχους, de quibus alibi, in præsentiarum consultò præterimus: Cum *Recentioribus* duntaxat ejusdem contribulibus nobis erit negotium, cum *Zvvinglio-Calvinianis* nimirum, qui, hac in re, πρωμάχῳ & Antesignano suo Satanæ, operam non frigidam locare consueverunt.

Tria Zvvinglio-Calvinianorum circa hanc quæstionem agmina.

VI. Et sanè divisi sunt illi in *tria* præcipuè agmina, quorum primum complectitur eos, qui *Directè*. 2. eos, qui *Indirectè*. 3. illos qui *partim Directè, partim Indirectè* causam & autorem peccatorum omnium faciunt DEUM.

1. Agmen.

VII. *Directè* istud faciunt, qui non *tantùm re & in corde apertè* sentiunt, DEUM esse causam peccatorum efficientem: sed *ore* etiam & *verbis apertè* fatentur idipsum, quod corde sentiunt, ut sunt:

1. Zvvinglius de provid. cap. 1.

Per DEI creaturam INIVSTITIÆ exemplum produxit, NON quasi creatura illam SVO MARTE produxerit: sed quod NVMEN IPSVM (id est DEVS) AVTOR est ejus, quod in nobis INIVSTITIA, id est, Peccatum &c.

2. Martinus Bucerus, in 1. cap. Epist. ad Romanos:

Si quis videat cæcum impingentem, nec posse non cadere, si ei suam manum non porrigat, nolit autem ille manum suam cæco præbere, & patiatur eum cadere: obsecro quis non dicat, eum casum cæci hujus voluisse, eumq; fuisse causam? Iam DEVS hoc AMPLIVS mei PECCATI CAVSA est, quàm ille, qui negat cæco ducatum & causa est, ut cadat cæcus, quòd DEVS, in utero matris meæ, me in hac perversitate ingenij mei atq; peccandi necessitate condidit.

3. Petrus Martyr supra c. 1. ad Rom. scribit:

Non possumus inficiari, DEVM quoquo modo esse causam peccati.

2. Agmen.

VIII. *Indirectè* & obliquè immane istud nefas moliuntur, qui *ore* quidem & *verbis propalam negant*: DEUM peccatorum causam esse; interim tamen *clam in corde suo* virus illud Calvinisticum foventes talia scribunt & edisserunt paradoxa, quibus seipsos, soricum more, produnt, quibusque irrefragabili consequentiâ blasphe-

mæ

mæ illius opinionis convinci & condemnari facilè possunt.

IX. Ejusmodi sunt hæc jam subsequentia, & ejusdem farinæ alia, quæ passim in eorum Scriptis obvia.

X. 1. Quia DEUM, sine omni distinctione boni & mali, absolutè omnia operari statuunt.

Hyperius lib. 1. pag. 259.

Qualiacunq; sunt, quæ fiunt, OMNIA DEI ABSOLVTA NECESSITATE *necessariò fiunt.*

Grynæus in Thes. Orthod. Fidei clas. 1. loc. 15. th. 1.

DEVS, ἐνεργεῖ, *id est, efficaciter agit seu efficit* OMNIA *secundùm consilium voluntatis suæ.*

Beza vol. 1. v. 373. *Iam igitur ista ad* DEUM *ipsum accommodemus, cujus* EFFICACITATEM *ante probavimus,* IN OMNIBUS, *quæ fiunt intervenire* SINE ULLA EXCEPTIONE: *& ita quidem, ut per ea quæ condidit, tanquam per instrumenta, exequatur suo tempore, quicquid ab æterno decrevit.*

XI. 2. Quia docent DEUM esse causam efficientem indurationis, seductionis &c.

Beza *Respon. 2. ad Colloq. Mompelg. p. 169. & 175.*

Zanchius *in Miscellaneis p. 264.*

XII. 3. Quia tradunt peccata Dei voluntate, & decreto fieri, eoq; immutabili & absoluto.

Beza *in Colloq. Mompelg. p. 429, 434.*

Et in *2. parte Respon. ad istud Colloq. p. 153, 154, 177, 179. nec non*

Zanchius *lib. 5. de Nat. DEI. cap. 2. pag. 690.*

Piscator *in Præfat. disp. de Prædest. pag. 11.*

Spindlerus **im nötigen bericht** *pag. 451.*

XIII. 4. Quia contendunt Hominibus à DEO non modò dari occasionem peccandi: sed eos ad peccandum quoq; impelli.

Zanchius *lib. 5. de nat. DEI, cap. 2. pag. 736.*

Thesaurus Orthodox. fidei *pag. 81.*

Rennecherus *in Caten. fol. 32. 41.*

Piscator *in Præfat. Disp. de Prædest. pag. 8.*

XIV. 5. Quia affirmare non perhorrescunt: DEUM quoscunq; libuerit ad interitum condidisse, quinimò ad causas etiam æterni istius interitus absoluto quodam decreto prædestinasse.

Beza in Colloq. Mompelg. fol. 532.
In I. Volum. pag. 417.

3. Agmen.

XV. In ſenſum illorum, qui *partim directè partim indirectè* DEUM cauſam & autorem peccatorum faciunt, referimus eos, qui interdum manifeſtè id affirmant: mox autem idipſum ſubdolè negant, & interim tamen paſſim talia ſpargunt ſemina, è quibus ſeges illius blaſphemiæ peſtilentiſſima ultro progerminat & efflorescit.

XVI. Dux & anteſignanus tertij iſtius agminis meritò cenſetur Calvinus, qui quippè efficaciam peccati & *directè* & *indirectè* Deo tribuere, ὡς ἐπ' αὐτοφώρῳ, deprehenditur.

XVII. Et *directè* quidem.

Lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 2.

Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde Regis prædicat Solomo, flecti huc vel illuc, prout DEO *viſum eſt, ad totum certè humanum genus extenditur, tantundemq; valet, ac ſi dixiſſet, quicquid animis concipimus,* ARCANA DEI INSPIRATIONE *ad ſuum finem dirigi. Et certè niſi intus* OPERARETVR IN MENTIBVS *hominum non rectè dictum eſſet, auferre labium à veracibus, & à ſenibus prudentiam: auferre cor Principibus terræ, ut errent per devia.*

Ibidem.

Dicitur etiam idem Satan excœcare infidelium mentes; ſed unde hoc, niſi quod à DEO ipſo manet efficacia erroris, *ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati?*

XIIX. *Indirectè* verò:

Lib. 1. Inſt. itidem c. 18. §. 1.

Quod nihil efficiant homines niſi arcano DEI nutu, nec quicquam deliberando agitent, niſi quod ipſe jam apud ſe decreverit, & arcana ſua directione conſtituat, *innumeris & claris teſtimoniis probatur. Quod antè citavimus ex Pſalmo,* DEVM *quæcunq; vult facere,* ad omnes actiones hominum *pertinere certum eſt.*

Lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 4.

Annon itaq; injuſtus, qui creaturis ſuis tam crudeliter illudit? Fateor ſanè in hanc qua nunc illigati ſunt, conditionis miſeriam DEI *voluntate decidiſſe univerſos filios Adami: atq; id eſt, quod principio dicebam, redeundum tandem ſemper eſſe* ad ſolum divinæ voluntatis arbitrium, *cujus cauſa in ipſo abſcondita. Sed non protinus ſequitur huic obtrectationi* DEVM *ſubjacere.*

19. Sed

XIX. Sed expediamus tandem ἀμυντήρια, quibus monstrum i- Ἀμυντήρια
stud immane, horrendum, & atrox, cui Numen ademptum, ab *duplicia.*
Ecclesiæ mœnibus profligemus.

XX. Ejusmodi autem ex sacra Illa Scripturæ Divinitus inspiratæ
ὁπλοθήκη *duplicia* potissimùm depromi possunt: 1. γνωμικὰ. 2.
ἀποδεικτικά.

XXI. 1. Τὰ γνωμικὰ in *quatuor classes* distribui possunt. 1. Τὰ γνωμι-
XXII. 1. Quædam γενικῶς καὶ ὁλικῶς *peccatum in* DEO prosus ne- κὰ IV.
gant.

Exod. 23. *AVERSOR IMPIVM, inquit IEHOVAH.*
Deut. 32. *DEVS fidelis & ABSQVE OMNI INIQVITATE.*
2. Par. 19. *NON EST apud Dominum DEVM nostrum INIQVITAS.*
Habac. 1. *MVNDI sunt OCVLI TVI, Domine, ut NON cernas malum, & videre iniquitatem NON possis.*
Soph. 3. *DEVS justus & in medio ejus NON FACIET INITATEM.*
Rom. 9. *NVNQVID INIQVITAS apud DEVM?*
2. Cor. 6. *Quæ participatio IVSTITIÆ CVM INIQVITATE quæ societas LVCI ad tenebræ?*
1. Joh, 1. *DEVS LVX est, & tenebræ NON sunt in eo:*
Jac. 1. θεὸς ἀπείραστὸς ἐστι κακῶν.

XXIII. 2. Quædam εἰδικῶς negant DEI circa peccatum *Voluntatem*, ut:

Psal. 5. NON DEVS VOLENS INIQVITATEM *tu es.*
Esa. 65. *Faciebatis malum in oculis meis, & quod NON VOLVI elegistis.*

XXIV. 3. Quædam negant DEI *mandatum*, ut:

Syr, 15. DEVS NEMINI MANDAVIT *impiè agere, & Nemini* DEDIT SPATIVM (ἄνεσιν) *peccandi.*
Jer. 19. *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ NON PRÆCEPI, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.*

XXV. 4. Quædam è contra tribuunt DEO *abominationem peccati, ut:*

Prov. 5. ABOMINATIO *est Domino via impij.*
Zach. 8. *Vnusquisq; malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis: Omnia enim hæc sunt QVÆ ODI, dicit DOMINVS.*

Sap. 13. *Similiter* ODIO *sunt* DEO *impius & impietas.*

Syr. 15. *Non dixeris: Propter* DOMINUM (ἀπέςλω) *receſſi à mandatis eius, quæ enim* ODIT, *ne feceris. Non dicas ipſe me* ἐπλάνησεν; *non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.*

2. Τὰ ἀποδεικτικὰ. VI.

XXVI. Τὰ ἀποδεικτικὰ, ſunt Rationes bonæ conſequentiæ è Scriptura extructæ, quarum *quinq;* numero:

XXVII. 1. Deſumitur à *natura Dei*, qui ὄντως ἀυτοφυῶς καὶ ἀυτοτελῶς bonus vel potiùs ἀυτάγαθος.

Pſal. 118. & 119. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. 1. Ioh. 1. Iacob. 1.

XXVIII. 2. A *lege divina*, quæ oſtendit, quid ſit DEUS, & qualis ſit, prohibetq;, & diris execratur peccata. *Deut. 28.*

XXIX. 3. A *creatione hominis*, qui ad imaginem DEI conditus: Peccatum autem eſt non imago DEI, ſed Diaboli.

Gen. 1. verſ. 26, 27.

XXX. 4. A *Redemptione generis humani*, quæ peragi non potuit, niſi per ipſum unigenitum Filium DEI. Tantopere videlicet DEUS peccato iraſcitur! *Eſa. 53. Rom. 8.*

XXXI. 5. A *Comminationibus pœnarum*, pœnisq; eas inſecutis, cujuſmodi ſunt: diluvium, everſio Sodomæ & Hieroſolymæ, rejectio populi Judaici, &c. *Gen. 7. & 19. Luc. 19. Rom. 11.*

XXXII. 6. A *Dehortationibus à peccatis*, quas DEUS magno fervore zeli paſſim, per Prophetas & Apoſtolos inculcat, ſeq; graviter dolere teſtatur, ſi quando videat, ſe nihil quicquam illis obtinere poſſe. *Ier. 8, 21, 22. Luc. 19, 41.*

XXXIII. Fontes reſponſionum ad Adverſariorum Objectiones & Exceptiones aperuimus, in *Syſtemate Controverſiarum* in Diſputatione de Cauſa peccati. Unde huc referantur.

XXXIV. Jam ἐπεισαγωγικῶς quaſi, & Coronidis loco, annotetur, quòd pluſcula eorum Sophiſmata confundi poſſint inſtantia primæ illius τῶν πρωτοπλάστων φθορᾶς. *Gen. 3.*

VIII. PROBLEMA.

An præſcientia DEI ſit cauſa rerum præſcitarum efficiens, ijsq; vim & neceſſitatem eventus inferens.

Ita

XXXV. Ita quidem contendit *Calvà Sacramentariæ gentis Sophistria*, sicut vel ex hoc Patriarchæ eius oraculo abundè apparet. Calvinianorū καινοδοξία.

Calvinus lib. 3. Inst. c. 23. §. 6. *p. 606.*

Verùm mihi acutiùs ac prudentiùs videtur perspexisse Valla, homo alioqui in sacris non admodum exercitatus, qui supervacuam esse hanc contentionem ostendit: quoniam & vita & mors divinæ magis voluntatis, quàm præscientiæ sint actiones. Si hominum eventa prævideret DEVS duntaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret, tum non absre agitaretur quæstio, ecquid ad eorum necessitatem valeat ipsius prævidentia, sed cum non alia ratione quæ futura sunt, prævideat, nisi quia ita ut fierent, decrevit: frustra de præscientia lis movetur, ubi constat, ordinatione potius & nutu omnia evenire.

XXXVI. Ex quo intelligitur: Calvino præscientiam eorum esse, quæ Deus ex efficaci Voluntatis suæ decreto facturus.

XXXVII. Cumque DEUS omnia quæcunq; fiunt, non tantùm bona sed mala etiam & peccata hominum prævideat: quid ex isthoc Calvini principio consequitur aliud, quàm DEUM peccata etiam efficaci voluntatis suo decreto facere?

XXXIIX. *Pietas verò Lutherana* contrariam tuetur sententiam, Lutheranorū ἀποτόμως negans: Præscientiam DEI ullam rebus præscitis vim ὀρτοδοξία. vel necessitatem eventus inferre.

XXXIX. Quod ut pleniùs planiùsq; explicetur: *duo* itaq; προγνωρίσματα levi labello prædelibari expedit. I'. προγνωρίσματα.

XL. Ac primum quidem est ἑρμηνεία τῦ ὀνόματος, quod non ἰδίως καὶ ἁπλῶς intelligendum: sed ἀνθρωποπαθῶς & σχετικῶς *interprete Augustino in sent. Prosp.* I. ἑρμηνείας τῦ ὀνόματος.

XLI. Non ἰδίως καὶ ἁπλῶς: quia DEO, (d) æternitatem quippe inhabitanti, & extra tempus viventi: nihil vel præteritum vel futurum: sed ad unum omnia τὸ νῦν ἀδιαίρετον & (e) τὸ σήμερον præsentissimum.

(d) *Esaiæ c. 27, 15.* (e) *Psal. 27. Psal. 90, 5. 2. Pet. 3, 8.*

XLII. Et hoc sanè respectu omniscientia potiùs, quàm præscientia istud DEI ἰδίωμα appellari potest.

XLIII. Ἀνθρωποπαθῶς & σχετικῶς verò, respectu, & *rerum* quæ in tempore sunt & fiunt; & *hominum*, qui in tempore vivunt, & proindè res, quæ geruntur & existunt, cum temporis affectione spectant.

Alte-

2. ὁμοιότης. XLIV. Alterum προγνώρισμα est: ὁμοιότης & διαφορᾶ præsci-
entiæ & providentiæ DEI.

XLV. ὁμοιότης in eo conspicitur, quod providentia absque præ-
scientia nec cogitari nec definiri queat.

διαφορᾶ. XLVI. διαφορᾶ verò *triplex* potissimùm constitui & monstrari
potest.

XLVII. 1. Præscientia (προγνωσις) *generatim & solitariè* considerata
ad res tam bonas quàm malas æqualiter se habet: Providentia verò
(πρόνοια) non item.

XLIIX. 2. Præscientia DEI propriè referenda est inter attributa
DEI *essentialia*: providentia autem ad ejus liberrimam *voluntatem*.

XLIX. 3. *Præscientia in se spectata non causam*: sed *notitiam* rerum de-
signat: providentia verò non notitiam sed actionem.

ἔλεγχος ψευδοδοξίας. L. Ceterùm, ut à προθεωρία transeamus, ad ἔλεγχον ψευδονομοδοξίας Calvinianæ: *duo* eidem obvertimus argumenta ἀναπνευστικὰ: *Theologum* unum, idq; primarium: Alterum *Logicum* & secundarium.

LI. *Theologicum* per ἀπαγωγὴν εἰς τὸ ἀδύνατον formamus & ador-
namus hoc pacto:

Si præscientia rebus præscitis necessitatem eventus injicit easq; efficaciter produ-
cit: tum convelluntur differentiæ inter præscientiam & providentiam,
DEI jam adductæ, & proinde sequitur, quod DEVS etiam actiones
& impuritatem malarum actionum efficiat: quod item omnes res ab æ-
terno extiterint: quòd deniq; nulla planè contingentia: sed quòd, neces-
sitate absoluta, vel causæ fiant, & peragantur omnia.
Atqui hæc omnia & singula ipsa absurditate absurdiora sunt.
Ergo.

LII. *Logicum* argumentum ex definitione causæ efficientis sic ex-
truimus:

Causa efficiens est causa externa, seque in operatione sua ad objectum extra
se positum foràs promovet.
Atqui præscientia DEI est, interna intellectus actio: ad res extra se po-
sitas se non promovens.
Ergo.

LIII. Et afferunt quidem Calviniani contra objectiunculas quas-
dam: sed si ad Lydium Veritatis lapidem eas examinaveris: depre-
hendes

deprehendes utiq;, quòd in plerisq; omnibus *vel* providentiam DEI cum præscientia itemq; necessitatem consequentis & consequentiæ aut infallibilitatis sophisticè confundant; *vel* quòd inter res immediatè à Deo dependentes & cæteras non distinguant.

LIV. Quod restat, damnamus meritò impietatem (e) *Bezæ* & aliorum scriptitare non dubitantium:

Divinam prædictionem Iudæ & alijs fatalem & inevitabilem peccandi & pereundi necessitatem attulisse.

(e) in scriptis Heshusio & Castellioni oppositis.

LV. Et sic procedimus ad affine Problema, de termino vitæ humanæ.

IX. PROBLEMA.

An Mors cujusq; hominis tam violenta, quàm naturalis, ex absoluto quodam DEI decreto & fato inevitabili dependeat.

LVI. Sapiens ac patiens ille Jobus cap. 14. tale ad Deum instituit προσφώνημα. *Origo quæstionis.*

Breves dies hominis sunt; numerus mensium ejus apud te est DOMINE, *constituisti terminos ejus, qui* præteriri non poterunt.

LVII. Cui σύμφωνα καὶ σιωπὰ memoriæ prodita:

Psal. 139, 16. Syr. 17, 2. 6. 27, 28, &c.

LIIX. Quæ prima facie δυσνόητα Homines ἀμαθεῖς καὶ ἀσήεικτοι ad fatum illud Stoico-Calvinisticum detorquent; ac proinde terminum vitæ cujusq; hominis absolutæ necessitati præcisè astrictum, nulloq; ad causas secundas respectu determinatum, opinantur.

LIX. Qua de opinione quid sentiendum, ut distinctiùs innotescat: in aliquot aphorismos breves & rotundos totum istud negotium redigere allubescit. *Explicatio quæstionis per X. aphorismos.*

LX. 1. Post miserabilem lapsum τῶν πρωτοπλάστων omnibus in universum hominibus necessariò moriendum, ex communi & irrevocabili decreto DEI, propter peccatum:

Gen. 3. *Terra es, & in terram reverteris.*

Hebr. 9. ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν.

LXI. 2. In quo autem ſtatu, quo item modo, loco, & tempore quilibet moriturus: de eo *gemina* ſeſe offert conſideratio: *particularis* una: *univerſalis* altera.

LXII. *Particularis* concernit caſus aliquot ſingulares, quorum cauſæ nobis abſconditæ, & de quibus ἐκφώνησις Apoſtoli rectè uſurpatur *Rom. 11.*

O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.

LXIII. 3. *Vniverſalem* conſiderationem quod attinet, in ea utique primò omnium ſeſe offert DEI præſcientia, cujus reſpectu terminus vitæ cujuſq; hominis omninò certus & DEO, cui, futura omnia ſemper præſentiſſima, infallibiliter notus.

LXIV. 4. Hæc verò præſcientia DEI non eſt cauſa quædam abſoluta: ſed noticia, eaq; ad cauſas ſecundas determinata.

LXV. 5. Atq; has reſpectu pietatis & impietatis ſic intuetur DEUS, ut indè cuiq; vitæ ſuæ terminum præfiniat.

LXVI. 6. Et (*f*) pijs quidem ordinariè prolixiorem in præmium pietatis: (*g*) impijs verò ordinariè contractiorem in pœnam ſcelerum.

(f) *Exod. 20, 12. Epheſ. 6, 3. 1. Tim. 4, 9. Exod. 23, 25, 26. Deut. 30, 19. 20. Proverb. cap. 3, 2. 16. c. 4, 10. cap. 10, 27.*

(g) *Pſal. 55, 24. Prov. 10, 27. Prov. c. 30, 17. 1. Sam. 2, 25. 32.*

LXVII. 7. Et terminus ſanè vitæ ſic præſtitutus verè eſt ἀπαρέβατος: ſed non neceſſitate abſolutâ & fatali: ſed neceſſitate conſequentiæ, & cauſarum ſecundarum reſpectu limitatâ & circumſcriptâ.

LXVIII. 8. Interim tamen DEUS, qui liberrimum agens, pro ſua ſapientia admirabili, cauſas illas, & præſertim naturales, ita moderatur, ut interdum, contra naturæ curſum pijs, vitam *vel* proroget, ut (*h*) *Hiſkiæ*, vel morte, ut videtur nobis, præmaturâ venturis calamitatibus præripiat.

(h) *Eſa. cap. 38, 5. Eſa. 26, & 56. Sap. 4, 10. 11. 12.*

LXIX. 9. Permittit item, ut impij, *vel* peccatis ſuis vitæ filum, quod ſecundum naturam longius eſſe potuerat, abrumpant, in pœnam peccatorum, *vel*, ut, contra meritum, diu ſint ſuperſtites; & quidem eo fine, ut ſuppetat ipſis tempus ad agendam pœniten-

nitentiam, & avertendam æternam damnationem, ſicut exemplum (i) *Ninivitarum* oſtendit, & ſententia *Pet.2.epiſt.c.3,9.* (i) *Ion. 3.*

LXX. 10 Damnamus proinde (k) σιδήρεον illud πεπρωμένον Stoicorum, cui genus & tempus mortis cujuſq; hominis præciſè illigatum ſomniant, moti tum alijs rationibus: tum vel maximè ſequentium abſurditatum monſtris, quibus illud ſeipſum ultro ſubruit & evertit.

(k) *Pind. Pyth. 12.*

LXXI. Complectimur rem omnem unici hujus Syllogiſmi compendio:

Si terminus vitæ humanæ abſolutâ & fatali neceſſitate cuiq; *homini præfinitus: tum ſequetur, quod (1.) vanæ Dei* promiſſiones *(2.) vanæ Dei* comminationes *(3.) vanæ piorum* preces. *(4.) vana omnis ars & induſtria* medicorum, *vanum omne ſtudium vitandi, mortis diſcrimina,* & ſupplicia capitalia.

Sed hæc omnia, tàm abſurda ſunt, quàm quæ abſurdiſſima, (1) verboq; DEI κατὰ διάμετρον *contraria.*

Ergò.

(1) (1) *Exod.20,12. Eph 6,3. 1.Tim.4,9. Ex.23,25.26. Deut.30,19.20. Prov.c 3 c.2,16. 4,10. c.10,27.*

(2) *Pſal 55,24. Prov.10,27. Prov.c.30,v.17. 1.Sam.2,25.32.*

(3) *Pſal.107,18.19. Syr.38,9. Iac.5,14.15.16.*

(4.) *Syr. cap.38, 1.2.3.6.*

LXXII. Ea verò quæ de termino vitæ humanæ ſacris è literis *Vſus* prolata jam ſunt, faciunt partim πρὸς παραινεσίαν: partim πρὸς ἐπανόρθωσιν.

LXXIII. Παραινεσία pios ſpectat, confirmans eos, Deum eſſe vitam ipſorum: & longitudinem dierum ipſorum *Deut. 30.*

LXXIV. Ἐπανόρθωσις concernit impios, dehortans eos ab ἀσελγείᾳ, alijsq; peccatis, quibus vel βραχυβιότητα: vel δυσθανασίας ſibijpſis cauſa.

LXXV. Legatur de hac quæſtione inſignis Lutheri commentarius in *Pſal. XC. Tom. IV. Ien. Lat.*

LXXVI. Nos, Coronidis loco, hanc unicam duntaxat ſententiolam, inde huc transſcribimus:

Noſtra ætas hodie non multum defecit, ſi modo viveremus ipſorum more moderatè, & non cuperemus valetudinem & vitam noſtram immodico luxu & crapula.

X. PROBLEMA.

An Calviniani omnipotentiam Dei primo Symboli Apoſtolici articulo aſſertam, in dubium vocent, & imminutum eant.

LXXVII. In primo Symboli Apoſtolici articulo deſcribitur DEUS ab eſſentiali ſua proprietate, quod ſit OMNIPOTENS, adeoq; POSSIT OMNIA, QUÆCUNQUE VOLUERIT, *facere*, interprete *Pſalm. 115.*

LXXIIX. Syrus Symboli interpres uſus eſt nomine שַׁדַּי quod ſoli DEO in Scriptura tribui conſuevit:

Gen. 28, 3. cap. 35, 11. Iob. 22, 3 cap. 23, 16. Ieſ. 13, 6. & alibi.

LXXIX. Imò Gen. 17. JEHOVAH ſeipſum hoc attributo deſcribit, iſthanc ad Abrahamum inſtituens *θεοφώνησιν*:

אֲנִי אֵל שַׁדַּי

XXC. Hoc verò Dei *ἰδίωμα* à Calvinianis dubium & ſuſpectum reddi, non injuriâ quiritantur Lutherani, omnesq; verè pij.

Calvinianorum περιλογήματα.

XXCI. Quando enim omnipræſentiam carnis CHRISTI, quæ ipſis ſudes in oculis, vel, (ut Prophetæ ſua nobis verba accommodet) *λίθος προσκόμματος, καὶ πέτρα σκανδάλου*, impugnare conantur: talia ſæpenumero proferre ſolent *περιλογήματα*, quæ nihil aliud, quàm horrendi dubitationum fluctus, quibus omnipotentia DEI involvitur.

LXXXII. Allegamus propria eorum verba, candido & cordato lectori judicium committentes.

Petrus Martyr contra Brentium.

fol. 6.

Ego affirmo NVLLA VI fieri poſſe, ut res creata ſit ubiq;.

Item.

Vbi nunc eſt illa potentia Dei, quam tam liberè & citra omnem exceptionem crepatis?

Beza

Beza contra Selneccerum fol. 115.

Concludimus igitur CHRISTVM *non modò nolle: verùm etiam* NON POSSE *velle corpus illud ſuum verum & πεῖγεαπον, multis ſimul in locis (in uſu cœnæ) ſiſtere.*

Idem Homil. 2. de Cœna Domini.

Illud efficere, ut quod fuerit, non fuerit, vel ut aliquid ſimul ſit, & non ſit. vel ſimul tale ſit, & tale non ſit; id verò NON POTEST DEVS.

LXXXIII. Certè ἀπάλαιον τυφλότερον eum eſſe oportet, qui non videat omnipotentiam Dei infinitam in definitam, incumſcriptam & in circumſcriptam transformari, atque adeò ex DEO OMNIPOTENTE SEMIPOTENTEM (aus eim Allmächtigen ein halbmächtigen) à Calvinianis fingi, gigni, pingi. NB

LXXXIV. Imò ſeipſos, ſoricum more, produnt, quòd non adeò multum omnipotentiæ DEI tribuant, id quod jam olim Zwinglianis exprobravit, Hoſtis eorum ἀεὶ ἄπονος Lutherus.

Tom. 3. Ien. Germ. fol. 332.

LXXXV. Profectò Gentilis ille Philoſophus & Orator Cicero longè aliter animatus fuiſſe vel ex hoc unico conſpicitur.

Lib. 3. de Nat. Deorum.

Nihil eſt quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore.

LXXXVI. Ut ſilentio prætereamus Axioma iſtud θεολογικώτατον Gabrielis Archangeli ῥηνόθεν dilatum:

NON eſt impoſſibile apud DEVM OMNE VERBVM.

Luc. 1.

LXXXVII. Cui ſimilis verſus Lini:

ῥάδια πάντα θεῶ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

LXXXIIX. *Exempla*, quibus Calviniani, tanquam πεῖζώματα quibuſdam undiquaq; conquiſitis, abominationem illam tegere ſatagunt, ita ſunt comparata; ut potiùs Dei ſapientiam, & conſtantiam, ſummamq; perfectionem, quàm impotentiam aliquam arguant.

LXXXIX. Nec quicquam etiam valet illud de *Voluntate Dei* diverticulum; ſiquidem è Scriptura ſatis ſuperq; conſtat, quòd CHRISTUS non modo poſſit: ſed velit etiam ſimul & ſemel in pluribus locis, carne ſuâ, præſtò eſſe, id quod vel ex verbis inſtitutionis Cœnæ ὁμοίτικοῖς, meridianâ luce lucidiùs pateſcit.

℞C. Concludimus potius cum Augustino:
Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere: sic ei non est impossibile, in quicquid voluerit, mutare naturas.
Lib. 20. & 21. de Civit. Dei.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS TERTIAE,
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE
M. DANIELE HERMANNO
Wratislaviensi.

Ad 22. Decembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

Annunctio, à quâ Salvator CHRISTVS in Scripturâ denominatus, finitis vel infinitis SPIRITVS SANCTI donis constet.

THESIS I.

HActenus fuit *prima* & *secunda* Decas, in quarum illa *generalia*; in hac, *specialia* quædam Problemata ad *primum* Symboli Apostolici Articulum, qui est, de Creatione, spectantia, sub disputationis incudem vocata: succedit *secundus* Symboli illius Articulus, è quo itidem aliquot Problemata ἀξιόσκεπτα breviter excerpenda & examinanda veniunt.

Nominis CHRISTI autoritas.

II. Et hîc sanè in primo statim vestibulo occurrit nomen illud ῥεβάσμιον καὶ παναγιον CHRISTUS, quod publicâ Præconis Angelici voce, mox à nativitate SALVATORIS, toti Mundo annunciatum, in isthoc Novi Testamenti protevangelio:

Natus est Vobis hodie SALVATOR, qui est CHRISTVS DOMINVS.
Luc. 1.

3. Est

III. Est autem Græcum CHRISTUS idem, quod (a) Hebræum MESSIAS. Utrumq; enim ab ungendo sic appellatur.

(a) *Dan. 9, 24.*

IV. Ratio appellationis explicatur tum in *Veteri*, tum in *Novo* Testamento. *Ratio appellationis.*

V. In *Veteri* verbis hisce Psalmi *45. obscurius*:

Ideo VNXIT (מָשַׁחֲךָ) *Te* DEVS, *DEVS tuus oleo lætitiæ* (מִשְׂשֲׂנֵי) *præ consortibus tuis.*

VI. In *Novo* autem Testamento voce Petri *clariùs.*

Act. 10. *IESVM Nazarenum* VNXIT (ἔχρισεν) *DEVS SPIRITV Sancto & VIRTVTE.*

VII. Olim autem ungebantur & dicebantur CHRISTI sive *uncti tria* hominum genera, ut *1. Sacerdotes*, veluti (a) Aaron. *2. Reges*, uti (b) Saul & Davides, *3. Prophetæ*, ut (c) Elisæus.

(a) *Levit. 8.* (b) 1. *Sam. c. 10, 1. c. 16, 13.* (c) 1. *Reg. 19, 16.*

VIII. Ex quo elicitur & conficitur, quòd nomen CHRISTI quidem sit appellatio personæ Salvatoris, unde & (d) *Athanasius* scitè: Χριστὸς τὸ σωματοφόρον νοεῖται: eo tamen præcipuè tum *ad assumtam* ejus *carnem*: tum ad *officium* ejus *sacrosanctum*, indicem quasi digitum intendi, quis non videt?

(d) *Orat. 5. contra Arianos.*

IX. Et *ad Carnem assumtam* quidem, quia Unctio illa, à quâ SALVATOR cognomen istud suum accepit, non facta est secundum divinam ejus naturam, (Hæc enim *unctrix* non uncta) sed in carne & secundum carnem, quia (e) *radix* Isai, χρίσεως & βελτιώσεως (ut loquitur Athanasius) δεκτικὴ, in *tempore* à (f) *Daniele* designato, & à CHRISTO de se jã incarnato, ex *Esaia* allegato, *Luc. 4, 18. 25.*

(e) *Esaiæ c. 11.* (f) *c. 9. v. 24.*

X. Unde Damascenus ab aureo eloquentiæ flumine Chrysoroas dici meritus scitè & eruditè:

Τὸ ὂν Χριστὸς, ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, ὐ μονοτρόπως λεγόμενον, ἀλλὰ τῶν δύο Φύσεων ὑποδεχόν σημαντικόν. αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔχρισε, χρίων μὲν ὡς θεὸς τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενον δὲ ὡς ἄνθρωπον. αὐτὸς γάρ ἐστι τὸ τε κἀκεῖνο· χρίσις δὲ, θεότητος τῆς ἀνθρωπότητον.

lib. 3. Orth. fid. c. 3.

XI. Et propterea nomen istud non δίχα σαρκὸς: sed μετὰ σαρκὸς allegatur, teste *Athanasio*, loco paulo ante citato.

XII. *Ad officium* verò SALVATORIS nomen CHRISTUS respicit, quandoquidem triplex illud ejus officium, Propheticum, Sacerdotale Regium, tanquam in aureâ quadam arcula inibi depositum continetur.

XIII. Et hæc quasi παρέργως ἔργον: ipsum quod attinet, ad ζήτημα propositum, circuitione nulla usi, exertè & disertè respondemus: *Epitome veræ sententiæ.*

Vnctio illa, à quâ SALVATOR CHRISTI *nomen adeptus, non finitis & creatis modò donis constat: sed infinitis & increatis, tantâq; plenitudine & exundantiâ in carnem* CHRISTI *ab inhabitante* SPIRITV SANCTO (liceat ita cum alijs quibusdam Theologis loqui) *effusis, ut ex istâ plenitudine & redundantiâ in nos quoq; fratres & consortes suos* SPIRITV *Sanctum* πλουσίως *effundat.*

Iohan. 1, 16. Tit. 3, 6.

XIV. Etenim etsi CHRISTUS quâ homo, jus mittendi SPIRITUM Sanctum non possidet τῇ Φύσει: habet tamen id τῇ χάριτι τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως, quâ θεϊκωρήσει intimâ & ineffabili unitus τῷ Λόγῳ, à quo procedit SPIRITUS SANCTUS, cujusq; in Deitate SPIRITUS est proprius.

XV. Fundamentum nostræ illius sententiæ de donis SPIRITUS sancti infinitis immotum κήρυξ ille CHRISTI θεοκέλευστον stabiliter & solidè jecit, in hoc vere adamantino: *Fundamentum.*

NON enim AD MENSVRAM dat (illi) DEVS SPIRITVM.

Iohan. c. 3.

XVI. Hinc enim talem extruimus ἀπόδειξιν:

Si Vnctione sua CHRISTVS *Homo accepit totum* πλήρωμα SPIRITVS *sancti* οὐκ ἐκ μέτρου *sequitur profectò, quod unctio illa non finitis: sed infinitis* EIVS *donis constet.*

Atqui verum prius.

Ergò & posterius.

XVII. Ratio *consequentiæ in copulato* manifesta est ex antithesi, quâ τὸ-οὐκ-ἐκ μέτρου - id est, τὸ ἄμετρον, & ἄπειρον ἀντιφατικῶς

ἀντιφατικῶς opponitur τῷ οὐ μέτρῳ, vel τῷ ἐμμέτρῳ & τῷ πεπερασμένῳ.

XVIII. Interea autem, quæ ἀντιφατικῶς invicem opponuntur, non datur medium: sed negatio unius est affirmatio alterius.

XIX. Cùm igitur Johannes ὁ Χρισοδείκτης neget τὸ ἔμμετρον: quid quæso facit aliud, quòd affirmet τὸ ἄμετρον ἢ τὸ ἄπειρον?

XX. *Assumpti* veritas & certitudo innititur testimonio Johannitico paulo antè prolato.

XXI. Quid verò *Heterodoxi*? Dicam uno verbo: Contra nituntur. Testes è multis sistimus *duos*: *Pontificium* unum; *Sacramentariam* alterum. ἑτερόδοξία.

XXII. *Pontificius* est Magister ille (g) Petrus Lombardus, qui dictum istud Esaiæ, cap. 11. de septem Spiritibus exponens, nullum planè inter CHRISTUM & fideles, quoad dona SPIRITUS Sancti, discrimen facit: sed ea utrisque παρίσως tribuit, non attendens numerum septenarium, qui vel solus de infinitate eum submonere debuisset. NB.

(g) *Lib. III. Dist. 34. lit* A *&* B.

XXIII. *Sacramentarius* est Beza, qui non modò in versione Novi Testamenti verba Johannis, κακοζηλίας καὶ κενοδοξίας studio, sic interpretatur:

Non enim huic admetitur DEVS SPIRITVM:

Sed in Commentatio suo hunc præsentem locum, ex odio Majestatis Carni CHRISTI sacratissimæ realiter communicatæ, planè depravat hoc pacto suam, pro autoritate, interponens sententiam:

Nostrorum temporum Eutychianos, *ex hoc loco colligentes omnium Deitatis proprietatum in assumtam humanitatem* realem *effusionem, ut inde suam* Ubiquitariam *carnem eliciant, cogitare saltem opportuit ei, quod ad mensuram est* datum, non opponi quod finitum est: sed id quod totum & integrum, etjamsi totum ipsum sit infinitum: *cujusmodi sunt qualitates, quæcunq; à Deitate in res creatas conferuntur ex participatione, ne carne quidem* CHRISTI, *quantumvis glorificati, excepta, cum sola Deitas sit infinita.*

XXIV. Mittimus dentatas & aculeatas Hominis voculas, ut, quòd Eutychianos nos appellat; quod Ubiquitatem probrosè nobis objicit; quòd REALEM effusionem à nostris statui fingit.

XXV. Mittimus & illud, quòd non sublimiore habet loco carnem CHRISTI, quantumvis glorificati, quàm ceteras Creaturas.

XXVI. Hoc verò mittere nullo planè modo possumus, quòd τὸ ἔμμετρον opponi garrit non infinito: sed toti vel perfecto & integro.

Illius Refutatio.

XXVII. Contrarium enim sonus vocum & Etymologia, Grammatica (ut de Logica & Metaphysicâ nihil dicam) evidentissimè arguunt.

XXIIX. Ostendunt nempe *Mensuratum* vel *Finitum* & *immensum* vel *Infinitum*; Itemq; *perfectum* & *imperfectum*; nec non *Totum* & *partes*; *Integrum* & *membra*, invicem opponi.

XXIX. Et in quâ demum Scholâ didicit; quòd non ad mensuram datum idem sit, quod perfectum, aut integrum? annon istud patet latiùs illo? annon aliquid potest esse integrum & perfectum, licèt alicui ad mensuram detur?

XXX. Quo etjam argumento Nugivendulus ille nobis persuadebit: aliquid per se esse finitum, quod ipsum tamen ἄμετρον? annon ἀνάφασις ἐν ὑποκειμένῳ ilicò apparebit? annon ἔμμετρον erit ἄμετρον, & ἄμετρον ἔμμετρον? ἄτοπον ἀτοπώτατον? Sed conferamus nos ad sequens Problema de Unione personali.

II. PROBLEMA.

An unio personalis duarum in CHRISTO naturarum rectè & sufficienter à Zvvinglio-Calvinianis definiatur?

XXXI. Quanquam istud ὁμολογουμένως μέγα τῆς Θεοσεβείας μυστήριον planè ἀναμφίδοξον καὶ ἀναμφίσβητον esse debebat: non desunt tamen è Gente Sacramentaria, qui & primarium istud salutis nostræ fundamentum labefactare & convellere velle deprehenduntur.

XXXII. Beza in Colloquio Mompelgardensi fatetur quidem, Λόγον assumtæ naturæ hypostasin suam communicasse. *Opinio Calvinistica.*

Non nego, inquiens, quòd Λόγος assumtæ naturæ hypostasin suam communicet.

m. fol. 245.

XXXIII. Sed mox, quòd una manu dederat, altera vicissim aufert; hæc in proximo statim paragrapho verba subjiciens:

Nos verò dicimus, quòd humanitas à Λόγῳ TANTVM sustentationem accipiat, SINE omni propriorum alterius naturæ communicatione. ibidem.

XXXIV. Eandem Cantilenam canunt Autores ac Defensores (g) *Catecheseos Wittebergensis*, & Tossanus in chartis contra Articulos Visitationis Saxonicæ sparsis.

(g) *fol. 65.*

XXXV. Necnon *Petrus Martyr* scribit:

SVFFICIT Deitatem quamvis immensam & infinitam sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, ubicunq; illa fuerit.

in Dial. fol. 10.

XXXVI. Atqui ut in epitomen & ἐπὶ μίαν ὄψιν redigamus omnia: in hac utriq; parte mutuum muli scabunt *Iesuitæ & Zwinglio Calviniani*, ut patet ex Thesibus Jesuitarum Ingolstadensium, quas Theologi tùm temporis Calviniani suis Typis hic Witteberg æ *Anno 1571.* suas fecerunt, & luculento epimythio, tanquam Confessionis suæ normam, juventuti publicè commendarunt.

Jesuitarum disputatio approbata à Calviniani

Thes. refutatoria 4. & 26.

XXXVII. Videatur *Bellarminus lib. 3. de incarnat. cap. 8.*

Anhalt. *in assertione 42. argumentorum.*

Beza *in Colloq Mompelg. Antithes. 8.* quæ sic habet;

Itaque communicationem realem, id est unionem naturarum admittimus, in qua MANENT SINGVLÆ NATVRÆ PER SE, etjam in unione, suis proprietatibus distinctæ. CITRA VLLAM COMMVNICATIONEM.

XXXIIX. Quid verò nos? Non rationis humanæ (h) τῶν τῆς σοφίας, ἀ δεκλικῆς καὶ ἀ δυναμένης γνῶναι instinctum: sed Verbi Divinitus patefacti ductum sequentes, absq; ullâ hæsitatione constanter & intrepidè dicimus & docemus: *Doctrina Lutherana.*

Duas in CHRISTO *Naturas Divinam & humanam ineffabili quadam* περιχωρήσει ἑνωτικῇ, *tam arctè unitas esse invicem, ut* Λόγῳ *non modò* ἕνωσιν *suam: sed etjam naturam suam Divinam, assumptæ carni verè ac realiter communicârit, ut proinde naturis invicem intima & arctissima intercedat* κοινωνία.

(*h*) 1. Corinth. 2.

Ejusdem δεῖξις duplex.

XXXIX. Quod thema verè Orthodoxum & Catholicum ut solidè ac validè astruamus: nihil jàm facto opus est aliud, quàm ut & Scripturæ Testimonia & Rationum pondera proferamus.

I. Testimonia Scripturæ 3.

XL. Inter *Testimonia* maximè excellunt, quæ jam, ὡς ἐν τύπῳ, exhibemus, numero *tria*.

1.

XLI. *Primum* est istud πολυθρύλλητον καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον Axioma Johanniticum:

VERBVM Caro factum est, & habitavit (ἐσκήνωσεν) in nobis. ET CONSPEXIMVS GLORIAM Ejus, *velut VNIGENITI à PATRE.*

Iohan. cap. 1.

ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο

XLII. Ubi, quia Caro de Λόγῳ prædicatur; nec tamen ulla naturarum mutua facta conversio: Carnem utique & τὸν Λόγον unita esse oportet.

XLIII. Qualis verò illius Unionis *modus*, *bifariam* ostenditur: 1. *Genericè*. 2. *Specificè*.

XLIV. *Genericè* verbo ἕνωσις, quod Autor Epistolæ ad Hebræos interpretatur per τὸ συλαμβάνεσθαι, *cap. 2. 16.*

XLV. Unde & Athanasius suum hunc in Symbolo mutuatus est articulum verè gemmeum:

ὃς εἰ καὶ θεὸς ἄνθρωπός ἐστιν, ἀλλὰ δύω ὅμως: ἀλλ' εἷς ἐστὶ Χριστός, εἷς δὲ ἀτρεπῇ θεότητι καὶ εἷς σάρκα: ἀλλὰ (NB) περιλήψει τῆς ἀνθρωπότητι καὶ εἷς θεόν.

XLVI. *Specificè* verò sine mora & intervallo κατ' ἐπεξήγησιν, subjectâ mentione communicationis idiomatum, & quidem *tum ἰδιοποιίας: tum μεταποιίας.*

XLVII. *ἰδιοποιίας*, dum dicitur: Et *habitavit* (ἐσκήνωσεν) in nobis, eoq; ipso innuitur, quòd ὁ Λόγος idiomata carnis sibi usurpare non dubitaverit, atq; adeò sese, ut alius homo, gesserit, inq;

inque corporis sui σκηνῇ omnis generis δοχειείας infirmitates & adversitates humanas sustinuerit.

XLIIX. Μεταποιίας autem, dum mox additur: *Et conspeximus GLORIAM ejus, velut unigeniti à PATRE.*

XLIX. Quibus verbis haud obscurè indicatur: Λόγον suam gloriam & Majestatem Carni assumtæ realiter communicâsse, illamq; per hanc ὀφθαλμοφανῶς conspiciendam præbuisse.

L. Quæ cum ita se habeant, quis adeò corrupti est judicij, qui non intelligat: ipsis inter se naturis arctissimam intercedere κοινωνίαν, quæ istius κοινωνίας ἰδιωμάτων fons & fundamentum?

LI. *Secundum* testimonium depromimus ex *Epist. Col. cap. 2.* his conceptum & descriptum vocibus ἔμφασιν & δεινότητα longè maximam habentibus:

In Ipso (CHRISTO) *habitat* (κατοικεῖ) *OMNIS PLENITVDO Deitatis* (πᾶν πλήρωμα θεότητος) *CORPORALITER* (σωματικῶς.)

LII. Inprimis verò earum *tres* dignæ, imò dignissimæ, quæ pressiùs evolvantur.

LIII. *Prima* est *Habitandi* vel τὸ κατοικεῖν verbum, quo iterum *tria* comprehenduntur: 1. τὸ κατοικῶν. 2. τὸ κατοικητήριον. 3. ipsa κατοίκησις.

LIV. Τὸ κατοικῶν ab Apostolo constituitur πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, τὸ κατοικητήριον autem CHRISTUS, qui post incarnationem πρόσωπον σωτῆρ ἐκ θεοῦ καὶ ἀνθρωπότητος.

Athanas. Dial. 5. de Trinit.

LV. Quæritur itaque, an secundum *Divinam*, an verò secundum *humanam*, an deniq; juxta *utramq;* naturam istud de CHRISTO enuncietur.

LVI. Quòd verò non secundum *Divinam* & proinde nec secundum *utramq;* naturam illud intelligendum: duplici monstramus ratione.

LVII. 1. Tolletur enim discrimen inter τὸ κατοικῶν & τὸ κατοικητήριον, quod ἄλογον.

LIIX. 2. Ταυτολογία committeretur futilis hoc sensu: Divinitas habitat in Deitate, quod ἄτοπον.

LIX. Relinquitur igitur quòd plenitudo Deitatis in CHRISTO

habitans habitaculum habitatio

STO habiret, secundum *humanam* naturam; quòdque κατοίκησις inter τὸ κατοικοῦν & τὸ κατοικητήριον consistat in ἑνώσει ὑποστατικῇ, & τῶν Φύσεων εἰς ἀλλήλας περιχωρήσει, & κοινωνίᾳ intimâ.

LX. Idq; *Damascenus* etjam sua comprobat ὁμοψηφία, dum locum isthunc Apostolicum ita interpretatur:

φησὶ γοῦν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, τουτέστιν (NB) ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ.

lib. 3. ὀρθ. πίσ. cap. 6.

LXI. *Secunda* vox ἀξιόσπουδος, est τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. quâ voce σωματικῶς significatur: Λόγον, post ἐνανθρώπησιν, haud-quaquam esse extra carnem, nec ad hodiernum usq; diem, ex ullo veterum Eccl. siæ Doctorum libro, in contrarium produci potuit testimonium.

LXII. Ex quo consequitur, quòd CHRISTUS etjam, quâ Homo, ubiq; locorum præsentissimus, id quod absq; intima & arctissima naturarum κοινωνίᾳ ne cogitari quidem potest.

LXIII. *Tertia* Vox altiùs ponderanda est τὸ σωματικῶς, qua innuitur: Deitatem FILII DEI habitare in corpore aut carne sua, tanquam in proprio templo ad eum (ἐνδοξολογικῶς loquendo) modum, quo anima habitat in suo corpore.

LXIV. Atque hinc Patres unionem personalem ἑνωμάτων ἕνωσιν παρῳσίαν, μεθενωμάτων, &c. appellasse legimus.

LXV. *Tertium* testimonium petimus ex Epistola ad Hebræos capite secundo.

Posteaquam igitur pueri COMMVNICANT (κεκοινώνηκε) *Carni & Sanguini: & ipse* SIMILITER PARTICEPS *factus est eorundem.*

LXVI. Ubi sanè αὐτάλεξει patet, quod ὁ λόγος factus sit Carnis κοινωνὸς καὶ μέτοχος.

LXVII. Quòd sit λόγος Carnis: cur non pari ratione, imò multò firmiori inferremus; Carnem ἀναπαλιν verâ ac reali & λόγου communione gaudere?

II. Rationes 3

LXVIII. Sed progredimur à Testimonijs Scripturæ ad Rationes, quarum itidem tres tribus talrem verbis subnectimus.

1. LXIX. 1. Communicatio & Unio se invicem arguunt, ut eau-

causa & effectus. Negatâ igitur illâ negabitur & hæc, id quod summè impium & blasphemum.

LXX. 2. Calviniani concedunt communicationem ὑποστάσεως τ῀ Λόγυ. Ergo etjam Naturæ Divinæ. 2.

Λόγυ enim ὑποστάσις & Natura ejus Divina *non subjecto & realiter; sed solâ ratione & relatione* invicem differunt.

LXXI. 3. Quia Calviniani negant communicationem naturarum, quid faciunt aliud, quàm ut contra seipsos dicant testimoniũ, & toti Christiano Orbi probatum reddant publicè, se sectatores esse Hæresiarchæ illius Samosateni, qui & ipse, (1) *Suida* teste. τὰς δύο Φύσεις ἀκοινωνήτους εἶναι πρὸς ἑαυτάς contendit. 3.

(1) *in littera* Σ. *circa nomen* Παῦλος.

LXXII. Neq; est, ut Antagonistæ prætendant: se naturarum κοινωνίαν, non differi, si, per eam, ἕνωσις ὑποστατικὴ intelligatur.

LXXIII. Quid enim discriminis sit inter hanc & illam, jam diximus, & dicemus ulteriùs in ipso Disputationis actu.

LXXIV. Videatur de hoc Problemate *Lutherus* in Majore Confessione *Tom 3. Ien. Germ. & Tom. 7. de Conciliys & alibi.*

III. PROBLEMA.

An CHRISTO HOMINI Majestas τ῀ Λόγυ infinita verè, Divina, propter τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν cum Λόγῳ, verè ac realiter sit communicata.

LXXV. Circa hanc doctrinæ cœlestis partem pulcerrimum inter se ἑνωτικὸν constituunt Cadmæi Fratres *Iesuitæ* & *Calviniani*. *Negativa Iesuitarum & Calvinianorum.*

LXXVI. *Vtriq;* enim *negativam* mordicus tenent & propugnant; sicuti ex thesibus Jesuito Calvinianis *Anno 71.* hic Wittebergæ recusis, jam dudum toti Christiano Orbi innotuit.

LXXVII. Producamus jam duntaxat unum atque alterum ex Scriptis eorum emblema.

LXXIIX. E *Iesuitis* sistimus Busæum, qui in Disputatione de persona CHRISTI, *Anno 1583.* publicatâ, expressè scribit:

Principiò ostendimus, Divinam naturam humanitati CHRISTI *realiter communicari non potuisse, &c. nec majestatem omnem* FILII DEI, *qui Divinarum proprietatum complexu continetur beneficio unionis hypostaticæ, eidem humanitati realiter communicatam esse. Thes. 29.*

Eandem

LXXIIX. Eandem θέσιν AntiChriſtianam ἐλεγχτικῶς λαφυλάτ7ειν, διεξοδικῶς & ex profeſſo ſatagunt, duo illa Meretricis Babylonicæ mancipia, (k) *Bellarminus* & (l) *Gregorius* de Valentia, à priore ſive antiquiore Papatu, hac etjam in parte, turpi fœdoq; Schiſmate commiſſo.

(k) *Lib. 3. de incarnatione c. 9. & ſeq. uſq; ad finem libri.*

(l) *In Defenſ. Diſput. contra fund. Vbiquitatis.*

LXXIX. E Calvinianorum grege ſuam, nomine publico Confeſſionem edidit de hac controverſia, Theodorus Beza in Colloquio Mompelgardenſi.

LXXX. Nos hoc tantùm inde notamus apophtegma :

Itaq; communicationem, cujus hîc fit mentio, qua dicitur Humanitas ſuo quodam modo ubiq; & omnipotens, NE VERBALEM QVIDEM ESSE *dicimus, ſed eam falſam eſſe exiſtimamus, quàm falſum eſt, unione hypoſtatica humanitatem evaſiſſe Deitatem.*

in Reſponſ. ad theſin 8. & 9. de perſona CHRISTI.

3. argumenta ἀναστλαστικά.

LXXXI. Nos contrà expedimus tria Argumenta ἀναστλαστικά.

1. LXXXII. 1. Quorum 1. ex inſigni illo *Col. 2, 9.* hoc pacto conficimus :

Si in carne CHRISTI *aſſumpta habitat* πᾶν πλήρωμα Deitatis (genitæ) σωματικῶς: *tum ſequitur, quòd iſthac* κατοικήσει ὁ Λόγος *ſuæ carni, ſuam quoq; majeſtatem omniaq; Divina idiômata, quæ ejus complexu continentur, ſimul reipsâ communicârit.*

Sed verum prius.

Ergo & poſterius.

2. LXXXIII. 2. Educimus è dicto *Daniel. 7. 14.* & *Matth. cap. 11, 2.* in quod *Ireneus* lib. 4. c. 27. ſic commentatur :

Omnia CHRISTO *à* PATRE *tradita ſunt, cum* VERBVM, *per quod* PATER *omnia fecit, Caro factum.*

LXXXIV. Syllogiſmus talis eſto :

Si CHRISTO *Homini æterna poteſtas quæque non corrumpatur, data, imò omnia à* PATRE *tradita : Majeſtas utique Divina, eaq; χαρίσματα infinita, quibus illa conſtat,* eidem communicata ſint, *neceſſum eſt.*

Sed priùs verum ex illis Scripturæ teſtimonijs, quæ non de Divina, ſed

de

de humana CHRISTI *naturâ intelligenda esse*. Dandi & Tradendi *verba* ἀναντιῤῥήτως *evincunt.*

Ergo.

LXXXV. 3. A sessione ad dexteram æterni PATRIS ita concludimus:

Qui sedet ad dexteram æterni PATRIS: *is particeps est majestatis Divinæ, simulq; omniam idiomatum, quæ ejus complexu continentur. Sed* CHRISTVS HOMO *sedet ad dexteram æterni* PRTRIS, *Dan. 7, 14. Luc. 6, 22, 69.*

Ergò,

LXXXVI. *Major* confirmatur Scripturæ *dictis*, quibus Dextera DEI describitur, quod non sit ἡ ἄνω χώρα: sed ὡσεὶ τὸ ἴσον χέρας interprete *Basilio*: Et *Damascenus* ait: Quomodo enim, qui incircumscriptibilis est, localem adipisceretur dexteram? Citante *Thoma parte tertia quæst. 58. art. 1.*

LXXXVII. Objiciunt Calviniani; *æternitatem & infinitatem &* alia idiomata, quæ carni non communicata esse contendunt. Λύσις ἀνατιπτόντων.

LXXXIIX. Sed facilis est responsio per distinctionem κατοικήσει & τῇ κλίσει idiomata etiam illa à carne CHRISTI possidentur: non tamen τῇ ἐνεργείᾳ (quia ἰδιώματα ἀνέργητα) sese per carnem ad extra exerunt, & proinde nec, *nisi mediatè*, illa indè denominatur, id quod usitatis similitudinibus ferri igniti & corporis humani appositè illustrari potest.

LXXXIX. *Deinde* nuspiam non crepant; si nostra de communicatione majestatis doctrina foret admittenda: tum secuturum, quòd humana CHRISTI natura *sit, & facta sit DEVS.*

XC. Quid nos? breviter; Opponimus I. *Communicationem* ὑποστάτως τοῦ Λόγου, quæ utrinq; in confesso.

XCI. II. *Distinctionem* inter *prædicationem Synonymicam* & *Paronymicam*, quarum hæc non illa, naturæ CHRISTI humanæ in abstracto competit; eò quod non τῇ οὐσίᾳ vel καθ' αὐτήν, sed τῇ ἐξουσίᾳ vel δι' ἄλλο. Deitatis particeps; Sicut iterum similitudinibus ferri igniti, & corporis humani declarari potest.

XCII. Cætera huc referantur ex *Systemate controversiarum*, nec non ex *Disputatione II. in capnt LIII. Esaiæ.*

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS TERTIAE,
Problemata IV. V. VI. VII.

RESPONDENTE
M. MATERNO SCHILTERO
Lipsiensi.

Ad 29. Decembris horis locoq; consuetis.

IV. PROBLEMA.

Quo respectu CHRISTVS dicatur ac credatur conceptus de SPIRITV SANCTO.

THESIS I.

PRoximâ ζητήσει ea discussa ac ventilata sunt Problemata, de quibus *in genere* de persona CHRISTI hodieq; inter nos & Antagonistas disceptatur: deinceps accedendum nobis ad nostri hujus Redemtoris absolutissimi ἀποτελέσματα.

II. Quæ *partim* ad Statum ταπεινώσεως: *partim* ad Statum τῆς ὑπερυψώσεως ejus pertinent.

Fundamentum confessionis quoad hanc Symboli partem.

III. Arq; inter illa quidem, in primo statim frontispicio, sese exhibet; *Conceptio CHRISTI*, de qua talem edimus Confessionem.

Conceptus de SPIRITU SANCTO.

IV. Cujus articuli fundamentum jecit Angelus ἀρχάγγελος hâc suâ ad Mariam semper-virginem πρόσφωνήσει:

SPIRITUS SANCTUS *superveniet* in te, & VIRTUS ALTISSIMI obumbrabit tibi.

Luc. c. 1.

V. Ubi sanè singularum trium τῆς παναγίας τριάδος personarum fit mentio, veluti: 1. PATRIS, nomine ALTISSIMI, 2. FILII, qui per πρόφρασιν VIRTUS ALTISSIMI ab Angelo appel-

appellatur. 3. SPIRITUS SANCTI ἀυτόλεξι; juxta interpretationem *Damascen. lib 3. ὀρθ. πιϛ. cap. 2.*

Καὶ τότε ἐπεσκίασεν ἐπ' ἀυτὸν ἡ τοῦ θεοῦ ξ ὑψίϛου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις ὁ υἱος ξ θεοῦ ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἱονεὶ θεὸς ἀπόϛολος.

VI. Est enim incarnatio opus ad extra, & proinde omnibus tribus Sacrosanctæ Triados personis propter ὁμοουσίαν vel ἀδιαχώρησιν ϛοιχώδη commune, non solùm *implicitè* ratione illa *generali*, juxta Veterem illam (a) *Augustini* Regulam: sed etiam *explicitè* & *ratione* quadam *speciali*, secundum istam Angeli sententiam.

(a) *in Enchirid. c 38 lib. 1. de Trinit. c. 4. & 8. lib 2 c 1. & 5. lib. 13. c. 11.*

VII. Et sic PATRI tribuitur (b) δόσις καὶ (c) πέμψις, quo respectu etiam ad PATREM refertur collatio χαρισμάτων, quæ CHRISTO in tempore data, *Psal. 110, 1. Ephes. 1, 20. Phil. 1, c. 2. 9.*

(b) *Ioh. 3, 16.* (c) *Gal. 4, 4. Ioh. 5, 24 30. 36. 38. c. 6, 38. 40. 44. 57. c. 7, 28. c. 8, 16, 18. &c.*

VIII. FILIO autem (d) ἐνσάρκωσις, (e) ἐπίληψις σπέρματος Ἀβραὰμ, (f) ἐπισκίασις, cujus σκιὰ ἐπισκίασις (g) Tabernaculi & (h) Arcæ; simulq; monet vocis istius emphasis, inter nos & mysterium Incarnationis ἐπισκίασμα interpositum adeò, (i) ut in illud ne ἐγκύψαι quidem nobis liceat.

(d) *Ioh. 1, 14* (e) *Heb. 2, 16.* (f) *Luc. 1, 35.* (g) *Exod. 40, v. ult.* (h) *2. Paral. 5, 8* (i) *1. Pet. 1, 12.*

IX. SPIRITUI denique; SANCTO, (k) χρίσις, & (l) ἐπέλευσις.

(k) *Psal 45, 8. Ioh 3, 34. Act. 10, 38. Heb. 1, 9.* (l) *Luc. c. 1. 35.*

X. Ἐπελεύσεως autem vocabulo *non* significatur *communis & ordinaria* SPIRITUS SANCTI (m) πλαστουργία: *sed singularis & extraordinaria* ejusdem θαυματουργία, ut *Iud. 14, 6. Act. 1, 8.*

(m) *Iob. 10, 8. Psalm. 139, 5.*

XI. Et hæc sanè *triplex* potissimùm complectitur πλάττον μέρος, quòd SPIRITUS SANCTUS sua illa operatione miraculosa ad sanctissimum conceptionis CHRISTI opus contulit.

Triplex πλάττον μέρος, quod SPIRITUS S. ad opus conceptionis contulit.

XII. 1 Ut præter naturæ ordinem & rerum seriem ἡ Δεσπαινα θεοτόκος καὶ ἀφθόρως, (ut (n) *Damascenus* loquitur) fœtum conceperit.

(n) *lib. 1. ὀρθ' πίϛ. c. 2.*

XIII. 2. Ut massa illa incarnationis FILII DEI (o) ἀπαρχὴ ἀνθρωπείᾳ φυράματος) fuerit sanctificata, & à peccato separata & emundata, ut quod ex Maria natum, extiterit *Sanctum ab utero*.

(o) *Damascenus lib. 3. ὀρθ. πίς. c. 2.*

XIV. Qua de re Lutherus piè & eleganter:

In illo puncto conceptionis virginalis SPIRITVS Sanctus purgavit & sanctificavit massam peccati, & extorsit venenum Diaboli & mortis, quod est peccatum; quanquam manst mors in ea propter nos, fermentum tamen peccati expurgatum est, & facta & purissima Caro, per SPIRITVM sanctum purificata, & unita cum Divina natura in una persona.

In. C. 38. Genes.

XV. 3. Ut planè ὑπερφυσικῶς & *divino modo*, qui est supra *omnem modum*, (Gratiani verba sunt) fieri potuerit unio Divinitatis infinitæ, & humanitatis finitæ in unam CHRISTI personam.

XVI. Idque, ἅ ταῖς κατὰ μικρὸν προθήκας ἀπαρτιζομένῳ σχήματος, ἀλλ' ὑφ' ἓν τελειωθέντος, juxta *Damascenum lib. 3. ὀρθ. πίς. cap. 2.*

XVII. Cui adstipulantur Patres Orthodoxi, è quibus suam illam depromsit sententiam: maximè *Basilius*, qui κατ' ἔμφασιν urget, quòd Angelus dixerit, non τὸ κυηθὲν: sed τὸ γνυηθὲν, *Matt. 1, 20.*

In Homilia εἰς τὴν ἁγίαν Χριστοῦ γέννησιν.

in f. 416.

XVIII. Quibus sic expeditis, perspicuum & clarum est; quòd in *Symbolo Apostolico* conceptio CHRISTI adscribatur SPIRITUI SANCTO: *non tantùm generali illa ratione*, quatenus est opus singularis bonitatis & vivificationis, quod utrumque SPIRITUI SANCTO, κατ' ἐξοχὴν, attribuitur: *sed* potiùs *ratione* illa *speciali*, quatenus Incarnatio CHRISTI opus *singulariter mirabile, & mirabiliter singulare*, quemadmodum à Justino Martyre & Augustino appellatur.

Occurritur objectioni.

XIX. Sed ne quis Swenckfeldiano furore percitus, arreptâ præpositione EX insaniat: quasi non EX MARIA: sed ex SPIRITUS SANCTI substantia, Caro CHRISTI propagata sit, & proinde non humana & terrestris: sed Divina & Spiritualis substantia; hac ultro περικαταλήψει *Damascenus* occurrit:

Καὶ

Καὶ σωέτηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ τε λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, ἀπαρχὴν ἑ ἡμετέρᾳ φυράματος, ἀσπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς, διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

V. PROBLEMA.

An Maria semper-virgo extiterit immunis à peccato originali?

XX. In Babylone illa Romana, & non linguarum modò: sed mentium etiam *confusione* horrenda, & variarum superstitionum chao, eò usq; deventum, ut Mariæ Virgini immunitas à peccato originali vendicetur, inque honorem ejus festum conceptionis Mariæ *VIII. Decembris* annua solennitate celebretur. *Historica narratio de controversiæ hujus:*

XXI. Idq; à præpostero & superstitioso dignitatem ejus amplificandi studio.

XXII. Cujus infelix autor statuitur *Anshelmus*, qui vixit circiter *annum* CHRISTI *1094*. 1. ἀρχὴ.

Osiand. Cent. XI. Lib. 4. c. 7.

XXIII. In Commentario enim super *V. cap. post. Epist. ad Corinthios* memoriæ proditum reliquit:

Omnes homines in peccatis mortuos, *demta* solummodò matre DEI.

Centur. XI. Magdeb. Cap. 10. f. 615.

XXIV. Anshelmum proximo mox seculo secuti sunt *Bernhardus & Petrus, Longobardus.* 2. αὐξήσει.

XXV. *Bernhardus, Anno* CHRISTI *1153.* mortuus, hyperbolicis laudationibus Mariæ causam non exiguam præbuit idololatricæ istius ἀποθεώσεως, teste Luthero *Tom. VI. f. 484.*

XXVI. *Petrus Longobardus* autem immunitatem illam Mariæ à peccato originali propugnare & autoritate firmare ausus est.

Lib. 3. Dist. 3. l. B.

XXVII. Successerunt seculo proximè subsecuto *Bonaventura & Thomas de Aquino* σύγχρονοι, (*circa A. C. 1274. quo uterq; mortui*)

quos opinionem istam improbâsse, eiq; restitisse, ne Bellarminus quidem diffiteri audet.

Lib. 4. de amiss. gratiæ c. 17.

XXIIX. Exinde graves exortæ sunt de propositâ quæstione inter *Thomistas* & *Scotistas* controversiæ, quorum illi *Negativam* hi *Affirmativam* defenderunt.

XXIX. Cepit etiam festum Conceptionis Mariæ paulatim in *pluribus* celebrari locis, facto quasi progressu ab ἀρχῇ ad αὔξησιν.

XXX. Et hæc est mens *Chemnitij*, quando scribit; festum Conceptionis post tempora Thomæ institui cepisse.

XXXI. Et proinde injuriam ei facit Bellarminus, dum mendacij crimen optimo illi Viro objicere non veretur.

2. ἀκμῇ. XXXII. Cæterum sicut ab ἀρχῇ ad αὔξησιν: ita certamen illud ab αὐξήσει ad ἀκμὴν eò usq; adscendit, ut *Anno. C. 1431.* in *Concil. Basil. Sess. 36.* decretum fuerit conditum, quo confirmatum festum conceptionis B. Mariæ virginis, ut 6. Idus Decemb. celebretur, & præcipitur in eo doceri, Mariam virginem, præveniente & operante divini numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato: sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamq; & immaculatam.

XXXIII. Accessit *A. C. 1464. Sixti IV. constitutio*, quâ non modò & immunitatem Mariæ à peccato, & festum in conceptionis ejus honorem institutum, approbat: sed insuper etiam totum Orbem Christianum largissimis indulgentiarum bullis & ampullis eò invitare nititur.

Lib. 3. Extrav commun. Tit. XII. Cap. 1.

XXXIV. Sed nondum concertationum finis: E Scholis ac pulpitis; in templa ac suggesta Disputatio, hæc delata magnoq; partium ardore agitata publicè, coram populo.

XXXV. Quare permotus Papa modò nominatus, *aliam* promulgavit *constitutionem*, in qua quidem fatetur: quæstionem illam à Romanâ Ecclesiâ & Apostolica sede *nondum esse desisam*: interim tamen, ut habet constitutionis illius summa, manifestè decernit:

Excommunicationem ipso facto incurrere prædicatores asserentes, divam Virginem in peccato mortali fuisse conceptam, &c.

Lib. 3. Extrav. Commun. Tit. XII. cap. 2.

Verùm

XXXVI. Verùm hac ratione omissis sublata est contentio & lis inter Monachos, præsertim *Dominicanos* & *Franciscanos*, quorũ illi pro *Negativa*: hi pro *Affirmativa* stabant & dimicabant acerrimè.

XXXVII. Interposuerunt proinde & Academiæ suam auctoritatem, & initiò quidem *Parisiensis & Colonensis* definientes Mariam peccato originali non fuisse maculatam.

XXXIIX. Eos verò, qui contrarium statuebant *Maculistas* appellitabãt, quasi qui maculã Mariæ Virgini aspergerent, contra illud:

Cantic. 2. *Tota pulcra es, amica mea, & MACVLA non est in ea.*

XXXIX. Academias Parisiensem & Colonensem imitata est, Anno Epochæ Christianæ 1501 Facultas Theologica Moguntinensis Academiæ, quæ *die 13. Octobris* determinavit: *sentiendum, credendum & defendendum, beatissimam virginem Mariam nunquam originali subjacuisse peccato: sed singulari quodam privilegio præservatam.*

Osiander Cent. XVI. f. 6.

XL. Hinc circiter *annum DOMINI 1503.* nova orta est hæresis, autore *Ptolomæo* quodam Lucensi, Cisterciensis Ordinis Monacho, qui in quodam templo Mantuæ concionabatur: CHRISTUM *fuisse juxta cor Mariæ Virginis ex tribus guttulis sanguinis conceptum, & non in utero, ut alios,* juxta communem ordinem.

Ptolemæus

Balæus de Pontif. Roman. lib. 7.

XLI. Confirmavit porrò errorem de immaculata Mariæ conceptione *17. M. Junij A.C. 1546.* Concilium Tridentinum decreto isthoc, vel placito potiùs plane ἀναιτιολογήτῳ:

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam DEI genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in ijs constitutionibus contentis, quas innovat.

XLII. Cui subscribit *Bellarminus*, tale è pileo suo cardinalitio depromens oraculum.

Probandum est breviter, non temerè, sed pié ac rectè existimari, B. Virginem Mariam singulari DEI privilegio ab omni omninò peccato fuisse immunem (NB.) Neq; verò expectandum est, ut expressum Dei verbum adferamus, *aut certam aliquã Ecclesiæ definitionẽ.*

Lib. 4. c. 15. de amiss. grat. & statu pec.

XLIII. Sed quid hoc est aliud quàm manifesta ἀντίφασις & προκειμένῳ? Garrit Jesuita: non temerè: sed PIE ac RECTE existimari, B. Virginem Mariam singulari privilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem: & mox tamen propalam fatetur: se NON posse afferre expressum DEI Verbum.

XLIV. Possemus igitur hic statim pedem figere, & ulteriori istius Problematis λαμπέψει meritò supersedere.

Refutatio Papistarum & præsertim Bellarmini.

XLV. Ne tamen aliquid à nobis desideretur, utq; futilitas Jesuitica potentiùs & evidentiùs confundatur: tale Bellarmino opponimus argumentum καθολικόν:

Quod nullo expresso DEI Verbo nititur: sed contra expressum DEI verbum asseritur: id Catholicæ fidei repugnat.

Atqui sententia de immaculata Mariæ conceptione, nullo expresso DEI verbo nititur: sed contra expressum DEI Verbum asseritur.

Ergò, &c.

XLVI. *Major* sua luce radiat, eôq; majori, quòd ipsis ipsius Jesuitæ Verbis concepta. Sic enim ille apertè:

Id Catholicæ fidei repugnat, quod asseritur, vel contra verbum DEI, vel &c. in cap. paulò antè allegato:

Probatio Minoris.

XLVII. *Minor* continet τὸ ψευδόμενον, idque *geminum: 1. quod sententia illa non nitatur expresso DEI Verbo. 2. quod contra expressum DEI Verbum asseratur*: De utroq; paucis.

1. Quo ad priorem partem.

XLVIII. Quòd sententia isthæc *non nitatur expresso DEI Verbo*: in eo utiq; concedendo non difficilem se præbet: sed ultro fatetur, sicut ex Verbis ipsius superiusculè citatis perspicuè apparet.

XLIX. Sed ne planè ἄπερ γραφῶν disputare videatur: quædam allegat Scripturæ loca, quæ, si penitiùs inspexeris, ἀγχίνοιαν & ἐλέγχου omnia & singula laboráte deprehenderis.

L. Nam *primò* quod δεχιμητέρα nostram Evam attinet *Genes.* 25. Adamus quidem primus cum CHRISTO Adamo secundo comparatur ad *Rom. 5. & 1. Cor. 15, ver. 45.* quem Jesuita citat.

LI. Quòd verò Eva fuerit figura Mariæ Virginis, nullo Scripturæ testimonio doceri potest.

LII. Et quanquam Epiphanius & alij Patres ἀντιθεσολλὼ quandam inter Evam & Mariam, τῇ γραφῇ ἀναλόγως, instituunt: de eo tamen, quòd utraq; ἀναμάρτητος extiterit, alterum est silentium.

53. De-

LIII. *Deinde*, posito κ) παρομολογ'αν, quòd Eva fuerit figura Mariæ. Sed quid *Augustinus? Figura nihil probat?*

LIV. *Denique*, quæ quæso ratio convenientiæ inter statum Evæ ante lapsum, & conditionem Mariæ post lapsum?

LV. Adhæc quantum *loca Canticorum* spectat, *Cap. 2. vers. 2. cap. 4. v. 7. & 12.* sibi ipsi respondet Jesuita, sua propria vineta cædens, dum scribit:

Hæc enim tametsi de Ecclesia universa, qualis præsertim erit in cœlis, intelligi possint: tamen B. Virgini quoque aptissimè convenire negari non debet, cum & multi sanctorum Patrum de B. Virgine hæc omnia exposuerint.

LVI. Agnoscit nempe, isthæc omnia de *universa* CHRISTI Ecclesia, eâq; *triumphante in regno gloriæ*, intelligi debere, & præsertim illud, quo sponsa isthæc CHRISTI spiritualis omni macula carere dicitur.

LVII. Illud enim Apostolus ipse ad universam Christi Ecclesiam refert, idque interpretatur non de puritate quadam in conceptione Mariæ increata; sed de sanctitate Christi imputata per baptismum, quo emundamur à peccatorum maculis, in quibus concepti & nati nos singuli & universi.

LIIX. Quando igitur Patres illa & similia Scripturæ loca ad Mariam accommodant: eo illud respectu fieri judicandum, quo ipsa est maximè præcipuum Ecclesiæ membrum:

LIX. E quo facilè intelligitur etjam, qualem Mariæ sanctitatem ac puritatem tribuant, non aliam nimirum, quàm eam, quæ ipsi, ut membro, cum toto Ecclesiæ corpore communis est.

LX. Sed aggrediamur alteram τὸ κεινομένου partem, ostensuri, quòd sententia Pontificiorum de immaculata Mariæ conceptione *contra expressum DEI verbum asseratur.* *2. Quoad posteriorem partem.*

LXI. Distribui autem potest illud DEI Verbum, cui dogma istud Pontificium ἀνιφατικῶς repugnat, ἀτάξιας καὶ ἀναγκολαβήτου ἕνεκα, in *tres* potissimùm *classes.*

LXII. Quarum *prima* accensemus *Vniversalia* Scripturæ *dicta*, quibus omnes in universum homines in peccatis concepti & nati pronunciantur; cujusmodi sunt:

In Vet. Teſt.

Job. 14. מִי יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד׃

Quis dabit mundum EX IMMVNDO?
Ne unum quidem.

Cap. 15. מַה אֱנוֹשׁ כִּי יִזְכֶּה וְכִי יִצְדַּק יְלוּד אִשָּׁה׃

Quid eſt homo, ut mundus ſit, & ut juſtus ſit, qui natus ex muliere.

In N. Teſt.

Joh. 3. *QVOD natum eſt ex carne, Caro eſt.*
Rom. 5. *Per unius* (Adami) *delictum propagatum eſt malum* IN OMNES.

LXIII. In *ſecundam* claſſem referimus ea Scripturæ locæ, quæ *ſoli* CHRISTO *privilegium* immaculatæ conceptionis vendicant, ut
Luc. cap. 1. *SANCTVM, quod ex TE naſcetur.*
Itemque *Hebr. 4. v. 15. cap. 7. v. 26.*

LXIV. Quod privilegium adipiſceretur & μὴ ἀχεράντῳ σαρκὸς (*verba ſunt Damaſceni*) naſceretur SALVATOR; opportuit eum ſine virili ſemine concipi à SPIRITU SANCTO, qui Maſſam illam carnis & ſanguinis Mariæ, è qua FILIUS DEI humanam naturam aſſumſit, à labe peccati, ſingulari ſanctificationis operatione emundavit.

LXV. De Mariæ autem conceptione tali quid nihil uſpiam legitur, niſi quòd Monachi quidam inſulſi robur & pondus præſentis argumenti ſentientes, (*ut habetur in Lugenda Sanctorum*) finxerunt, virginem Mariam, non ex congreſſu connubiali: ſed tantùm *ex oſculo Ioachimi*, quod *Annæ fixerat*, fuiſſe conceptam.

LXVI. Claſſe *tertiâ* comprehendimus ea Sacrarum literarum loca, quibus (p) *partim* Mariæ infirmitates & ἀγνοήματα, quæ & ipſa peccata, indicantur (q) *partim* eam, non niſi per fidem, ex ſolâ ſolius DEI gratia ac miſericordiâ, ſalvatam eſſe, traditur.

(p) *Luc. 2. v. 43. 48. Iohan. 2. v. 3.*
(q) *Luc 1. verſ. 44. cap. 11. v. 27. 28.*

Reſponſio ad Ieſuitæ.

LXVII. Sed adducit Jeſuita *Patres* & *Rationes*, quibus aſſertionis ſuæ Veritatem ſtabilire conatur.

1. Patres.

LXIIX. Patribus nos obvertimus: 1. Illud πολυθρύλλητον Cœleſtis PATRIS:

Erech-

LXIX. 2. Commodam interpretationem, qua pleraque eorum dicta, *vel* de eo, quòd virgo immaculata permanſit, *vel* quòd ea maſſa, è qua FILIUS DEI humanam naturam aſſumſit, Virtute SPIRITUS SANCTI, ſanctificata, abolitâ omni peccati maculâ, *vel* de eâ ὑπερεχῇ, quâ Mater FILII DEI, accipienda.

LXX. 3. Patres nobis ὁμοψήφους, ut *Chryſoſtomum* homil. 45. in Matthæum, *Euſebium, Emiſſenum* Sermon. 2. de nativitate Domini & alios.

LXXI. 4. Nominatim *Ambroſium Ambroſio* in eundem Pſalmum 118. *Auguſtinum Auguſtino* in Pſal. 53. Serm. 2. de Baptiſmo parvulorum lib. 2. c. 24. & de Gen. ad literam lib. 10. c. 118.

LXXII. *Rationes* ducuntur à *poſſe DEI*, à quod ad eſſe non valet conſequentia, niſi τὸ velle immoris probetur argumentis, & non vilibus & exilibus conjecturis, ſicut facit Jeſuita, de quibus, ut & alijs, ἐν τοῖς σιζητεῖν. 2. Rationes.

LXXIII. Corona & coronis eſto: Si Maria propterea ἀναμάρτητος fingenda, quia CHRISTUM ἀναμάρτητον concepit & peperit: an non pari ratione mater Mariæ & ſic deinceps, uſq; ad πρωτομητέρα Evam, omnes in adſcendente linea matres, ἀναμάρτητοι ſtatuendæ.

VI. PROBLEMA.

An Nativitas CHRISTI ex Maria virgine extiterit miraculoſa, adeoque non ordinariâ ſed extraordinariâ ratione, non ſecundum, ſed præter communem naturæ modum & ordinationem facta.

LXXIV. *Duæ* de iſto Problemate vigent ſententiæ: *Vulgaris* una: *Peculiaris* altera.

LXXV. *Vulgaris* ſententia in partem *Affirmantem* concedit, atq; adeò Nativitatem Salvatoris, uti Conceptionem, planè miraculoſam, extraordinariam & præternaturalem extitiſſe, ſtatuit. *Sententia Vulgaris.*

LXXVI. Et hanc plerique Patrum amplectuntur, quorum autoritate & illa in Eccleſiam vulgò recepta.

2. Peculiaris. LXXVII. *Peculiaris* autem sententia est *Chemnitij*, & aliorum hodie Theologorum γνησίως καὶ εἰλικρινῶς Lutheranorum, qui cum illo acri & alacri ὀρθοδοξίας Lutheranæ Assertore. in partem *Negantem* abeunt, piè ac modestè docentes:

Quæ naturali ratione post conceptum fœtum in utero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum comitari solent, cogitanda esse etiam de hac nativitate.

In Libr. 1. Harm. Ev. cap. 8. m. p. 173.

Ejus rationes. LXXIIX. *Rationes*, quas pro confirmatione hujus sententiæ, loco jam allegato, adducit, sunt *hæ* sequentes non aspernandi ponderis & momenti.

LXXIX. 1. τὸ ἄγραφον, quia Scriptura non facit ullam ullius, circa nativitatem CHRISTI, miraculi mentionem.

LXXX. 2. Sed *communi pariendi* verbo *communem* & *usitatum* partus modum simpliciter notat.

Esaiæ 7, 14. cap. 9. Luc. 2. 7. 6.

LXXXI. 3. Accedunt Scripturæ (r) phrases de modo naturali partus, quæ ad (s) CHRISTUM etiam accommodantur:

(r) *Exod. 13. vers. 2. Num. 8. v. 16.*

(s) *Luc. 2. vers. 7. Psal. 22. vers. 10.*

LXXXII. 4. Eodem collimant illustria Scripturæ testimonia, quibus CHRISTUS dicitur nobis *fratribus suis similis factus* κατὰ πάντα, PER OMNIA, ideoque, ut possit συμπαθῆσαι *nostris* ἀσθενείαις, eique ἐν ᾧ Ipsemet πέπονθεν, *sed sine peccato.*

Hebr. cap. 2. & 4.

LXXXIII. 5. Quòd CHRISTUS ideò natus in mundum, ut expiaret peccatum, cujus radix nativitas, quam sua nativitate emundavit, & mox primo vitæ ortu peccatum expiare cepit.

LXXXIV. Unde piè & devotè *Lutherus*:

Also ist nun vnser Geburt / vnd was wir hie leben / auch durch jhn gereiniget/ Denn/ ob wol wir verdampt sind/von der Geburt/durch vnser gantzes Leben/ So ist Er aber rein/vnd gibt vns solche reinigkeit / wie wir in diesem Artickel bekennen/ Denn er ist darumb gebohren / vnd durch vnser gantzes Leben gangen.

Tom. 6. fol. 73.

85. Auto-

LXXXV. 6. Autoritas *Concilij Ephesini*, quod jam olim pronunciavit: *FILIVM DEI sustinuisse Nativitatem ex Virgine.*

LXXXVI. 7. Suffragia vetustissimorum Patrum, ut Originis, Tertulliani & Irenæi, cujus hæc verba: *CHRISTVS IESVS DEI FILIVS, propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam, quæ esset ex Virgine, generationem SVSTINVIT, &c.*

Lib. 3. cap. 4.

LXXXVII. Et huic sanè sententiæ & nos subscribimus, ut probabiliori, propter rationes hactenus enumeratas, ita tamen, ut alteram penitus proscriptam & explosam nolimus.

VII. PROBLEMA.

An Maria ἡ Θεοτόκος Virgo illibata manserit ante partum, in partu & post partum?

LXXXVIII. Hæc est publica totius Ecclesiæ Catholicæ de Matre Salvatoris confessio, quam impugnârunt *olim Helvidiani*, exinde *Antidico Marianitæ*, id est, Adversarij Mariæ appellati: *Olim & hodie Iudæi.*

LXXXIX. *Helvidius*, Auxentij discipulus, teste *Hieronymo*, homo rusticus, & vix primis imbutus literis illis originem præbuit sectarijs, qui gloriam Mariæ extenuantes ausi dicere: *Opinio Helvidij.*

Mariam à partu CHRISTI copulatam fuisse carnaliter viro Iosepho.

IV. Cent. Magdæb. fol. 404.

Epiphan. Hæres. 78.

XC. *Iudæi* JESU Nazareni Hostes ἄθεοι, per horribilem blasphemiam (sit venia μιαιήσῃ) Mariam Virginem castissimam meretriculam; FILIUM verò ejus sanctissimum & ter-benedictum סָמְוּר appellare non exhorrescunt. *Iudæorum blasphemia.*

Flagell. Iud. sub. tit. blasphem. Iud. adversus CHRISTVM:

XCI. Helvidianorum errorem refutarunt *Hieronymus* peculiari contra Helvidium libello, nec non *Epiphanius* in hæresi 78. ubi ad minimum *decem* rationibus illibatam Mariæ Virginitatem demonstrat.

92. Diluit

Argumenta Helvidij quomodo ab Epiphanio diluantur.

XCII. Diluit idem *argumenta*, quibus Helvidius & assecłæ suum illud delirium suffulcire laborabant, quorum *duo* potissimum: *Vnum* conficiebant inde, quòd fratrum Christi mentio fiat: *alterum* ex his Scripturæ locis:

Matth. 1. *PRIVSQVAM congressi essent, deprehensa est gravida è SPIRITV Sancto.*

Item: *Non cognovit eam, DONEC peperisset filium suum primogenitum.*

Matth. 12, 46. 47. cap. 13. v. 55. Marc. 6. v 3.

XCIII. Ad *prius* argumentum respondet: Fratres Christi vocari Jacobum, Josephum, Simonem & Judam, quod ex priori conjuge Josephi geniti.

XCIV. Rectiùs verò dicitur: illos fratres Christi appellari, quod filij Cleophæ fratris Josephi, consuetudine sanctæ & Scripturæ & Linguæ, quâ cognati quivis fratres salutari solent, ut: *Genes. 13. v. 8.* & alibi passim. Unde Regula *Hieronymi*: *Quatuor modis in Scriptura fratres dicuntur*: *Natura, Gente, cognatione, Affectu, Helvidio oppositæ.*

XCV. Ad posterius argumentum respondet Epiphanius *tria.*

XCVI. 1. Non dici primogenitum *suum*: sed simpliciter primogenitum, ut significet, primogenitum omnis creaturæ Dei filium, non creaturam.

XCVII. 2. Josephum Mariam cognovisse & non cognovisse. Cognovisse, hoc est, novissem ipsa mulierem esse formatione & fœminam naturâ, & ex matre Anna, & ex Patre Joachim, & cognatam Elisabeth: non novisse autem, quòd tali gloria honorandus aliquis esset in terra, maximè mulier, donec vidit miraculum.

XCIIX. 3 Non posse demonstrari, illos congressos esse.

XCIX. Sed solidior ac brevior expediri potest responsio, per veram ac genuinam vocabulorum: *priusquam donec & primogenitus* interpretationem.

C. De Particulis *priusquam & donec*, scitè & eruditè Nazianzenus:

Ἄχρι καὶ ἕως ὁ πάντως ἀνθιστάμενος τῷ μέλλοντι, ἀλλὰ τῷ μεχρὶ μὲν τῇδε λήψει, τὸ μετὰ δὲ τοῦτο ἢ οὐκ ἀναίνεται.

Orat. II. de Fil.

101. Exem-

CI. Exempla in promptu sunt quamplurima:
Genes. 8, 7. 1. Sam. 15, 35. 2. Sam. 6, 23.
Psal. 110, 1. Psal. 123, 4. Sirac. 9, 17. Matth. 28, 20.

CII. Vocabulum *primogenitus bifariam* accipitur: 1. relatè, vel πρὸς ad posigenitos: 2. absolutè & ἀκρότως de eò, qui *primò natus*, etjamsi sit unigenitus, & nullos habeat fratres & sorores. Qua significatione CHRISTUM primogenitum appellari, non negari potest.

CIII. *Iudæos* confutat ex professo & διεξοδικῶς *Galatinus lib. 7. cap. 14. v. 15.*

Contra Iudæos V. rationibus ex Esa. cap. 7.

CIV. Nos inde urgemus & perurgemus augustissimam Esaiæ Prophetiam de הָעַלְמָה paritura FILIUM, unde tot rationibus illibata Mariæ Virginitas evinci potest, quot litetis nomen illud venerabile constat, id est, *quinq;*.

CV. Ac *primò* quidem ex vocis illius *radice* עָלַם abscondere vel occultare. עַלְמָה igitur est virgo, quæ adhuc domi in paternis ædibus abscondita & à congressu viri occultata, vel quæ nondum cognovit virum.

CVI. 2. EX *Nominis* illius *usu*: Usurpatur enim de sponsa, adhuc virgine, ut *Gen. 24. v. 27.* de Rebecca sponsa Isaaci, itemque de puella adhuc tenella, ut de Miriam Mosis sorore, *Exod. 2.* item *Psal. 68, 26. Cantic. 1, 3. & 6, 7.*

CVII. Ideoq; & Paraphrastæ Chaldaici Jonathan & Onkelos istud vocabulum retinuerunt, forma Chaldaica.

CVIII. 3. EX articulo demonstrativo ה emphatico, cum quo tantum tribus Scripturæ locis reperitur, semperq; notat virginem intactam & καὶ ἐξοχὴν castam ac pudicam, ut hic *Esaiæ 7, 14. Genes. 24, 43. Exod. 2, 8.*

CIX. 4. *EX Adverbio admirandi*: הִנֵּה & adjuncto conceptionis quod hic tribuitur huic: הָעַלְמָה Diserte enim affirmatur, illam esse signum vel miraculum, planè ut *Ierem. cap. 31. quod Mulier circumdatura Virum, novum in terra à DOMINO creandum* appellatur.

CX. Iam verò si uxor juvencula concipit, id perfectò non pro signo aut miraculo, aut novo in terra habendum, siquidem id non fit præter rerum seriem, sed ordine naturæ usitatissimo.

CXI. 5. EX *interpretatione Septuaginta & Matthæi Evangelistæ,* qui nomen עַלְמָה simpliciter verterunt παρθένον, *Virginem.*

CXII. Videatur Lutherus *Tom. VIII. Ienensi* in Libro de Schemhamph. subtit. *de nomine Alma & virginitate Mariæ fol. 129.*

CXIII. Nos tantùm initialem hanc sententiam vividâ προσοποιΐα à Luthero prolatam colophonis loco adscribimus:

Sihe (spricht Jesaia) die Jungfraw ist Schwanger/ etc. Hie stehet das Wort Alma/ davon viel andere/ Ich auch/ habe geschrieben/ Das es heisse eine Jungfraw/ oder Magd/ die noch in Haaren vnd im Krantze gehet/ vnd keine Fraw worden ist. Vnd kan mir ein Jüde oder Ebreist weisen/ das Alma etwa in der Schrifft eine Fraw heisse/ Der sol hundert Gülden bey mir haben/ Gott gebe wo ich sie finde.

Lide prov. 30. v. 19.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS TERTIAE
Problemata VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. HEINRICO DECIMATORE

Magdeburgico.

Ad 12. Ianuarij horis locoq; consuetis.

VIII. PROBLEMA.

An tantùm sola humana CHRISTI natura passa ac mortua?

Themation I.

PAssio Soteris nostri JESU CHRISTI pio ac devoto Abbati Bernhardo *ultimum est refugium*; imò *Medicina animarum* omnium efficacissima.

a. Verba

II. Verba ejus memoriâ & consideratione dignissima hæc sunt: *Non est morbus animæ, cui his floribus mederi non possis. Collige tantùm folia florum florentis IESV, stillas sanguinis rubicundi, & tanquam pilulas* SINE QUIBUS ESSE NOLO, *in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum sapor & odor,* in medicinam salubrem, *morbos, si qui fuerint, repellentem, venturosq; cavientem. Vide tantùm, ne unquam sine illis esse velis, quæ verè nomen habent, quolibet fideli dicente, sine quibus esse nolo.*

III. Omninò igitur fas foret, ut panaceam hanc spiritualem religiosâ meditatione vulneribus conscientiæ potiùs applicare: quàm scrupulosâ disputatione hinc atque indè agitare niteremur.

IV. Sed non licet (proh dolor!) per Hostes illos Majestatis Hominis JESU CHRISTI, Calvinianos, qui quantum quidem in ipsis, panaceæ vel ambrosiæ illius divinæ dulcorem melleum, in amorem felleum convertere saragunt. N3

V. Quomodo autem? Dum, planè excluso τῷ Λόγῳ, solam-duntaxat humanam ejus naturam passam & mortuam esse contendunt. *Calvinistarum opinio impia.*

VI. Ac ne quis fortè suspicetur, opinionem hanc abominabilem illis, à nobis odiosè affingi: placet utique, plenioris fidei gratiâ, unum atq; alterum eorum *διπτοφώνως* audire:

Danæus in Exam. Chemni. p. 24.

CHRISTVS homo mortuus est pro nobis, id est, Natura tantùm *illa* CHRISTI *humana, quæ non per se in separata hypostasi: sed in ipsa una* CHRISTI *persona consideratur, mortua est.*

Spindlerus (itemq; *Matthias Martinus* in spic. fol. 184.)

pag. 164. & 184.

Humana natura tantùm mortua est: tota verò persona per mortem abolevit eum, qui mortis habet imperium.

Herbornenses Rudim. lib. 2. p. 100.

Humana CHRISTI *natura* tantùm *mortua est, non deitas, non tota persona.*

VII. Ejusdem impietatis flosculos legere licet, in (*a*) Admonitione *Neostadiensium,* apud (*b*) *Sadeelem,* (*c*) *Martyrem, Pezelium* An-

haldinos & alios, qui à loco, ubi CHRISTUS crucifixus est cognomen adepti ſuum.

(a) *Apol. f. 246. 247.* (b) *de veritate nat. hum. pag. 88. & 109.* (c) *in Dial. pag. 10.*

Syllogiſmus ἀναπόδεικτος Cardinalis.

IIX. Nos contrà in aciem talem producimus Syllogiſmum Catholicum & Cardinalem:

Quicquid non modò ſaniori Philoſophiæ repugnat: ſed Sacroſanctæ etiam Theologiæ pluribus modis adverſatur: id falſum eſt & repudiandum. Atqui tale eſt dogma iſtud Calvinianorum, de paſſione ac morte CHRISTI.

Ergò.

IX. Circa probationem *Minoris duo* veniunt aſſerenda, *unum* eſt, quòd dogma illud ſit *ἀφιλόσοφον*: *alterum* quod idem pluribus modis *ἀθεόλογον*.

X. Quòd *ἀφιλοσόφων*, vel tyronibus etiam conſtat, qui nôrunt quippe: *Actiones & paſſiones eſſo ſuppoſiti vel perſonæ.*

XI. Unde *Scaliger* eleganter & eruditè: *Homo eſt, qui intelligit, non anima. Intelligit autem per animam.*

Exerc. 307. ſect. 36.

XII. Quòd idem pluribus modis *ἀθεόλογον*, hoc oſtendemus Proſyllogiſmo.

Proſyllogiſmus 4. μέσοις conſtans.

Quicquid I. non modò caret Scripturæ fundamento, II. ſed manifeſtè contradicit Scripturæ, & III. inſuper Neſtorianiſmum ſtabilit, IV. omnemq; virtutem meriti CHRISTI *evacuat: id omnino eſt ἀθεόλογον. Atq; tale eſt dogma Calviniſtarum, quo ſolam humanam* CHRISTI *naturam paſſam ac mortuam eſſe ſtatuunt. Ergo.*

XIII. *Quatuor μέσα* iſthoc Syllogiſmo continentur, quorum ſingula ordinè ac diſtinctè aſtruemus.

XIV. I. Quòd dogma illud Calviniſticum *careat Scripturæ fundamento*: tamdiu firmum ac certum fuerit, donec Antagoniſtæ clara ac perſpicua Scripturæ protulerint teſtimonia, quibus *ſolam* humanam CHRISTI naturam paſſam ac mortuam eſſe doceant atq; demonſtrent.

1. μέσον.

XV. Dicunt quidem Patres humanam CHRISTI naturam paſſam ac mortuam eſſe: ſed hanc ſolam paſſam ac mortuam eſſe excluſo *τῷ λόγῳ* nullus ſcripſit vel dixit unquam.

16. Quan-

XVI. Quando verò humanam CHRISTI naturam passam & mortuam esse dicunt: eam utiq; non considerant διῃρημένως vel à DEITATE separatam: sed ἡνωμένως vel unitè τῆς θεότητος, καὶ συνδεδωκυίας τῇ ἀνθρωπότητι, καὶ συνδοκούσης εἰς τὰ ἔυλογα, interprete (d) *Damasceno* & Epiphanio.

(d) *lib. 3. Ὀρθ. πίς. cap. 16. & 18.*

XVII. Et quanquam Scriptura, quando de passione, & morte CHRISTI sermocinatur, particulis utitur (e) διορισικαῖς ἢ ἀφαιρετικαῖς vel explicitè adjectis, vel implicitè subintellectis: ex tamen non sunt ἢ χωρισικαὶ ἢ ἀναλυτικαί, adeoq; passionem ac mortem CHRISTI *non ita* restringunt ad solam humanam naturam, ut personam CHRISTI indè excludant: sed ostendunt saltem, secundum utrius naturæ proprietatem passio ac mors CHRISTI de ipso enuncientur.

e) *1 Pet. 3, 18. c. 4. 1. Eph. 2, 14. Col. 1, 22.*

XIIX. Quapropter in ijsdem enunciationibus loco subjecti ponitur *non* nomen *naturæ*: *sed* nomen *personæ* in concreto.

XIX. II. Quòd delirium, illud *contradicat Scripturæ*, exinde liquet, II. μέσον. quòd ea de passione ac morte Christi loquens, semper illas referat ad personam ejus, & utatur non solùm nominibus personæ: sed etiam *Naturæ DIVINÆ in concreto*.

Act. 3. PRINCIPEM VITÆ interfeciſtis.
Act. 20. DEVS acquisivit Ecclesiam SANGVINE SVO.
Rom. 5. Reconciliati sumus DEO per mortem FILII EIVS.
Rom. 8. DEVS PROPRIO FILIO non pepercit: sed pro nobis Omnibus TRADIT ipsum.
1. Cor. 2. DOMINVM GLORIÆ crucifixerunt,
Gal. 2. FILIVS DEI tradidit SEMETIPSVM pro me.

XX. Nos indè tale nectimus argumentùm:

Si DEVS vel FILIVS DEI passus est: ergo non sola humanitas CHRISTI,
Sed DEVS & FILIVS DEI & viceversâ passus, teste Scripturâ in locis jam allegatis. Ergo.

XXI. Patet item ex dictis Scripturæ jam adductis obiter, meritò explodendam esse dissimulationem Theodoreti, qui propositionem hanc, *Deus est passus*, rejecit, vanissimo phraseως ἀγεάφε prætextu:

διὰ τῆ θείᾳ γραφῆ ταύτῃ ἐχ' ἑυρήκαμεν τὸν θεὸν λόγον, πεπονθέναι σαρκὶ: ἡ γραφὴ ἑδαμοῦ τῆ θεὸς προσηγορίᾳ τὸ πάθος σωέζωξεν.

Dial. 3.

XXII. Adhæc talia sanè effecta (*f*) CARNI & (*g*) Sanguini CHRISTI in Scriptura tribuuntur, quæ non ex naturæ carnis & sanguinis proprietate profecta: sed ex personali unione, cum τῷ Λόγῳ, qua, caro CHRISTI, ut cum *Cyrillo* loquamur, in *conditionem assumentis eam translata est, & ad virtutem ejus conscendit*, vel ut (h) *Damascenus ait, Divinis operationibus dicata est.*

(*f*) Joh. 6. Panis, quem ego dabo, CARO mea est, quam ego dabo PRO MUNDI VITA. Eb. 2. Posteaquam igitur pueri commerciũ habent, cum CARNE & SANGUINE & ipse similiter particeps factus est EORUNDEM, ut per mortem ABOLERET eum, *qui mortis* habebat imperium, h. e. DIABOLUM, &c.

(*g*) Act. 2. DEUS ACQUISIVIT Ecclesiam suam (διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος) PER sanguinem suum.

1. Joh. 2. SANGUIS JESU CHRISTI Filij DEI EMUNDAT nos ab omni peccato.

Hebr. 9. Quantò magis Sanguis CHRISTI PURGABIT conscientiam vestram A MORTUIS OPERIBUS.

(*h*) lib. 3. ὀρθ. πίς. c. 19.

XXIII. Quo jure igitur τὸν Λόγον omnimodè excluseris à passionis opere; præsertim cum constet ex *Canone concilij Chalcedonensis*: *In officio Mediatoris utramq; naturam agere quod suum est*, Sed cum communicatione alterius.

XXIV. Etsi enim ὁ Λόγος per se & ἀυτοφυῶς ἀπαθὴς: orthodoxè tamen *dicitur & docetur*, quòd passus sit in carne, quæ æquè ipsi *propria personaliter*, ut Divinitas ipsius *essentialiter*; & proinde caro ejus, *non est sui ipsius caro*: sed caro ipsius τοῦ Λόγου, in *hujus & non* in *suo* supposito (est enim ἀνυπόστατος) subsistens & patiens.

XXV. Quomodo autem? Non accipiendo ab humanitate passionem: sed potiùs seipsum communicando humanitati, & non tantùm eam sustinendo ejusq; obedientiam & passionem σωτηρίαν δοκίᾳ sua complectendo: sed etiam victricem ei virtutem largiendo, simulq; faciendo τὰ πάθη σωτήρια καὶ ζωοποιὰ, ut habent iterum *Damasceni* verba *lib.* 3. ὀρθ. πίς. c. 15.

26. Ire-

XXVI. Irenæus gnomè hac verè aureâ rem isthanc comprehendit:

Lib. 3. c. 21. ex Theodoreti Dial. 3.

ὅπερ γὰρ ἐν ἀνθρωπος, ἵνα πειρασθῇ· ὅτω καὶ λόγος ἵνα δοξασθῇ, ἡσυχάζοντος μὲν τῷ λόγῳ ἐν τῷ πειράζεσθαι, καὶ σταυροῦσθαι, καὶ ἀποθνήσκειν: συγκινουμένῳ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ᾧ νικᾶν καὶ ὑπομένειν, καὶ χρηστεύεσθαι, καὶ ἀνίστασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι.

XXVII. III. Quòd blasphema Calvinistarum opinio *Nestorianismum stabiliat*, nemini potest esse ignotum, nisi cui impia hæc illius vox, χριστολύτου ejus testis locuples, ignota fuerit: 3. μέσων.

Noli gloriari Iudæe. Non enim DEVM sed HOMINEM crucifixisti.

Cassiodor.

Cassiodorus in Hist. Trip. lib. 12. c. 4.

XXIIX. Multò rectius Theander *Lutherus*:

Actiones & passiones tribuendæ sunt personæ, etsi earum origo est, ex proprietatibus distinctis.

XXIX. IV. Quòd deniq; Calviniani omnem *meriti* CHRISTI *virtutem evacuent*: hoc Syllogismo evincimus: 4. μέσων.

Meritum & Λύτρον CHRISTI pro peccatis totius Mundi oportet esse precij & Virtutis infinitæ.

Atq; passio & mors CHRISTI, *si soli naturæ* CHRISTI *humanæ excluso τῷ Λόγῳ, vindicatur, non est infiniti pretij & virtutis, sed virium duntaxat humanarum, quæ non possunt esse infinitæ.*

Ergo.

XXX. Animadverterunt id orthodoxi Patres, ideoq; pias admodum & memorabiles posteritati reliquerunt sententias, quarum unam atq; alteram adscribere placet:

Cyrillus ad Reginas.

Si Immanuel communis homo fuisset, quomodo utilis fuisset hominis mors? salvavit autem mors CHRISTI. MORIENS ENIM NATURA DEVS EST & PROPRIVM *ejus corpus fuit, quod oblatum est.*

Epiphanius lib. 3. Tom. 2. κατὰ Δημοειτῶν.

Patiens carne non divisa seu separata erat Divinitas & humanitas: sed σωλῶν unà erant divinitas & humanitas, cum in cruce passus est

CHRISTVS *carne, Deitas verò impaſsibilis manebat, ut juſtificationem non* IN CARNE *ſolum haberemus: ſed in* DIVINITATE *&* CARNE κατ' ἀμφοῖν *ſecundum utramq; naturam* SALVS NOBIS *contingeret.*

Idem ibidem.

Paſsio in Deitatem non incidit: ſed in humana natura facta eſt. Non relata eſt autem ad humanam naturam ſolam, (*ut ne impleretur in ſalutis diſpenſatione illud dictum: Maledictus omnis qui ſpem habet in homine*) *ſed reputata etiam eſt* ad deitatem, *cum Deitas non ſit paſſa, quò in Deitate reputetur ſanctæ Dei Eccleſiæ paſsionis ſalus.*

Idem in Ancorato:

Τὸ παθὸν τῆς σαρκὸς ἰδιοποιηθὲν τῇ θεΐ φορᾷ μένης ἐλογίθη εἰς τὴν θεότητα, ἵνα ἐν τῇ θεότητι ὑμῖν ἡ σωτηρία γένηται.

Concluſio. XXXI. Quibus ita propoſitis & expoſitis: ultrò apparet quàm falſa ſit & impia Calviniſtarum de paſſione ac morte CHRISTI opinio; cujus fons & ſcaturigo non alia, quàm quòd Neſtorianiſmo faventes & naturarum & proprietatum communicationem veram ac realem negant.

XXXII. Et ſic in illis quoq; veriſſimum deprehenditur iſtud Philoſophi:

Ενὸς ἄκρου δοθέντος συμβαίνει τἄλλα.

Nec non illud alterum:

Τὸ μικρὸν παραβλαβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισαμένης γίνεται πόρρω μυριοπλάσιον.

XXXIII Legatur *Liber Chriſtianæ Concordiæ*, Articulo VIII. qui eſt de Perſona CHRISTI *fol. m 607. 608. item fol. 770 & ſeq.* nec non *Lutherus Tom. III. Ien. Germ. in Conf. Majore fol. 455. & ſeq.*

XXXXIV. Nos hunc ſaltem paragraphum inde huc adſcribimus, quo protritæ Calviniſtarum objectioni occurrit:

Ob nun hie die alte Wettermächerin Fraw Vernunfft/der Alleoſis Großmutter ſagen würde/ Ja die Gottheit kan nicht leiden noch ſterben/ Soltu antworten/ Das iſt war/ Aber dennoch weil Gottheit vnd Menſchheit in CHRISTO eine Perſon iſt/ So gibt die Schrifft **vmb ſolcher Perſönlicher Einigkeit willen**/ auch der Gottheit/ alles was der Menſch-

Menschheit widerfehret/vnd widerumb/vnd ist auch also in der Warheit/ Denn das mustu ja sagen/ Die Person (zeige CHRISTVM) leidet/ stirbet/ Nu ist die Person warhafftiger Gott/ Darumb ists recht geredt/ Gottes Son leidet/ Denn ob wol das eine Stück/ (das ich so rede) als die Gottheit nicht leidet/ So leidet dennoch die Person/ welche GOTT ist/ am andern Stücke/ als an der Menschheit.

vide plura k/l memia L 3. ni seq.

IX. PROBLEMA.

An CHRISTVS pro damnatis etiam passus ac mortuus?

XXXV. *Affirmativam* istius ζητήματος Catholica *Ecclesiæ* Ades statuit, adeoq; CHRISTUM æquè pro damnatis atq; pro electis passum ac mortuum esse, constanter asseverat. *Sententia Calvinianorum.*

XXXVI. Nonnulli verò ex *Calvinianis Negativam* tuentur, sicut hæc propria eorum testimonia perspicuè confirmant.

Beza in Colloq. Mompelg f. 514.

Num verò CHRISTVS totius Mundi peccata sustulit, ut vos de SINGVLIS hominibus interpretamini? Et certè nobis INTOLERABILIS vox vestra visa est: CHRISTVM esse mortuum pro DAMNATIS.

Idem Respon. 2. ad act. Colloq. Momp. p. 221.

Iterum dico, & coram tota Ecclesia DEI profiteor; falsum, blasphemum, impium esse dicere CHRISTVM sive, quod ad DEI consilium attinet, sive quoad effectum, non minus pro damnatorum, *& æterno judicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse & satisfeciſſe, quàm pro peccatis Petri, Pauli & aliorum Sanctorum, & scriptis affirmare.*

Piscator in Dispnt. de Prædest.

NON PRO SINGVLIS mortuus est CHRISTVS: sed TANTVM pro ALIQVIBVS.

Item:

CHRISTVS pro SOLIS electis mortuus est.

XXXVII. Nos errori vel furori potius huic Calvinistico ex adverso

Refutantur Calviniani bifariam.

verſo obtendimus tum *Teſtimonia*, tum *Argumenta* Scripturæ è qua ſola omnes Hæretici ſufficienter refutari poſſunt.

XXXIIX. *Teſtimonia* è Scriptura hæc accerſantur:

I. Teſtimon. Scripturæ.

Rom. 14. *Ne cibo tu illum* PERDAS, *pro quo* CHRISTUS MORTUUS *eſt.*

1. Cor. 8. PERIBIT *frater, qui infirmus eſt, in tua ſcientia, propter quem* CHRISTUS *fuit* MORTUUS.

Hebr. 10. *Quantò putatis pejoribus afficietur* SUPPLICIIS, *qui* FILIUM DEI *conculcârit, &* SANGUINEM *Teſtamenti, ceu rem profanam habuerit,* PER QUEM FUERAT SANCTIFICATUS.

2. Pet. 2. MERCATUM (*ἀγοράσαντα*) *eos* DOMINUM *negantes accerſentes ſibijpſis celerem* INTERITUM (*ἀπώλειαν.*)

XXXIX. Sed *excipiunt* Adverſarij, ex alijs maximè *Piſcator* ille Veteranus, audaciâ & impudentiâ planè execrandâ, & plus quàm Satanicâ, hæc Scripturæ loca, non de *ipſa rei veritate* ſive *facto*: ſed *tantùm ſecundùm judicium ſive opinionem hominum*, adeoq; non *κατ' ἀλήθειαν*: ſed *κατὰ δόξαν* intelligenda eſſe.

XL. Sed quid eſt totam totius Scripturæ autoritatem uno impetu convellere & certitudinem ejus omnem evertere, imò Cœlum Terræ, & Terram Cœlo permiſcere, inq; unum chaos confundere omnia, ſi hoc non eſt?

XLI. Et quis deinde ſacris è literis Analyticæ veritatis *ἀποδείξεις*, & non potiùs Topicæ probabilitatis *ἐπιχειρήματα* extrui & confici dixerit?

XLII. Imò ſic dictis modò allegatis *ψευδεπιγραφίαν* Calviniſticam intrudes: eo ipſo utiq; nervum & vim omnem argumentorum, quò illa tendunt, indè extrudes ilico.

XLIII. Nervus enim iſte in eo conſiſtit unicè, quòd & illi qui pereunt, redempti, unde fiat, ut, qui vel illis, vel ſibijpſis perditionis creant, eo ipſo graviorem reatum contrahunt.

II. Tria Argumenta.

XLIV. Et hactenus quidem fuerunt Scripturæ teſtimonia: *Argumenta* ex eâdem plura adduci poſſent: ſed ſufficiant, *ἐν τῷ παρόντι*, pro ratione inſtituti, hæc ſaltem *tria.*

I.

XLV. Quorum *primus* ſicformamus per *ἀπαγωγὴν εἰς τὸ ἄτοπον*: *Si CHRISTVS tantùm pro Electis, & non etiam pro Reprobis paſſus eſt & mortuus: tùm ſequitur, quod docendum & dicendum: hos non*

propter

propter incredulitatem vel propter CHRISTI *& Evangely contemtum & rejectionem, damnari.*

Sed posterius est absurdum & Scripturæ contrarium.

Ergo & prius.

XLVI. Ratio consequentiæ in *copulato* evidens est. Quomodo enim per incredulitatem dici possunt rejeciſſe Christum ij, pro quibus Christus neque passus neq; mortuus, ac proinde nihil quicquam eos attinuit?

XLVII. Sublato namq; & negato *objecto correlato*, id est Christo, suo cum merito: Fidem utiq; & incredulitatem, quæ circa objectum illud occupantur, simul tolli & negari necessum est.

XLIIX. *Minori* sua Veritas ex ore Veritatis ἀμεταπτώτως constat:

Joh. 3. *Qui* NON CREDIDERIT, *jam judicatus est.*

Marc. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur,* (Syrus habet Benoni מִתְחַיֵּב in Hithpael, propria suâ culpa SEIPSUM per incredulitatem reum facit æternæ condemnationis.

XLIX. Reprobi enim, ἀνεγκλήτως cum Scriptura loquendo, non damnantur primariò propter peccata, quippe quæ sanguine CHRISTI expiata: sed propter incredulitatem, (*i*) qua sacrificium illud CHRISTI expiatorium respuunt, (k) *extra quod non amplius pro peccatis est hostia, nihilq; restat aliud, quàm formidabilis quædam expectatio judicij,* (i) *Actor. 13. 46.* (k) *Hebr. 10. 26. 27.*

L. II. Ex *praxi DEI* hunc in modum extruimus: *Si DEVS Reprobis etjam per prædicationem Verbi, Meritum FILII offerri curat: pro ijs utiq; & hic mortuus. Sed curat Reprobis æquè atq; Electis istud offerri. Ergo FILIVS DEI æquè pro reprobis mortuus est atq; pro Electis*

LI. Firmitudo nexus in *copulato* satis est conspicua. Aliàs enim sequeretur, DEUM esse Archihypocritam, quo nihil magis impium & in Deum (l) *absq; ullâ iniquitate justum & rectum*, contumelioſum dici & cogitari potest.

(l) *Deut. 32. vers. 4.*

LII. *Assumti* veritas elucet ex Actis Apostolorum, *cap. 7. vers. 51. 52. cap. 13. 46. 47.*

LIII. III. Iterum *ab absurdo* ita concludimus:

Si DEVS FILIVM non etjam Reprobis destinavit Redemptorem:

sequitur eum esse προσωποληπτην, *adeoque Reprobis absoluto quodam odio Redemptionis beneficium invidisse. Sed hoc utrumque est absurdum. Ergo.*

LIV. *Copulatum* suâ luce radiat. *Assumpti* absurditas quo ad *prius* membrum ex ijs Scripturæ locis patet, quibus (m) ἀπροσωπολη-ψία DEI celebratur: quoad *posterius* verò membrum inde, quòd ad hunc usque diem ne Syllabam proferre potuerunt Adversarij, qui absolutum DEI odium, vel ad speciem saltem, probare & colorare valeant.

(m) *Deut.10, 17. 2. Paral. 19, 7. Iob. 34, 19. Sap. 6, 8. Eccles. 35, 15. Esa. 11, 3. Matth. 22, 16. Marc. 12, 14. Luc. 20, 21. Actor. 10, 34. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. Eph. 6, 9. Coll. 3, 24. 1. Petr. 1, 17.*

LIV. Contrarium de DEO Scriptura testatur non uno in loco, ut maximè:

In V. T. Ezech. 18, 23. 31. cap. 33, 11. Sap. 11, 24.
In N. T. Iohan. 3, 17. 1. Tim. 4, 2. Petr. 3, 9.

ἀποδίωξις. LV. Ceterùm quæ contrà afferunt & oggerunt sophismata, pleraq; omnia laborant *partim* vitiosâ Electorum & cæterorum hominum oppositione: *partim* perpetuâ Meriti CHRISTI & applicationis illius confusione, *partim* elencho τῷ ἑπομένῳ, συμπερασμάτῳ & τῷ πᾶσα καὶ ἁπλῶς.

LVI. Nolumus itaq; ijs refutandis inhærere, præsertim cum multi ex Zvvinglio-Calvinianis in asserendâ universalitate meriti Christi planè nobis sint ὁμόφρονδοι, ut:

1 Zvvinglius *in cap. LIII. Esaiæ.* & in 1. Johan. cap. 2.
2 Gualtherus *in Can. Iohan. fol. 33.*
3 Bullingerus *in 2. cap. Iohan. in Epist. ad Colossenses fol. 478. ad Eph. f. 408. & alibi.*
4 Musculus *in Loco de ira* DEI *fol. 508.*
5 Hemmingius *in 1. cap. Iohan.*
6 Pelicanus *Tom. 3. fol. 65. & alij.*

LVII. Reliqua huc referantur ex Disputationibus nostris in Cap. LIII. Esaiæ, Disputatio III. de Universalitate Meriti CHRISITI.

X. PRO-

X. PROBLEMA.

An CHRISTVS ὁιομένως & κατ' φαντασίαν duntaxat, an verò ὄντως & καὶ ἀληθειαν mortuus.

LIIX. *Posteriorem* propositi problematis partem in Ecclesiam olim invehere ausi sunt *Manichæi, Gnostici* δοκητὰς & ἀφθαρτοδοκήτας nugari:

Filium Dei mortuum esse κατ' δόκησιν καὶ Φαντασίαν, *ut qui habuerit corpus* ἄφθαρτον, *id est,* τῶν Φυσικῶν καὶ ἀλγεινῶν παθῶν ἀνεπιδέκτον, quemadmodum Acta II. Synodi Constantinopolitanæ testantur.

Prior pars Problematis VI. fundamentorũ generibus astruitur.

LIX. *Priorem* verò partem Ecclesia CHRISTI amplectitur universa, his jam sequentibus Scripturæ Divinitus inspiratæ innixa fundamentis.

LX. Quorum *primum* constituunt Scripturæ *phrases*, quibus in describendâ morte CHRISTI utitur partim in *Veteri*, partim in *novo Testamento*.

LXI. E *Veteri* Testamento maximè huc pertinet *gemina* phrasis *Esaiæ cap. 53.*

LXII. *Prima* est, quòd dicitur perindè ut & *Daniel. cap. 9. v. 26. abscissus è terra viventium*, id est, ex hac vita in illam alteram translatus, non miraculosâ μεταθέσει sed violenta ἀποθέσει, planè ut de Ieremia legitur. *Ier. 11, 19. Gen. 5, 22. 2. Reg. 2, 11. Hebr. 11, 5.*

LXIII. Per terram enim viventium hæc præsens vita notatur, ut *Iob. 28, 13. Ier. 11, 19.*

LXIV. *Altera* Phrasis est, quod *traditurus in mortem animam suam.*

LXV. In Hebræo usurpatur verbum הֶעֱרָה quod *effundere*, & proinde *animam à CHRISTO effusam*, & per mortem verè à corpore solutam fuisse, significat.

LXVI. In *Novo* Testamento idem quoque insinuant phrases Evangelistarum, quibus mortem CHRISTI φιλοφρονικῶς designant.

Matth. cap. 27, 50. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.
Marc. 15, 36. & Luc. 23, 46. ἐξέπνευσε.
Ioh. 19, 30. παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

LXVII. Eodem ſpectat emphatica hæc ipſius CHRISTI ſententia.

Ioh. cap. 10. ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου.

LXIIX. Exquibus omnibus rectiſſimè colligitur & infertur, quòd mors CHRISTI ſit. עֲרִיָה vel עֵרָה *effuſio* ἄφεσις, παράδοσις, ἧσις *animæ vel ſpiritus ejus.*

LXX. In Syllogiſmum ſi quis ea redigi poſtulaverit, talem expromimus è definitione mortis:

Cujuscunque anima & corpus diſſoluta invicem: is verè ac propriè mortem obijt.

Atqui CHRISTI anima & corpus diſſoluta fuerunt invicem.

Ergò CHRISTVS verè mortem abijt.

2. LXXI. *Secundum* fundamentorum genus peti poteſt, ex *typis* ſacrificiorum, quibus mors CHRISTI præfigurata, ut boum & aliorum animalium, quæ cædi & mactari oportuit.

3. LXXII. *Tertium Sepultura* CHRISTI ſuppeditat, de qua ritè ac ſciteè *Tertullianus*:

Non ſepultus niſi mortuus.

4. LXXIII. *Quartum* depromimus è *Reſurrectione CHRISTI*, quæ ab ipſo definitur, λῆψις, vel potiùs παλιν-λῆψις, aut ἐπανάληψις τῆς ψυχῆς.

Iohan. cap. 10. verſ. 17.

5. LXXIV. *Quintum* ducimus *ex Axiomate Apoſtolico ad Rom. 5. Stipendium peccati mors eſt*, tale iſthinc conficientes argumentum:

Quicunq; totius mundi peccata in ſe ſuſcepit expianda: eum omninò verè ac realiter mori oportuit,

Atqui CHRISTVS totius Mundi peccata in ſe ſuſcepit expianda, Eſaiæ cap. 53, 56, Ioh. 1, 29. 2. Cor. 5, 21. Ergo.

6. LXXV. *Sextum hac ratione* comprehendimus:

Si CHRISTUS non verè ac realiter paſſus & mortuus: ſequitur nec nos verè ac realiter redemtos eſſe,

Sed iſtud eſt abſurdum,

Ergo & illud.

LXXVI. Viderint Calviniani quàm longè abſint ab hac impia abſurditate & abſurdâ impietate, dum DEUM non verè ac

realiter: sed vel φαντασίᾳ, vel *verbaliter tantùm & nominetenus* saltem passum esse garriunt.

Admonit. Neostad. pag. 250. Martinius pag. 22. & 25. spic.

LXXVII. Nos, Coronidis loco, superaddimus hæc Antiquitatis apophthegmata.

Ignatius ad Trallianos.

Verè condemnatus est & crucifixus, non opinione, non phantasiâ, non impostura.

Irenæus lib. 3. adversus hær. cap. 20.

Si non verè passus est CHRISTVS, *nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio: & nos, cum incipiemus verè pati, seducere videbitur, jubens nos vapulare & alteram maxillam præbere, si ipse illud non prius in veritate passus est.*

Theodoretus dialogo 3.

Σῶμα καὶ ψυχὴν δέδωκεν ὁ ποιμὴν ὁλὸς ὡσὲ
Τῶν ψυχὴν καὶ σῶμα ἔχοντων προβάτων.

προσδιαλειπόμενα *pertinentia*

ad VIII. Problema ex Patribus & LUTHERO.

Cyprianus.

Divina FILII DEI virtus velut hamus quidam erat, habitu humanæ carnis obtectus, ut à serpente Leviathan devoratus, per illam passionis ac mortis infirmitatem, caperet, & superaret fortem illum armatum.

Primasius ad cap. 3. Epist. ad Rom.

DEUS enim est, qui patitur; DEUS est, qui sanguine nos non emit, quia per naturam ipsius eramus, sed redemit quia captivi.

Lutherus Tom. 3. Ien. Germ. fol. 455.

Du aber/ lieber Bruder/ solt an stat der Allœosi das behalten/ weil JESUS CHRISTUS warhafftiger GOTT vnd Mensch ist/ in einer Person/ So werde an keinem ort der Schrifft/ eine Natur für die ander genommen/ Denn das heist er Allœosin, wenn etwas von der Gottheit CHRISTI gesagt wird/ das doch der Menschheit zustehet/ oder widerumb/ als Luc. ult. Muste nicht CHRISTUS leiden/ vnd also zu seiner Ehre eingehen? Hie gauckelt er/ daß CHRISTUS für

die Menschliche Natur genommen werde. Hüt dich/hüt dich/ sage ich / für der Allœosi, sie ist des Teuffels Larven / Denn sie richtet zu letzt einen solchen CHRISTUM zu / nach dem ich nicht gern wolt ein Christe sein / Nemlich / Daß CHRISTUS hinfurt nicht mehr sey / noch thue / mit seinem Leiden vnd Leben/denn ein ander schlechter Heilige/denn weñ ich das glaube / daß allein die Menschliche Natur für mich gelidden hat / so ist mir der CHRISTUS ein schlechter Heyland / So bedarff er wol selbs eines Heylands. Summa/ es ist vnsäglich / was der Teuffel mit der Allœosi sucht.

Tom. VII. Ien. fol. 150.

Ach HERR GOtt / von solchem seligen tröstlichen Artickel/ solt man vngezanckt vngezweiffelt / in rechtem Glauben jmmer frölich sein/ singen/loben/vnd dancken/ Gott dem Vater für solche vnaußsprechliche Barmhertzigkeit / daß er seinen lieben Sohn hat lassen vns gleich Mensch vnd Bruder werden/So richtet der leidige Satan / durch stoltze/ ehrsüchtige/ verzweiffelte Leute solchen vnlust an / daß vns die liebe vnnd selige Frewde muß verhindert vnd verderbet werden/ das sey GOTT geklagt. Denn wir Christen wissen / Wo GOtt nicht mit in der Wage ist / vnd das Gewicht gibt / so süncken wir mit vnser Schüssel zu grunde : Das meine ich also / Wo es nicht sol heissen/Gott ist für vns gestorben/Sondern allein ein Mensch / so sind wir verlorn / Aber wen Gottes Todt vnd GOtt gestorben in der Wageschüssel ligt / so sincket er vnter/ vnd wir fahren empor als eine leichte ledige Schüssel / Aber er kan auch wol wider empor fahren / oder aus seiner Schüssel springen. Er köndte aber nicht in die Schüssel sitzen / Er müste vns gleich ein Mensch werden / daß es heissen könte / Gott gestorben/Gottes Marter/Gottes Blut/Gottes Todt/ Denn GOTT in seiner Natur kan nicht sterben/Aber nun GOtt vnd Mensch vereiniget ist in einer Person / so heissets recht/Gottes Todt / wenn der Mensch stirbet / der mit GOtt ein ding/ oder eine Person ist.

EX

EX SYMBOLO APOSTOLICO DECADIS QUARTAE Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. JOHANNE JEGERO,

Tyrigeta.

Ad 19. Ianuarij horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

An infernus sit locus quidam subterraneus vel profundus circa centrum terrae.

Propositio I.

CIrca Articulum, de *sepultura CHRISTI* non adeò difficilia occurrunt dubia; & si quæ habent difficultatem aliquam, discussa & enucleata sunt, in Disputatione ult. *in Caput LIII. Esaiæ.* μεταβαλία per ὑπόθεσιν; διώξιν;

II. Ideoque, recto jam tramite progredimur ad articulum proximè insequentem, de *Descensu CHRISTI ad inferos*, qui vulgò Philippo Apostolo, seu potiùs S. Thomæ; ut vult (a) *Augustinus*, ascribitur, &, in *enarratione Symboli*, à *Chrysostomo* & *Cyrillo* tractatur.

(a) *Serm. 115. de tempore.*

III. Insana proinde & profana est Erasmi opinio, qui, in Explicatione Symboli, *ipsam*, inquit, *inconcinnitatem verborum arguere, ab alio quopiam intertextum Emblema*, & ut suspicatur, à Thoma de Aquino.

IV. Et de hoc sanè articulo graves motæ & agitatæ fuerunt controversiæ: tùm *olim* Patrum tempore: tum *hodie* non tantùm inter *hostes*: sed etjam *socios* Augustanæ Confessionis.

V. Quæ etjam causa fuit, ob quam sanctissimo τῆς ὁμοψηφίας Chri-

14250

Christianæ libro brevis quidem & succincta: sed perspicua tamen & luculenta ejus interserta fuit expositio Articulo IX.

VI. Antequam autem, ad præcipuas de arduo hoc Doctrinæ Christianæ capite controversias, accessum faciamus: oppidò expedit Problematis jam propositi enodationem, ὡς ἐν προθεωρίᾳ præmitti.

VII. Nisi enim primò omnium quid res sit constiterit: frustra de ea suscipitur disputatio, teste Tullio Romanæ Eloquentiæ Syrenophœnice 1. Offic.

Affirmativa Romanè sitū & nominatim Bellarm. Refutatio V. Argum. quibus Bellarm. Affirm. suam probare nititur.

VIII. Ut igitur manum admoveamus rabulæ: Jesuitæ utique & universa Romanensium colluvies Affirmativam τῶν ἀμφαγῶν amplexantur, inq; eâ obtinendâ multum & operæ & olei consumunt, sicut videre licet apud eorum πρωτοστάτην Robertum Bellarminum *lib. 4. de* CHRISTI *anima cap. 10.*

IX. Ibi enim, ut habet capitis Inscriptio, *V. argumentis* probare nititur, *Inferos esse loca subterranea.*

X. Ac *primò* quidem illud evincere laborat ex nomine inferorum, quo utuntur Scripturæ *Hebraica, Græca & Latina*

XI. E *Latina Scriptura* urget nomen *Inferni*, quod, cum significet aliquid inferius nobis, & infra nos nihil sit, nisi centrum terræ: concludit inde loca inferorum necessariò esse loca profunda & subterranea.

XII. Unde verò hæc necessitas consequentiæ? Superi & inferi, sedes beatorum, & locus damnatorum invicem opponuntur non τοπικῶς καὶ χοικῶς: sed πολιτικῶς καὶ τροπικῶς, id est, non secundùm loci sed *statûs* diversitatem, quæ non physico locorum intervallo; sed μεγάλῳ χάσματι & σπιλάδι diffinita.

Luc. cap. 16, 26.

XIII. Et quanquam Scriptura phrasibus utitur ejusmodi, quæ à rebus terrenis mutuò sumtæ: ea tamen & his ipsis, more suo, κατὰ συγκατάβασιν, ad nostrum se demittit captum.

XIV. Phrases igitur illæ non κατὰ λέξιν & ἀπὸ τρόπου intelligendæ veniunt: sed μετὰ τρόπου, adeoq; καθ' ὁμοίωσιν & ἀναλογίαν rebus extra hujus seculi conditionem constitutis convenientem, de qua *Lutherus*: *Quicquid extra Vitam hanc est: extra locum est:*

Tom. III. Ien. Lat. f. m. 272.

15. Atq;

XV. Atq; hinc ſcitè & eleganter *Auguſtinus:*

Ideò ſub terris dicuntur inferi & creduntur, quia congruenter in ſpiritu per illas corporales rerum ſimilitudines ſic demonſtrantur:

lib. 12. de Geneſ. ad lit. c. 34.

XVI. Nomen *Græcum* ᾅδης Jeſuita *primùm* oggerit ex illo Chriſti: Matth. 11. *Et tu Capernaum, quæ es usq; ad Cœlum exaltata, usq; ad inferos detraheris.*

XVII. Et ſanè quòd vocabulum ᾅδου iſthic de Sepulcro nequeat intelligi rectè infert: ſed quòd infernus locus quidam ſubterraneus nullo planè modo inde inferre poteſt; niſi quis craſſiſſimum ἐξ παρεσπομένου καὶ ἀναχολουθίας errorem ineptiſſimè errare geſtiat.

XIIX. *Deinde* arripit locum *Luc. c. 16, 23.* & divitem purpuratum in inferno fuiſſe in tormentis pugnat.

XIX. Sed abſq; hoſte. Quis enim negat Epulonis illius animam inferno fuiſſe mancipatam. Hoc verò eſt in quæſtione; An infernus ſit locus quidam ſubterraneus circa centrum terræ? Hoc probandum Jeſuitæ non illud.

XX. *Denique* affert authoritatem Chryſoſtomi, in homilijs de Lazaro, qui per infernum ſemper intelligat gehennam, nec non *Luciani* (cur non etiam Epicuri aut Diogenis Cynici?) qui in *Dialogo de luctu* dicat ἄδου eſſe locum ſub terra, itemq; *Platonis*, qui in 2. *de Repub.* dicat ἐν ἅδου δίκην δώσουσιν.

XXI. Reſpon. *Chryſoſtomi* autoritas itidem non ferit ſcopum.

Ad autoritatem *Luciani* reſpondemus: A Lucianiſmo ad Chriſtianiſmum non valet conſequentia. *Platonem* quod attinet, dicimus: dici ab ipſo: Oportere reddi rationem in inferno: quòd autem infernus locus ſit phyſicus ſub terra, non dici.

XXII. Nomen *Hebræum* שְׁאוֹל rarò vel nunquam pro ſepulcro accipi: ſed ſignificare voraginem, & ordinariè ſumi pro loco animarum ſubterraneo *quatuor* potiſſimùm Scripturæ locis demonſtrare ſatagit.

XXIII. *Primum* depromit *ex Gen. cap. 37, 35.* Sed quod שְׁאוֹל iſto in loco de Inferno nequeat accipi, ab abſurdo probari poteſt facilè.

XXIV. Sequeretur enim Jacobum Patriarcham sanctissimum existimâsse animam filij pientissimi in infernum fuisse delatam, nihilq; magis in votis habuisse; quàm ut & ipse eò sequeretur filium.

XXV. *Secundum* producit ex *Num. 16, 33.* Sed iterum plus infert Jesuita, quàm præfert.

XXVI. Quòd enim Turbatores illi *descenderint viventes in infernum operti humo*, in textu illo asseritur: Quòd autem ilthinc concludi possit ac debeat, infernum esse locum subterraneum, nullâ ratione deprehenditur.

XXVII. Quid si Ignis Cœlo delapsus eos absumsisset, & in tartarum demisisset, uti (*b*) præfectos & milites Regis Ahasiæ: an indè colligeret Jesuita, infernum esse vel in Cœlo, vel in Sphæra ignis? Apinæ! nugæ! tricæ!

(b) *2. Reg. cap. 1.*

XXIIX. *E tertio & quarto*, quorum illud ex *Psal. 139, 8.* hoc ex *Esaiæ cap. 14, 13.* affertur, apparet quidem, quòd Cœlum & infernus invicem distincta: sed quòd ratione loci & situs ita sint distincta, ut Cœlum sit supra nos: infernus verò infra nos, in meditullio Terræ: id utriq; nullo exinde pacto probari potest. NB.

XXIX. Quæ præterea hic ex *Hieronymo, Paraphraste Chaldaico, Rabinis, Calvino & Beza* congerit, interseritq; Jesuita, tantùm docent & confirmant, quòd לשאול significet infernum, id est, locum paratum & destinatum Diabolo & Angelis ejus, definiente CHRISTO, *Matth. 25, 41.*

II. XXX. Quâ in re nos sibi planè habet ὁμοψήφους. Ideò mittimus ea, & ad *secundum* ejus argumentum progredimur, quod ex vocabulo *abyssi Luc. 8, 31.* nectit contendens, abyssum esse profundam voraginem, & proinde infra terræ superficiem.

XXXI. Negatur iterum consequentia. Qua enim in Schola aut Collegio, sive in Hispania, sive in Italia didicit Jesuita, hunc in modum argumentari? Abyssus significat voraginem profundam. Infernus appellatur Abyssus. Ergo infernus est infra terræ superficiem.

XXXII. Ubi hîc forma vestra, quam tanto boatu & conatu ubiq; crepatis? In Chimæram informem transijt.

XXXIII. *Tertium* consarcinat Rhapsodus ex *Apoc. c. 5, 15.* & ad *Phil. 2, 10.* sed sufficit responsio, quæ superiùs prolata & explicata *thes.* 11, *12.* & sequentibus. III.

XXXIV. Potest eadem quoq; accommodari ad *quartum argumentum*, quod petit è Patribus, quorum nonnullos humanum quid passos esse negari nequit, & in hac maximè de inferno controversia, eos potissimùm, qui Philosophiæ Platonicæ dediti. IV.

XXXV. *Quintò* & ultimò Jesuita confugit ad naturalem rationem, quam in rebus Theologicis stultam & cœcam esse, Divinis passim literis erudimur. V.

XXXVI. Et sanè concedimus: sedem beatorum à loco damnatorum longissimè distare. Sed isthanc distantiam non Physicè aut Geometricè: sed *Analogicè & Theologicè, non ratione situs, quoad quantitatem: sed status, quoad qualitatem*, definiendam esse, ex ijs, quæ superiùs dicta & adducta sunt, satis superq; liquet. Jam superaddimus duntaxat istud Brentij: *Cum de rebus spiritualibus & cœlestibus sermo est: hæc vocabula supra & infra, usurpantur quidem ex humana consuetudine: non definiuntur autem locis: sed dignitate & indignitate, majestate & abjectione, gaudio & horrore: lætitia & tristitia.*

XXXVII. Concludimus igitur contra Bellarminum: *Infernum non esse locum naturalem subterraneum, vel profundum circa centrum terræ.*

XXXVIII. Verùm enimverò ut hæc *Negativa* nostra contra Romanensium Affirmativam, non tantùm ἀναπολογητικῶς, uti hactenus factum: sed etiam κατα πολογητικῶς asseratur: aliquot Rationes pro eâdem afferemus. III. *Rationes pro Negativa Lutheranorum.*

XXXIX. Quarum *primam* Syllogismi compedibus hoc modo astringimus:

Si in novissimo die Terra & opera, quæ in ea sunt, exurentur: tùm sequitur, quòd Infernus non contineatur in terræ visceribus.

Atqui verum prius.

Ergò & posterius.

XL. Ratio τῆς συνεχείας in *copulato*, ex eo manifesta est, quòd inferno in Scriptura æterna tribuitur duratio. *Esa. 66, v. ult. Matth. 25, v. ult. Apoc. 14, 11.*

XLI. *Assumptum* est Petri Apostolorum Principis *2 Epist. c. 3.* sicut ipse sonus verborum, quæ διατολεξεὶ inde descripta, evidenter arguit.

XLII. *Secundum* sic proponimus:

Corporibus πνευματικοῖς nec debet, nec potest assignari locus χοϊκὸς, idq; propter (d) *ἀνθυφαίρεσιν Paulinam.*

Infernus autem destinatus est corporibus πνευματικοῖς.

Ergò infernus non est locus χοϊκὸς infra terræ superficiem, igne Elementari constans, sicut Romanenses fabulantur.

(d) *1. Cor. 15.*

XLIII. *Tertiam* hujus Syllogismi fasce comprehendimus:

Quicquid in sacris literis non est revelatum: illud in Theologia nec statuendum nec credendum.

Sed ubi sit infernus, nusquam revelatum est in sacris literis.

Ergo.

XLIV. Imitemur proinde & hic modestiam Augustini, cujus hæc posteritati reliquit Symbola cedro & auro digna:

In genere:

Augustin. Epist. 78.

Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quàm falsam scientiam profiteri.

Lib. 8. de Gen. ad lit.

Malo dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.

In specie:

Lib. 20. de Civit. Dei cap. 16.

Ignis infernalis cujusmodi & in qua Mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi fortè, cui Spiritus divinus revelârit.

II. PROBLEMA.

An hæc verba: Descendit ad inferos: constituant peculiarem Symboli Apostolici Articulum à ceteris omnibus ac singulis diversum atq; distinctum?

Sententiæ Orthodoxorum.

XLV. Quòd CHRISTUS verè ac realiter ad inferos descenderit, quodq; iste descensus CHRISTI ad inferos sit articulus peculiaris Symboli Apostolici, à cæteris omnibus ac singulis diversus atque distinctus: id utique Orthodoxi ὁμοθυμαδὸν credunt & profitentur omnes.

46. Unde

XLVI. Unde *Augustinus* intrepidè & absq; ulla hæsitatione:

Quis, inquit, *nisi infidelis negaverit, apud inferos fuisse CHRISTVM?*

XLVII. Et, si descensus CHRISTI ad inferos non esset peculiaris Symboli articulus, cur ipsi peculiaris in illo locus assignatus? præsertim cùm constet, quòd Symbolon sit compendium fidei brevissimum, in quo summum vitium esset, eandem rem repeti, & quidem non clarioribus sed obscurioribus verbis.

XLIIX. Quid verò, *Heterodoxi*? Diversum sentiunt, possuntque in *tres* potissimùm classes distribui. *Opinio Heterodoxorũ triplex.*

XLIX. *Prima* classis est eorum, qui articulum istum prorsus negant, adeoq; descensum CHRISTI ad inferos interpretantur de ejusdem *Sepultura*. I.

L. In hac sententia, inter Recentiores sunt (d) *Bucerus*, (e) *Beza*, & *Piscator*, qui in versione sua Bibliorum Germanica Deceptoris sui Bezæ vestigia legens Hebræum שְׁאוֹל & Græcum ἅιδης ferè passim interpretari, ausus est Sepulcrum.

(d) *in cap. 27. Matth.* (e) *in cap. 1, 17. Act. Apost.*

LI. Hos complures ejusdem Gentis Sacramentariæ socij ἀντιφατικῶς redarguunt, veluti (e) Calvinus, (f) Sohnius & alij.

(e) *lib. 2, Instit. cap. 16. §. 8.*

(f) *Oper. part. 2. pag. 257.*

Notentur modò hæc *Aretij* & *Vrsini* testimonia:

Aretius in Probl. L. XV. m. p. 193.

Alij planè negant omnem descensum ad inferos, dicuntq; idem dici, quod prior habet sententia, sepultus est: quasi sepultum esse & descendere ad inferos idem sit. Nam cum Scheol sit sepulchrum, sequi videtur descendere ad scheol idem esse, quod sepultum esse: sed falluntur etiam hi: quod nondum probarint, hoc loco scheol etiam pro sepulchro poni.

Ursinus in Catech. m. f. 313.

Primâ significatione pro sepultura accipi non potest. 1. Quia præcedit: sepultus est. Si quis Articulum posteriorem prioris exegesin dicit, nihil dixerit. Quoties enim duæ locutiones rem eandem exprimentes conjunguntur, ita ut altera sit exegesis alterius: posteriorem priore clariorẽ esse convenit. Hic verò contrà fieret. Nã obscurius est descendere ad inferos, quã sepeliri. 2. Nõ est verisimile in hoc symbolo tàm brevi & succincto eundẽ articulũ bis poni, siquidẽ bis dicit verbis commutatis.

D. Hun.

LIII. Ad *secundam* classem referimus eos, qui descensum CHRISTI ad inferos cum articulo *de passione* ejusdem confundunt, perque inferos intelligunt cruciatus & angores plusquam infernales, quos CHRISTUS in horto & cruce, nostri causâ, sustinuerit.

LIV. Et inter hos est *Calvin.* qui in *Cap. 30. Iobi* ita commentatur: *Descendit CHRISTVS ad inferos, hoc est, angores & cruciatus omnibus peccatoribus debitos sustinuit.*

LV. Quanquam verò Sospirator noster ἀμφιβόλως tales animi cruciatus revera sustinuit; (g) attestantibus plusculis Scripturæ locis: eos tamē in Symbolo Apostolico hisce verbis: Descendit ad inferos, notari *duabus* rationibus, ex ipsa ipsius symboli Apostolici natura & constitutione, prorsus invicte demonstrari potest:

(g) *Ps. 18, 5. 6. Ps. 22, 2. Ps. 88, 4. 5. Luc 22, 43. 44. Matt. 27, 46. Act. 2, 24.*

LVI. *Priorem* suppeditat *ordo* & quidem *temporis* in enumeratione omnium Symboli articulorum præcisè observatus.

LVII. Jam verò articulus de descensu CHRISTI ad inferos *non cohæret* cum articulis de passione ac crucifixione CHRISTI, *neq;* etiam articulos de morte & sepultura ejus *præcedit*: quod omnino fieri deberet; si descensus ille nihil aliud, quàm horrendi cruciatus animæ, quos CHRISTUS nostri causa in cruce ac morte sustinuit: *sed* post illos demum *sequitur*.

LIIX. Quo jure igitur de doloribus ac cruciatibus CHRISTI exponi potest, nisi quis totam totius Symboli structuram ac fabricam uno impetu diruere & evertere velit.

LIX. Quin potiùs ex eodem fundamento περισσοτέρως colligere licet; quòd Descensus CHRISTI ad inferos non ad humiliationis: sed ad *exaltationis statum* pertineat.

LX. Tantùm abest, ut ejus notatione propriè veniant cruciatus CHRISTI, quos in morte & cum morte τέλος suum sortitos esse notum est Joh. 19, 30.

LXI. *Posterior* ratio indè dependet: quòd ut cæteri Symboli Apostolici articuli ῥητῶς intelligendi: non τροπικῶς: ita quoque hic præsens, *non* de descensu ad inferos *figuratè*: sed *propriè* sic appellato.

III. LXII. Tertia *classis* eos sibi vendicat, qui illum conjungunt cum *morte*

morte CHRISTI, asserentes virtutem ejus etiam dimanâsse ad defunctos & his profuisse.

LXIII. Agmen inter hos ducunt *Zvvinglius*, nec non *Bullingerus*, sicut ex his ejus verbis cognosci intelligiq; potest.

Simpliciùs videbimur hunc articulum intelligere, si sensérimus virtutem mortis CHRISTI etiam dimanasse ad defunctos, & his profuisse: *hoc est, propter mortem* CHRISTI *omnes Patriarchas, & fideles homines ante* CHRISTI *adventum mortuos, ab æternâ morte servatos esse.*

(g) *in expositione fidei Christianæ.*

LXIV. Sed ij ijsdem rationibus, quibus proximæ classis assecłæ facilè nulloq; negotio confundi & obtundi possunt.

LXV. Nos ἐκ τῆς παρρησίας, utrisq; opponimus suæ factionis socium non incelebrem *Aretium*, qui, quoad hanc doctrinæ hujus partem, ἀλογωτέρως noster est.

LXVI. Ita enim expresè scribit:

Quare mea est sententia, CHRISTVM *descendisse ad inferos; postquam tradidisset Spiritum in manus* DEI *Patris in cruce: Nam in Symbolo hic ordo servatur, ut quæ tempore præcessère, tempore succedant: dico de ijs, quæ* CHRISTI *personam attinent.* In Probl. LXV. m. f. 198.

LXVII. Videatur *Lutherus* in *Enarratione Psal. 16.* ubi graviter objurgat eos, qui descensum CHRISTI ad inferos de effectu saltem exponunt.

LXVIII. Cæterùm, quòd Heterodoxi obtendunt autoritatem *Russini* vel Cypriani *potiùs*, qui testantur: particulam illam, de descensu CHRISTI ad inferos, in Symbolo Ecclesiarum Orientalium, & Romanæ etiam non legi: responsio facilis est & expedita. *λύσις objectionis.*

LXIX. Quamvis enim particula ista hæc *alicubi* non extiterit in Symbolo: non tamen protinus inferre licet, quòd ea *nullibi*, in illo reperta & lecta fuerit.

LXX. Et si hæc ratio aliquid ponderis habet: cur non pari ratione tollentur è Symbolo, vita æterna, Ecclesia Catholica, sepultura CHRISTI, &c. quæ singula multis in Symbolis omissa esse, vulgò notum?

PRO-

III. PROBLEMA.

An sola tantùm anima CHRISTI *descenderit ad inferos: an verò totus* θεάνθρωπος *secundùm utramq; naturam, Divinam & humanam hancq; integram, atq; adeò non tantùm ratione animæ: sed etiam corporis?*

Heterodoxi astipulantur priori parti

LXXI *Priori* istius Problematis parti subscribunt *Heterodoxi*, tum *Veteres*: tum *Recentes*.

LXXII. *Veteres* sunt Patres non pauci tùm (h) *Græci* (i) tùm *Latini*.

(h) 1 *Athanasius de incarnatione* CHRISTI.
2 *Epiphanius in Ancorato & hær. 69.*
3 *Cyrillus de recta fide ad Theodos. Imperatorem.*
4 *Damascenus lib. 3. ὀρθ. πίς. c 29.*

(i) 5 *Augustinus Epist. 77. & 99. itemq; Epist. quæ est 57.*
6 *Vigilius lib. 2. contra Eutych.*
7 *Fulgentius in libr. ad Thrasymundum & alij.*

LXXIII. Inter *Recentes* sunt partim *Romanenses*: partim *Calviniani*.

LXXIV. *Romanensium* causam maximè agit *Bellarminus* Sedis Apostaticæ Rabula juratissimus.

Lib. 4. de anima CHRISTI *c. 15.*

LXXV. E *Calvinianis* sistimus *Petrum Martyrem*, qui suam mentem his verbis exponit:

Caro CHRISTI *post mortem sepulta, significavit peccatum nostrum coram* DEI *tribunali veluti sepultum esse: Quantum ad* animam *ipsam attinet: statim atq; è corpore excessit, non mansit ociosa: verùm* descendit ad inferos.

Orthodoxi tenent partẽ posteriorem propter IX. rationes.

LXXVI. *Posteriorem* verò *partem* amplectuntur & defendunt *Orthodoxi*, cum rationes pro ipsis urgentissimas tanquam armatas legiones in acie stare videant circa circum.

LXXVII. *Prima* est τὸ ῥητὸν in omnibus ac singulis Symboli Apostolici articulis.

LXXIIX. *Secunda:* ἀναλογία cæterorum articulorum, qui omnes de toto CHRISTO θεανθρώπῳ naturam loquuntur.

LXXIX. *Tertia*: axiωma Theologicum. *Actiones non sunt Naturarum: sed totius personæ.*

80. *Quæ-*

LXXX. *Quarta*: Indissolubile personalis duarum naturarum unionis vinculum. *Damasc. lib. 3. ὀρθ. πίς. c. 29.*

LXXXI. *Quinta*: ἀνπιςροφὴ articuli de ascensione, *Ephes. 4, 9. 10.*

LXXXII. *Sexta*: Status Exaltationis, ad quem Descensum CHRISTI pertinere; non modò ejus, in Symbolo, unâ indivisâ periodo cum Resurrectione CHRISTI, combinatio: sed insuper etiam clarissima (*k*) Scripturæ testimonia perspicuè confirmant.

(k) *Oseæ 13, 14. Eph. 4, 9. 10.*

LXXXIII. *Septima*: Confessio Libri Concordiæ, cujus summa hæc est:

Simpliciter credimus, quòd tota persona DEVS & homo, post Sepulturam, ad inferos descenderit, Satanam devicerit, potestatem inferorum everterit, & Diabolo omnem vim & potentiam eripuerit.

Art. 9.

LXXXIV. *Octava*: συγκαταψηφισμὸς venerandæ Antiquitatis, ut maximè

Ignat. Epist. ad Trall.
Iren. lib. 5. c. 31.
Hilar. in Psal. 53.
Basil. in Psal 44.

LXXXV. *Nona* autoritas *Lutheri in Concione* Torgæ in templo arcis habitâ, Anno 33. quò etiam Liber Concordiæ nos remittit, *Tom. VI. Ien. m. f. 76.* itemq; *in Postilla domestica in Sabbatho Paschæ.*

LXXXVI. Nos brevitatis studio, huc saltem unicam adscribimus sententiam valdè præclaram & illustrem:

Wir aber sollen solche vnnötige frage fahren lassen / vnd schlecht einfeltiglich vnser Hertz vnd Gedancken / an die Wort deß Glaubens hefften / vnd binden / welcher saget: Ich gläube an den HERRN CHRISTVM Gottes Sohn / gestorben / begraben / vnd zur Helle gefahren / das ist / **an die gantze Person / GOTT vnd Mensch / mit Leib vnd Seele vngetheilet** / von der Jungfrawen geboren / gelidden / gestorben vnd begraben ist / Also solt jhrs hie auch nicht theilen / sondern gläuben vnd sagen / das derselbige CHRISTVS

GOtt vnd Mensch/in einer Person/ zur Helle gefahren/ Aber nicht darinne blieben ist/ Wie Psalm 16. von jhm sagt/ Du wirst meine Seele nicht in der Helle lassen/ Noch zugeben/ das dein Heiliger die verwesung sehe. Seele aber heisset nach der Schrifft Sprache/ Nicht wie wir/ ein abgesondert Wesen/ vom Leibe/ sondern den gantzen Menschen/ wie er sich nennet den Heiligen Gottes.

LXXXVII. Cæterùm *quomodo* CHRISTUS ad inferos descenderit, id relinquimus Divinæ *Sapientiæ*, memores ac studiosi Christianæ *modestiæ*, quam nobis commendavit Liber Concordiæ, suoq; exemplo Megalander Lutherus:

Tom. VI. Ien. fol. 76. 77.

Postilla Domest. Conc. in Sabbatho Paschæ.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS QUARTAE,
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
M. GEORGIO WEBERO
Berlinensi Marchico:

Ad 26. Ianuarij horis locoq; consuetis.

IV. PROBLEMA.

An CHRISTVS seipsum suâ propriâ virtute excitârit à mortuis?

συνάφεια *Articulorum de descensu ad inferos & Resurrectione.*

THESIS I.

ARticuli de *descensu* CHRISTI ad inferos, ejusq; *Resurrectione*, indissolubili συναφείᾳ cohærent.

II. Ideo-

II. Ideoq; in Symbolo Apostolico, unâ indivisâ sententiâ conjuncti, uni Apostolo uterq; adscribuntur.

III. *Uterq;* enim ad Statum exaltationis & (a) triumphum CHRISTI glorioſum pertinent.

(a) *Ose. 13, 14. 1. Cor. 15, 27. 28.*

IV. Et ille quidem ad καταβὰς & ejus *ingressum* apud (b) καταβάσεις: hic verò ad illius ἄυξησιν & *progressum*, apud προκόπτειν.

(b) *Philip. 2, 10.*

V. Quia igitur proximâ veliratione ea discussa fuerunt ac ventilata à nobis Problemata, quæ *descensum* CHRISTI ad inferos spectant; hac utiq; πορείᾳ ad ea progredimur, quæ *Resurrectionem* ejus attingunt. μετάβασις.

VI. Inter quæ primum sibi vendicat locum illud jam propositum, quod Disputatione *V. in capit. LII. Esaiæ* etiam explicatum.

VII. Nos alios summæ autoritatis Theologos imitati illam explicationem huc transferemus, ne inconstantiæ aut incertitudinis nota nobis inuratur.

VIII. *Ut* itaq; rem aggrediamur ipsam: CHRISTUM utique ex mortuis resuscitatum fuisse Divinâ virtute extra omnem positum est controversiam.

IX. In Scriptura virtus & potentia isthæc modò ipsi (a) CHRISTO: mox (b) PATRI; mox simpliciter (c) DEO assignatur. ἔκθεσις Problematis.

(a) *Ioh. 2, 19. 6. 10, 18.*
(b) *Rom. 6, 4. 6. 8, 11.*
(c) *Act. 13, 30. 2. Cor. 13, 4. Col. 2, 12.*

X. Videtur igitur hic se offerre ἀνπλογία: sed non est id, quod ultrò apparebit, si modò ὁμωνυμία λανθάνουσα, uno atque altero evolvatur verbulo.

XI. Virtus enim & potentia, qua CHRISTUS à mortuis resuscitatus, *bifariam* considerari potest ac debet.

XII. 1. γενικῶς & *absolutè*, & ita omnibus tribus personis Divinitatis est *communis*. Unde regula *Augustini*:

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

XIII. 2. ὑποστατικῶς & *relatè*, & sic CHRISTI, secundæ Divinitatis personæ, *propria*.

XIV. *Priori* consideration is modo CHRISTUS resuscitatus dicitur virtute ac potentiâ DEI PATRIS.

XV. *Posteriori* autem modo CHRISTUS seipsum excitavit suâ propriâ virtute & potentiâ, communicatâ sibi secundum divinam naturam à PATRE per æternam *generationem*: secundum humanam verò naturam per *personalem unionem*.

XVI. Sed quæritur ulterius, an *ipsa humana* CHRISTI natura seipsam excitârit?

XVII. Eruditè respondet *Thomas de Aquino parte 3. summæ, quæst. 53.* & ex Thoma *B. Gesnerus* in libello de Persona CHRISTI.

Per mortem non fuit separata Divinitas, nec ab anima CHRISTI, *nec ab ejus carne. Potest igitur tàm anima* CHRISTI *mortui, quàm ejus caro considerari dupliciter: Vno modo ratione Deitatis; alio modo ratione naturæ creatæ. Secundùm igitur unitæ divinitatis Virtutem, & corpus resumsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumsit, quod dimiserat. Et hoc est, quod de* CHRISTO *dicitur, 2. Cor. ult.* quòd etsi crucifixus est in infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute DEI. *Si autem consideramus corpus & animam* CHRISTI *mortui, secundùm virtutem naturæ creatæ, hic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit* CHRISTVM *resuscitari* DEO.

„ XIIX. Summa. FILIUS DEI suam animam cum corpore
„ suo, & corpus suum suâ cum animâ iterum univit, suâ propriâ
„ virtute divinâ, qua, in ipsâ etiam morte, utrumque tum corpus,
„ tum animam, ἀδιαχωρήτως intimâ & nunquam interrupta, per-
„ meabat.

XIX. Etsi enim vinculum animæ & corporis per mortem dissolutum, adeoq; partes istas humanæ CHRISTI naturæ συσταπικὰς φυσικῶς invicem separatas esse constat: vinculum tamen personalis unionis indissolutum mansit, & proinde nec corpus, nec anima CHRISTI, ab inhabitante τῷ λόγῳ ὑποστατικῶς distractum: sed utrumq; in ipso τῷ λόγῳ, indistracta, ἀδιαιρέτως, ἀδιαστάτως καὶ ἀδιαστάτως perstiterunt.

XX. Rectissimè igitur ac verissimè dicitur FILIUS DEI sepultus, in sepulchro jacuisse, à mortuis resurrexisse.

XXI. Unde scitè & piè *Bernhardus*:

Passus

Passus est in cruce impassibilis DEVS, *& in carne nostra mortali mortuus ac sepultus* IMMORTALIS DEI FILIVS. *Serm. 14. Serm. Beza. parv.* ἔλεγχος

XXII. Falsum contrà & impium est, quòd Reipublicæ Calvinianæ Dictator *Beza* sententiam Psalmi 16. *Non relinques animam meam in inferno*, hoc pacto vertere, imò pervertere non erubuit:

Non relinques CADAVER *meum in sepulchro.*

XXIII. Audet nimirum homo malè feriatus sanctissimum CHRISTI corpus appellare cadaver; cum tamen eodem in Psalmo CHRISTUS ipse, per Davidem, disertè affirmet: Non futurum, ut corpus suum sentiat corruptionem.

XXIV. Idq; olim τυπικῶς adumbratum est, *per ligna Sittim*, vel ξύλα ἄσηπτα; è quibus arca Fœderis, quæ typus CHRISTI, constabat. *Exod. 25.*

XXV. Et quâ quæso fronte corpus CHRISTI, appellari poterit cadaver, cum *nec debuerit, nec potuerit* corrumpi?

XXVI. *Non debuit*: quia ἀναμάρτητον. Φθαρτικὴ autem κακότης vel Φαυλότης in homine est à peccato.

XXVII. *Non potuit*: quia cum τῷ αὐτοζώῳ ὑποστατικῶς unitum, inq; hujus hypostasi, etiam in morte, inseparatum subsistit.

XXIIX. Falsum insuper est, & auditu horrendum, quòd quidam ejusdem Reipublicæ (c) proceres scribere non verentur: *Sanguinem* CHRISTI, pro nobis effusum *computruisse*, nec per resurrectionem in venas reassumtum fuisse.

(c) *Calvinus in cap. 26. Matth.*
Sadeel in indice errorum Gregorij de Valentia.

XXIX. Quid est θεομαχεῖν, quid est os ponere in cœlum? quid est obloqui SPIRITUI sancto? si hoc non est.

XXX. Apertè enim ac disertè in Scriptura SPIRITUS ILLE *Veritatis* profitetur, quod sanguis pro nobis fusus: sit sit *DEI sanguis Act. 20. 1. Ioh. 1.*

XXXI. Idem eundem manifestâ ἀντιθέσει τοῖς Φθαρτοῖς opponit, eâq; illum ab istorum censu eximit, *1. Pet. 1, 18.*

XXXII. Et unde quæso valor & precium meriti CHRISTI in-

finitum: si istud re corruptibili acquisitum? Num (d) κληρονομίαν illam ἄΦθαρτον precio Φθαρτῷ emptam crediderimus?

(d) 1. Pet. 1, 4.

V. PROBLEMA.

An CHRISTVS corpore suo glorioso penetrârit saxum sepulchri obsignatum, & num januis clausis post resurrectionem ad discipulos ingressus?

1. Sententia Lutheranorum. Fundamenta 2. prioris Affirmati.

XXXIII. De hac quæstione inter *nos* & Majestatis CHRISTI Hostes *Zvvinglio-Calvinianos* contenditur.

XXXIV. Nos *utrumq;* affirmamus, adeoq; CHRISTUM; & corpore suo glorioso & saxum sepulchri obsignatum, eo momento, quo à mortuis resurgebat, revera penetrâsse, & post resurrectionem, januis clausis, ad Discipulos ingressum esse.

XXXV. *Prioris Affirmativæ duo* ponimus fundamenta.

2. Fundamentum.

XXXVI. *Alterum* sumimus ex ipso textu Matth. c. 28. qui sic se habet:

Vespera autem Sabbathorum, quæ lucescit in unam Sabbathorum, venit Maria Magdalena & altera Maria, VT VIDERENT SEPVLCRVM. Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim DOMINI descendit de cœlo, & accedens devolvit lapidem ab ostio, sedebatq; super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus candidum sicut nix. Præ timore autem ejus, concussi sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondit autem Angelus & dixit mulieribus; Nolite timere vos. Scio enim, quòd IESVM, qui crucifixus est, quæritis. Non est hîc, SVRREXIT ENIM, sicut dixit.

XXXVII. *Duo* enim ad præsens istud institutum plurimum momenti & emolumenti afferentia, rectissimè indè colligunrur.

XXXIIX. *Vnum* est, resurrectionis *tempus*, quod devolutionem saxi *non* demtum esse *subsecutum*: *sed antecessisse*, ex eo constat, quòd Angelus non descendit, ut, saxo à monumento devoluto, resurrectionem CHRISTI promoveret: sed ut eandem jam factam mulieribus, ut sepulchrum viderent, venientibus, ὀΦθαλμοφανῶς ostenderet.

89. Re-

XXXIX. Resurrectionis enim CHRISTI actus nulla fit mentio: sed ea jam facta & peracta præsupponitur.

XL. Hoc verò commemoratur; quòd Maria Magdalena & altera Maria venerint, UT VIDERENT SEPULCHRUM.

XLI. Atq; hinc sequens historia dependet tota, eòq; ut ad scopum verè vernaculum unicè referenda est.

XLII. *Alterum* est *finis*, cujus gratiâ Angelus saxum à sepulcri ostio devolvit.

XLIII. Is verò, uti & jam modò annotatum, eò collimavit minimè, quasi CHRISTUS è sepulcro emergere non potuerit, nisi saxo indè devoluto: sed ut Angelus δείξῃ ἀυτοπτικῇ testatum ac probatum redderet: CHRISTUM ὄντως resurrexisse, sicut loquitur *Lucas cap. 24, 34.*

XLIV. Ideò digito quasi indice ad sepulcrum directo hac ad mulieres φεγοφωνήσῃ utitur:

Non est HIC, SVRREXIT enim.

XLV. Succinit nobis hac in parte venerandus Patrum chorus, ut

Nazianzenus in Dram.

Χριστὸς ἀνέστη τὰ Φῶτα κεκλεισμένα.

Hieronymus.

Angelum non putemus idcirco venisse, ut aperiret sepulcrum DOMINO *resurgenti & revolveret lapidem: sed postquam* DOMINVS *resurrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse, quod factum est, & sepulcrum vacuum revolutione lapidis & sui ostendisse præsentia.*

Theophylactus in cap. 28. Matth.

Resurrexit DOMINVS *lapide adhuc super sepulcrum posito. Postquam autem surrexit* DOMINVS, *& Angelus venit, ut devoluto lapide accessum habeant mulieres ad sepulcrum.*

XLVI. *Alterum* porrò *prioris Affirmati* fundamentum ex decisione Problematis proximè antecedentis hunc in modum extruimus:

Si CHRISTVS *propriâ virtute absq; ope administra Angeli, suum corpus excitavit à mortuis: cur non eâdem virtute verè infinitâ & Divinâ absq; Angeli opera suo illo corpore potuit è sepulcro exire, clauso lapide ejusdem ostij.*

Sed

Sed propriâ virtute, absq; ope Administra Angeli corpus suum à mortuis excitavit.

Ergo.

XLVII. Εἰρηὸς τῆς ἀχολυθίας in copulato est αὐτοφανὴς. Et accedit insuper, quòd aliàs (*f*) argumentum illud Apostolicum, quo æterna CHRISTI DEITAS, ex resurrectione ejus asseritur, non esset solidi roboris & firmamenti.

(f) *Rom. 1, 4. Act. 13, 33.*

Posterius Affirmatum probatur.

XLIIX. Sed tranleamus ad *posterius affirmatum*, quod Scripturæ autoritate: & Orthodoxa Antiquitate astruendum.

XLIX. E *Scriptura*, & quidem ex Ordinaria Sede, quæ est *caput 24. Luc. 2, & 20. Iohannis*, hæc producimus documenta.

1. *Scripturæ autoritate.*

L. 1. Quod χρισοφάνεια illa conrigerit ἰυρῶν κεκλεισμένων in *præterito*, & non κλειζομένων in præsenti, quæ vel sola observatio clarissimè docet, verbis illis non χρονολογίαν: sed τοπογραφίαν contineri.

LI. 2. Eodem pertinet, quod illud factum, non propter Vesperam vel Noctem potius jam ingruentem: sed propter METUM JUDÆORUM.

LII. 3. Idem quoq; vel indè patet: quòd CHRISTUS non pedetentim ad discipulos processit: sed ex improviso & opinione celeriùs, in MEDIO eorum, (ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν) *Luc. 24.* stetit.

LIII. 4. Id quod etiam confirmat subita discipulorum *consternatio, existimantium se videre spectrum.*

LIV. 5 Quibus omnibus accedit insuper, quod Johannes ipse haud obscurè indicat: χρισοφάνειαν illam verè miraculosam exticisse.

Multa, inquiens, ETIAM *ALIA signa edidit* IESVS *CORAM DISCIPVLIS, &c.*

LV. Orthodoxæ (*g*) *Antiquitatis* suffragia passim obvia sunt, & ab alijs numero non exiguo collecta.

(g) *Hieron. ad Pammach.*
August de Agon. Christ. c. 4. & alibi.
Cyrill. lib. 12. c. 57. in Ioh.
Chrysost. homil. 16, &c.

LVI. Quid verò *Zvvinglio-Calviniani*? Affirmativæ nostræ *utriq;* suam

ſuam κατὰ Δ/ήμεγον opponunt *Negativam*: docere non erubescentes: CHRISTUM per ſaxum ſepulcrale glorificato corpore nequaquam penetraſſe, ſicut nec per fores occluſas. ἑτεροδοξία Zvvinglio-Calvinianorum.

LVII. Sic enim gentis illius Anti Lutheranæ Patriarcha *Calvinus*:

Nam ſicut aqua non ſecus ac ſolidum pavimentum CHRISTO *iter præbuit ſuper locum ambulanti: ita nihil mirum, ſi ad ejus occurſum ſe flexit lapidis duricies. Etſi probabilius eſt, ejus imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox tranſitu dato, in ſuum locum redijſſe. Nec januis clauſis intrare tantundem valet, ac penetrare per ſolidam materiam, ſed ſibi aditum pateſacere divina virtute, ut repentè ſteterit inter ſuos diſcipulos, planè admirabili modo, cum obſeratæ eſſent fores. Lib. 4. Inſtit. c. 17. Sect. 29.*

LIIX. Cui Præceptori ſuo *Diſcipuli* quidam ſuum adjiciunt calculum, cumprimis *Sadeel* ille χρομάχ©-, *de verit. hum. nat.* CHRISTI *fol. 149.*

LIX. His verò, præter illa, quæ jam modò dicta & adducta, nos ex abundanti opponimus, *duo* teſtimonia, quorum unum *Iuſtini Martyris*: alterum *Marlorati*, Calvino aliàs ex aſſe addicti.

LX. Verba *Iuſtini Martyris* hæc ſunt:

Ὥσπερ γὰρ κῦ τοῦ ἐκ τοῦ σώματ© εἰς τὸ πνεῦμα τροπὴν πεποίηται ὁ κύρι© ἀπὸ τοῦ θαλάσσαν, ἀλλὰ τῇ θείᾳ αὐτοῦ δυνάμ{ βατοῦ ἐποίησε τὴν εἰς περιπάτησιν ἄβατον, γὰ μόνον τῷ ἑαυτοῦ σώματι, ἀλλὰ καὶ τοῦ Πέτρου, οὕτως τῇ ἑαυτοῦ θείᾳ δυνάμ{ καὶ τοῦ μνήματ© ἐξῆλθε, τοῦ λίθου ἐπικειμένου τῷ μνήματι, καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς εἰσῆλθε τῶν θυρῶν κεκλεισμένων γὰρ διὰ τὴν αὐτοῦ ἔγερσιν, τοῦ λίθου ἐκ τοῦ μνήματ© ἐγένετο ἡ ἀφαίρεσις, ἀλλὰ διὰ τὸ δηλωθῆναι τῆς ὁρῶσι τὴν ἀνάστασιν. τὸ γὰρ ἐν τῷ μνήματι τὰ μὲν τοῦ ἐνταφιασμοῦ αὐτοῦ ὁρᾶν ἱμάτια, αὐτὸν δὲ μὴ ὁρᾶν. δεῖγμα τῆς αὐτοῦ ἀναστάσεως γέγονεν ἀναστάσεως.

In Reſpon. ad Quæſt. 117.

LXI. *Marlorati* autem ſententia Calvino hujusque aſſeclis ἀντιφατικῶς oppoſita ſic habet:

Non CHRISTI *cauſa venit Angelus, tanquam ſine ejus opera non poſſet exire ſepulcro, ſed ut fides fiat mulieribus & Apoſtolis,* CHRISTVM *reſurrexiſſe, apertum eſt ab Angelo ſepulcrum, ut poſſit oſtendi vacuum, non autem ut devoluto ſaxo per* CHRISTI *reſurrectionem*

vacuaretur: Cum jam antea *evacuatum fuisset illo resuscitato, non amoto lapide ab ostio monumenti. Tametsi non desint, qui dicant devoluto lapide operâ* Angeli ab ostio *tunc* CHRISTVM *resurrexisse sine ullo miraculo. Verùm qui suâ virtute corpus suum excitare potuit in sepulcro,* eâdem virtute potuit sepulcrum egredi ostio occluso, grandi illo saxo: ut miraculo sit excitatus, & miraculo egressus, nulla opera Angeli.

In cap. 28. Matthæi.

LXII. Sed objiciunt nobis, suo more (g) illud ἀπιστίας Capernaiticæ & (h) Pharisaicæ QUOMODO.

(g) *Iohan. 6.* (h) *Iohan. 3.*

LXIII. Nos verò reponimus,

Istud *Tertulliani*:

Credamus CHRISTVM *potentiorem* OMNI LEGE CORPORVM.

Nec non hæc *Augustini.*

De agone Christiana cap. 24.

Post Resurrectionem de corpore suo fecit quod voluit.

Et in Serm. de temp. 58.

Considera autorem & tolle dubitationem.

Et in Serm. Paschali.

Si comprehendis modum, non est miraculum, ubi desinit ratio, ibi incipit fidei ædificatio.

LXIV. Nec desunt, qui pueriliter urgent, quòd *Iohan. cap. 20.* non extet: Διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων: *sed tantùm* θυρῶν κεκλεισμένων.

LXV. Nos contra viriliter ex isthoc *Hebr. 4.* διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς sic concludimus:

Si CHRISTVS (*ex interpretatione Calvinianorum*) *corpore suo clarificato transijt* PER *cœlos: cur non etiam per saxum & fores clausas?*

Legatur Lutherus Tom. III. Jen. Germ. fol. 459.

VI. PROBLEMA.

Quo sensu & intellectu CHRISTUS *ab Apostolo,* Rom. 4. *dicatur excitatus, propter justificationem nostram.*

LXV. *Gemina* est loci istius Apostolici interpretatio: *Falsa* una: *Vera altera.*

LXVI.

LXVI. Falsa interpretatio est *Romanensium*, qui isthinc probare *Falsa inter-*
nituntur: justificationem esse quiddam *distinctum* à remissione pec- *pretatio refu-*
catorum, & surrexisse CHRISTUM proprer justitiam nostram *tatur.*
ut nos ejus *exemplo* in novitate Vitæ resurgamus, & sic justificemur,
juxta expositionem *Stapletoni p.* 259.

LXVII. Sed hæc interpretatio pugnat *primò* cum scopo Apostoli, cui non propositum eo in capite disserere de renovatione, de qua demum cap. 6. agit: sed de causis justificationis *συζυγιαις*, cujusmodi: *Gratia DEI*; 2. (i) *Redemtio* CHRISTI passione & resurrectione peracta. 3. *Fides.* (i) *Rom.* 3. 24. 25.

LXVIII. *Deinde* cum apertis Scripturæ testimoniis, quibus etiam resurrectioni (k) remissio peccatorum assignatur: sicut è converso (l) morti CHRISTI justificario.

(k) 1. *Cor.* 15, 17. (l) *Rom.* 5, 9.

LXIX. *Vera* interpretatio, quòd resurrectio CHRISTI glorioſa *Vera inter-*
etiam pertineat ad justificationis negotium, & non tantùm mors *pretatio,*
& passio ejus ignominiosa.

LXX. Unde non solùm in hoc Apostoli Aphorismo *Rom.* 4. particulâ copulativâ illa invicem *conjunguntur*: sed etiam alibi in Scriptura, ut *Phil.* 3, 10.

LXXI. Imò talia in Scriptura reperire licet axiomata, quibus tota Redemptio & Salus nostra, modò (m) *Morti*: modò (n) *Resurrectioni* CHRISTI ascribitur.

(m) *Rom.* 4, 24. *cap.* 5. 10. *Ephes.* 17. (n) *Rom.* 10, 9.

LXXII. Insana igitur & profana est *Piscatoris* fanatici opinio solâ passiva CHRISTI obedientia nostram, qua coram Deo, constitimus, justitiam. describentis, adeoque propalam & disertè affirmantis, *solam* CHRISTI *mortem* ad justitiam imputari: *Piscator.*

In Comment. ad Rom. cap. 4. *&* 5.
pag. 87, 106. 109. *edit. Herborn. Anno* 1601.

LXXIII. Ceterùm, ut ad thema propositum regrediamur: justificatio utique CHRISTO Redemtori meritò tribuitur, tùm *Acquisitionis*, vel *Meriti*: tum *Applicationis*, vel *Efficaciæ* respectu.

LXXIV. Et *Acquisitionis* quidem, ac *Meriti* respectu, quia si in morte mansisset: in opere Redemtionis succubuisset, & proinde nec justitiam nobis meruisset. Et sic vana fides nostra *1. Cor.* 15.

LXXV. Ratione autem *Applicationis & efficaciæ*, quia ad hanc requiritur Ministerij verbi institutio, & gubernatio, itemque efficax per illud in nobis operatio ac præsentia in Ecclesia, non tantùm secundùm Divinam: sed etiam secundùm Humanam CHRISTI naturam.

LXXVI. Et eò maximè respicit Apostolus, dum CHRISTUM in mortem traditum, & propter justificationem nostram excitatum pronunciat.

LXXVI. Referantur huc, Colophonis loco, *Orthodoxæ vetustatis* ἐξηγήματα.

Augustinus lib. 10. cap 29. contra Faustum.

Quia ex fide resurrectionis justificamur: Ideo & illud de CHRISTO *Apostolicum est: quia mortuus est propter peccata nostra; resurrexit propter justificationem nostram: Ita resurrectio credita nos justificat, &c. non quod reliqua* CHRISTI *opera & merita excludantur, sed quod omnia in morte & resurrectione consumantur.*

Ambrosius.

CHRISTVS *nostri causa occidi se passus est, ut nos datâ à veniâ secunda morte erueret, id est, à pœna inferni: & resurrexit, ut pro lætitia triumphi mortis evictæ gratiâ nos justificationis donaret.*

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS QUARTAE,
Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. JOHANNE HERPHARDO
Francofurtensi Marchico.

Ad 1. Februarij horis locoq; consuetis.

VII. PROBLEMA.

Quis sit terminus ascensionis CHRISTI
AD QUEM.

PRO:

PROPOSITIO I.

POst suum in vitam reditum perquam glorioſum Triumphator CHRISTUS, noluit ſe, uti quidem potuerat, ilicò ab hominum oculis clam ſubducere, & in cœlos aſcendere.

II. Jam tum enim ex ſtatu exinanitionis ignominioſæ, ſtatum exaltationis glorioſæ tranſierat, atteſtante ipſo, *Luc. c. 24, 26.*

III. Sed maluit inter Reſurrectionem & Aſcenſionem in Cœlos intercedere quadraginta dierum periodon, quam non inſcitè periodon liberrimæ œconomiæ vel diſpenſationis, cum Orthodoxa Antiquitate, appellaveris.

IV. Idq; fecit DOMINUS propter cauſas, quas Evangeliſta περιπλινώτατ& Lucas poſteritati conſignatas reliquit, *Act. 1.*

Tres Cauſæ, ob quas CHRISTVS periodon 40. dierum inter Reſurrectionem & Aſcenſionẽ voluerit intercedere.

V. Prima eſt, ut promulgaret ἐντάλματα Apoſtolis de docendis & baptizandis omnibus in Orbe terrarum gentibus, afflatu dato & communicato ipſis Spiritu ſancto.

Matth. 28, 19. Marc, 16, 15. Luc. c. 24, 47. Ioh. 20. v. 23.

VI. Secunda: ut vivum ſe exhiberet, poſt paſſionem ac mortem, ſuæq; reſurrectionis certitudinem multis multarum apparitionum πεκμηρίοις teſtatiſſimam redderet,

VII. Quò etiam ipſius σωαλισμὸς vel, ut (a) Epiphanius legit, σωαυλισμὸς unicè tendit. (a) *in Anacephal.*

VIII. In quam ſententiam quoq; Euſebius non minus verè quàm præclarè ſcribit:

CHRISTVM (in illa 40. dierum periodo) *non ſolùm doctrinam de Vita æterna Apoſtolis clarè ac perſpicuè tradidiſſe: ſed etiam initia illius novæ vitæ in corpore ſuo monſtrâſſe, & palàm ob oculos poſuiſſe, ut hoc ſpectaculo confirmati alacriùs Evangelium inter gentes propagarent.*

Lib. 4. Evangelicæ demonſtr. f. 106.

IX. Tertia: Ut uberiùs & ulteriùs explicaret τὰ περὶ τῆς βασιλείας τ θ῀υ, id eſt, myſteria Regni DEI.

X. Elapsâ verò jam iſtâ quadraginta dierum periodo, in præſentia Diſcipulorum, ad cœlos adſcendit.

XI. Quæ adſcenſio non intelligenda eſt, de ſubitâ corporis CHRISTI diſparatione, qualis deſcribitur, *Luc. c. 24.* ubi CHRISTUM menſæ aſſidentem ἄφαντον fuiſſe factum legimus.

XII. Nec de μεταμορφώσει aliqua, qualis fuit corporis CHRISTI in monte Thabor *Matth. c. 17.*

Duo actus ascensionis.

XIII. Sed est triumphus CHRISTI solennis, & longè gloriosissimus, cujus duo actus: *Visibilis* unus: *Invisibilis* alter.

XIV. *Actus visibilis est* ἐπαρσις vel elevatio CHRISTI à monte oliveti ad nubem usque, quæ eum, videntibus discipulis, suscepisse, & aspectui eorum subtraxisse dicitur, *Act.* 1.

XV. *Terminus à quo* hujus actus, ut & totius Ascensionis, est mons oliveti, de quo oraculum Zachariæ. *c.* 14, 4.

XVI. Διάστημα vel *spatium per quod*, fuit aer, inter mentem Oliveti, & nubem.

XVII. *Terminus ad quem* est nubes, qua monemur *tum* de CHRISTI, cui omnes Creaturæ obedire & servire coguntur, majestate, *tum* de articulii istius de Ascensione CHRISTI ad cœlos sublimitate.

XVIII. Ac proinde ea, quæ supra nubem ulteriùs facta, extra Verbum DEI, non rimemur scrupulosè, sed, cogitemus nubem esse interpositam, per quam Rationis nostræ radij nequeant transmitti.

XB

XIX. *Actus* verò *invisibilis* est translatio CHRISTI ad Regnum Majestatis Divinæ glorioſum.

XX. *Terminus ad quem* hujus actus, & sic ultimus & totalis Ascensionis CHRISTI, summo consensu à Scriptura constituitur cœlum. *Marc. c. 16, 19. Luc. 24, 51. Act. 1, 9, 11.*

XXI. Quid verò per Cœlum istud intelligendum: de eo non levis inter nos & Zvvinglio Calvinianos concertatio.

XXII. Hi enim *Scholasticos* secuti, Cœlum definiunt locum amplum & spatioſum, supra hoſce visibiles extantem, ubi DEUS cum Angelis & beatis hominibus obambulet ac conversetur. Luthe-

Opinio Calvinistarum de Cœlo.

rus vocat ein Gancklhimmel *Tom. III. Germ. f* 350

XXIII. Sic enim Petrus Martyr expresè scribit:

Extra Cœlum nullum corpus esse in universum non assentimur: Quia ultra firmamentum, quod octavum orbem nostri faciunt, est regio felicissima, ubi corpus CHRISTI *degit, & sancti sua loca, sedes & mansiones cùm habent, tùm post resurrectionem sunt habituri.*

In Dial. de corporis CHRISTI loco.

XXIV. Martyri suffragantur ceteri ejusdem factionis socij.

Vrsinus

2 *Vrsinus in Catech p.290.*
3 *Zanchius in Thesib. de Ascens. CHRISTI th. 33.*
4 *Bullingerus in tract. Verb. DOMINI: In domo Patris mei.*

XXV. Et hoc Cœlo tanquam carcere quodam corpus CHRISTI usque ad extremum diem contineri blasphemè contendunt torquentes eò istud Petri, *Act. c. 3.* ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι.

XXVI. τὸ δέξασθαι enim interpretantur passivè, vel quasi oporteat CHRISTUM cœlo capi, ut videre licet in *Catech. VVitteberg. f. 77.*

XXVII. Sed planè contra naturam constructionis; contra proprietatem significationis; contra scopum textus, contra exegesin (f) Apostoli, qui δέξασθαι explicavit βασιλεύειν, & denique contra autoritatem Orthodoxæ Antiquitatis, & maximè quidem Oecumenij, qui singulari industriâ observavit, quòd Petrus non dixerit, ὅτι οὐρανὸς ἐδέξατο Χριστὸν; sed contrà.

(f) *1. Cor. 15, 25.*

XXVIII. Nos verò simplici pietatis studio lubenter cum *Augustino* fatemur:

Vbi & quomodo corpus Dominicum in cœlo sit, curiosissimum & supervacaneum est quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere: sed est nostræ fidei, de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.

lib. 6. de fide & Symb.

XXIX. Interim tamen è sacra Scriptura dicimus & docemus: quòd Cœlum, in quod CHRISTUS adscendit, *non* sit locus quidam extra & supra hunc mundum creatus: *sed* infinitum DEI regnum, cui, post peractam in tempore creationem, omnes Creaturæ sunt subjectæ. *Sententia Lutheranorum bimembris.*

XXX. Cujus nostræ sententiæ *duo* sunt membra: ἀποφατικὸν Unum: καταφατικὸν alterum, utraq; jam sacrarum literarum fundamentis astruenda.

XXXI. *Prius* igitur quod attinet: probari potest illud *primò* inde, quod de CHRISTO pronunciatur, quòd ascenderit, (c) ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν quod factus (d) ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν, quod (e) διεληλυθὼς τοὺς οὐρανούς. *Probatio prioris membri.*

(c) *Eph. 4, 10.* (d) *Heb. 7, 26.* (e) *Heb. 4, 14.*

XXXII. Qui ergo cœlo quodam creato incluſus contineri poterit?

XXXIII. Piè & scitè Patres Orthodoxi;

Chry-

Chrysostomus Serm. 11. ad Ephes.

Ascendit supra omnes cœlos, ultra quos nihil est aliud, hoc videlicet est dominationis & potentiæ.

Primasius in cap. 7. ad Hebr.

Excelsior factus est cœlis, quando supra omnes cœlos & supra omnes ordines cœlestium Spiritum elevatus est, ad consessum paternæ majestatis, ubi nunc sedet in plenitudine honoris & gloriæ.

XXXIV. *Deinde* constat utiq; (*f*) Cœlos Creatos in novissimo die perituros, CHRISTUS autem in cœlo manet perpetuùm.

(f) *Psalm. 102.*

XXXV. Accedunt *deniq;* similes Scripturæ loci, qui arguunt phrasi illa: supra cœlos & similibus, notari summam & incomprehensibilem DEI sublimitatem & gloriam.

(g) *Psalm. 8, 2. Psalm. 108. 5. Iob. 11, 8. c. 22, 12.*

Probatio posterioris membri.

XXXVI. Quantum porrò *posterius* sententiæ nostræ membrum spectat: ad ejus sanè confirmationem non parùm faciunt ea, quæ jam ὡς ἐν τύπῳ huc connotamus,

XXXVII. Ac *primò* quidem huc pertinet *Visio Danielis* admodum illustris cap. 7. ubi testatur, se vidisse, quod FILIUS hominis, id est CHRISTUS, secundum humanam naturam, in die ascensionis suæ venerit non in cœlum quoddam creatum, sed *Antiquum dierum*, id est, ad DEUM PATREM.

XXXIIX. Quòd item acceperit hoc ipso ad PATREM adventu *potestatem æternã, quæ non auferenda, & Regnum, quod non corrumpendũ.*

XXXIX. *Secundò*, idem docet Salvator ipse, *Ioh. 20.* dum Ascensionem ad cœlos phrasi ἀναβαίνω appellat *Ascensionem ad PATREM suum*, quem nullis locorum spatiis inclusum esse noto notius est, ex illis præsertim Scripturæ testimoniis, quibus asseritur, quod (*h*) *cœli cœlorum Deum non capiant*; (*i*) quodq; *cœlum & terram impleat, non* quidem *locorum spatiis, sed majestate potentiæ*, interprete (*k*) *Augustino.*

(h) *1. Reg. 8, 27.* (i) *Ier. 23, 24.*

(k) *lib. 2. de Serm. Domini in Monte.*

XL. Et quomodo Cœlum, in quo Deus esse dicitur, esse poterit locus creatus, cum Deus ante rerum creationem, in cœlo fuerit.

N.B.

XLI. *Tertiò* idipsum quoq; confirmat *Petrus*, dum phrasin illam, Adscendere ad cœlos, interpretatur per hanc alteram: Sedere ad dextram *David*.

David, inquiens, non ascendit in cœlum: Dicit autem ipse; Dixit DOMINVS, Domino meo: sede à dextris meis.

XLII. Quanquam enim articulus de sessione ad dexteram distinctus est ab Articulo de Ascensione ad cœlos: tamen magnam invicem habent cognationem.

XLIII. Unde non tantùm in Symbolo Apostolico, unâ indivisa sententia conjunguntur, & uterq; simul Bartholomæo Apostolo adscribuntur: sed hanc συζυγίαν etiam in Scriptura animadvertere licet, *Coloss. 1, 21. Marc. 16, 19. 1. Pet. 3, 21. 22. Ebr. 1.*

XLIV. Et sessio quidem ad dextram, vel, si ἀπερίβολον liceat; Collocatio ad dexteram DEI est, terminus Ascensionis.

XLV. Quemadmodum haud obscurè innuitur, *1.* Pet. 3. ubi dicitur CHRISTUS *profectus in cœlum esse in dextera DEI.*

XLVI. Et in Augustana Confessione piè & orthodoxè traditur: *Deinde ascendit ad cœlos, VT sedeat ad dexteram DEI PATRIS & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis.*

XLVII. Quid vero sit dextera DEI; quid item sedere ad dexteram DEI; Problematum jam sequentium ἐξαναβάσεις docebit.

IIX. PROBLEMA.

Quid propriè dicatur & sit dextera DEI?

XLVIII. *In hujus Problematis* enodatione procedendum nobis, methodo analyticâ, per ἀφαίρεσιν ἀναπευαστικὴν ostendendo quid non sit, & per θέσιν καταπευαστικὴν demonstrando quid sit dextera Dei.

XLIX. *1. Non* est dextera DEI, *dexterum DEI latus*, quale erat Salomonis, cui mater assidebat, uti quondam *Anthropomorphitæ* delirâ runt, contra expressa Scripturæ testimonia, quæ perspicuè confirmant: (l) DEUM esse Spiritum: (m) Spiritum verò neque carnem neque ossa habere. (l) *Ioh. 4, 24.* (m) *Luc. 24, 39.*

1. ἀφαίρεσις eorum, quibus dextera Dei nõ definienda.

L. *2. Nec* est *certus beatitudinis in cœlo locus, in quo CHRISTVS cum electis versetur*, adeoq; nunc sedeat, nunc stet, nunc iterum consideat, mox surgat atque ambulet paulisper, ut libitum est animo, quæ est (o) *Bullingeri* phantasia, & (p) *aliorum* Majestatis CHRISTI Hominis hostium.

(o) *in Tractat. Verb. Dom. in domo Patris.*

(p) *Figur. cont. test. Brent. f. 21. Beza de omnipræs.* CHRISTI *f.* 338. *Op. Vol. 1. f. 601. ad ter. Brent, lib. part, Bucanus instit. 1. p. 262.*

LI. Nos eandem profligamus hisce Rationibus ex fidei analogia petitis.

LII. 1. DEUS est essentia infinita & Divina; quomodo igitur locorum spatijs circumscribetur?

LIII. 2. Imò cœli cœlorum ipsum non capiunt. *1. Reg. 8, 27.*

LIV. 3. Si dextera DEI locus quidam in supremo cœlo: tum sequeretur, quòd CHRISTUS rediens in novissimo die dexteram DEI deserturus.

Atqui consequens manifestè pugnat cum (q) Scriptura, Ergo. (q) *Matth. c. 25, 3. 26, 64.*

LV. *Neq;* etiam nomine illo venit *potentia & gloria creata finita & intermedia*, sicut iterum delirant (r) *Bullingerus*, & alij (s) Calvinistæ.

(r) *in tract. de Verb. Dom. in domo Patris mei f. 18.*

(s) *Sadeel de veritate humanæ naturæ f. 115. 124.*

LVI. Nam de dextera DEI disertè affirmatur, quod sit שנות, id est, interprete *Luthero*, quòd (t) OMNIA mutare valeat. Si OMNIA mutare valet: cur non infinitâ potentiâ eadem describetur?

(t) *Psal. 77, 11.*

II. *Ἥσις quid proprie sit dextera DEI*

LVII. Sed tranleamus ab ἀφαιρέσῃ ἀναπευαστικῇ ad ἥσιν καταπαυστικὴν, cujus summa huc redit: *dextera Dei est potentia, majestas & gloria divina, increata, infinita, rerum omnium ut conditrix, ita conservatrix, & administratrix, nulli loco inclusa, nullo exclusa, ubiq; efficaciter præsens, omnia in omnibus adimplens.*

Fundamenta. LVIII. *Fundamenta* istius ἥσεως suppeditant hæc Scripturæ dicta, ex quibus illa ἀδαμαντίνως extructa.

Psal. 21. v. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

Psal. 77. *Mutatio Dexteræ Excelsi.*

Ps. 108. *Ut liberentur dilecti tui, Salvũ fac dexteratua & exaudi me.*

Psal. 118. *Dextera DOMINI fecit Virtutem, dextera DOMINI exaltavit me, dextra DOMINI fecit virtutem.*

Psal. 139. *Si sumsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: Ecce illic manus tua, &c.*

Esa. 48. *Manus quoq; mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos: ego vocabo eos & stabant simul.*

LIX. Eôdem spectant Epitheta, quæ dexteræ DEI in Scriptura assignantur, ut, quod appellatur,

Dextera τῆς δυνάμεως θεῦ Luc. 22, 69.
Dextera τῆς μεγαλωσυνης ἐν ὑψηλοῖς. Heb. 1, 3.
Dextera τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσυνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς Heb. 7. 1.

LX. Et si dextera DEI aliud quippiam, quàm infinita DEI Virtus & omnipotentia, quo pacto CHRISTUS à sessione ad dexteram DEI petere potuisset argumentum contra Judæos, pro asserendâ Divina sua essentiâ & Majestate? *Matth.* 22, 44.

LXI. In nostram quoq; sententiam *ὀρθοδόξοι Patres* Orthodoxi, tùm Græci tùm Latini.

LXII. Notentur modò è Græcis paucula hæc axiomata:

Athan. in quæst. ad Antioch. tom. 2 pag. 332.

Δεξιὰν δ' ἀκύρως τοῦ θεοῦ, μὴ τόπους καὶ σχήματα δόξης ἀνειγράφου.

δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερὰ τῶν ἀνειγραφομένων, ἐστιν: ὁ δὲ θεὸς ἁπλοῦς καὶ ἀόριστος, καὶ ἀσχημάτιστος, καὶ ἀνείγραπτος ὄντι: δεξιὰν δὲ θεοῦ ὅταν ἀκούσῃς τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τοῦ θεοῦ εἰναγνόι.

Damascenus lib. IV. orthod. c. 2.

Ἀπτικῶς δὲ δεξιὰν τοῦ πατρὸς λέγομεν. πῶς γὰρ ὁ ἀνείγραπτος τοπικῶς ἔχοι δεξιαν, δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερὰ, τῶν ἀνειγραφομένων εἰσί. δεξιαν δὲ τοῦ πατρὸς λεγομεν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῆς θεότητος. ἐν ᾗ ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς πρὸ αἰώνων ὑπάρχων, ὡς θεὸς καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἐπ' ἐσχάτων σαρκωθεὶς, καὶ σωματικῶς καθήμενος σὺν δοξαθῇ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.

LXIII. Sed objiciunt Adversarii nonnulla partim ex *Scriptura*: partim ex *Symbolo*, ad quæ paucis respondendum. *Diluuntur 2. objectiones.*

LXIV. Ex *Scriptura* proferunt & oggerunt, (t) unum atq; alterum locum, in quibus circa descriptionem sessionis ad dexteram DEI, mentio fit quoq; cœli, quod ipsi localem determinationem interpretantur, eaq; dexteram DEI ad cœlum localiter restringi arbitrantur.

(t) *Eph.* 1. *Heb.* c. 1, 3. c. 8, 1.

LXV. At fallunt & falluntur *ignoratione* Φερέσεως, de cujus vero ac genuino sensu, in Problematis proximè antecedentis explicatione.

LXVI. Quod autem dextera DEI nec cœlo nec ulli loco inclusa, sed ubique locorum tota præsens (impartibilis quippe & simpliciſſima) ex versiculis 9, & 10. *Psalm.* 139. paulò antè allegatis abundè liquet.

LXVII. Et potest sanè de eâdem id ipsum pronunciari, quod Theologi de DEO (à quo dextera ejus realiter non differt) pronunciare solent, quod nimirum sit: *super cuncta, subter cuncta, intra cuncta, extra cuncta: super cuncta, non elatus, subter cuncta, non prostratus, intra cuncta, non incluſus: extra cuncta, non excluſus: super totus præsidendo, subter totus sustinendo, intra totus adimplendo, extra totus complectando.*

LXVIII. E *Symbolo* adducunt *Adverbium* INDE, quòd sophisticè connectunt cum sessione ad dextram; referendum ad ascensionem ad cœlos, unde CHRISTUM (u) visibilem in modum ex *luce illâ inaccessa* prodeũdo, & se potenter manifestando rediturum: sicut visibili modo eò ascendit, nemo nostrum est, qui eat inficias.

(u) *Act. 1, 11 Phil. 3, 20.*

LXIX. Legatur Lutherus Tom. III. Jen. Germ. f. 350. 351. 352. 353. Nos propter juniores, hoc modo annotamus, duas halce sententias maximè memorabiles: f. 351.

Die Schrifft aber lehret vns / das Gottes rechte Hand nicht sey ein sonderlicher Ort/da ein Leib solle oder müge sein/als auff eim gülden Stuel/sondern sey die Allmechtige gewalt Gottes/welche zugleich nirgend sein kan/vnd doch an allen Orten sein mus.

Nirgend kan sie an einem Ort sein (spreche ich) denn wo sie jrgend an etlichen Orten were/ müste sie daselbs begreiflich vnnd beschlossen sein/wie alle daß jenige/ so an einem Ort ist/ mus an demselbigen ort beschlossen vnd abgemessen sein/ Also/daß es dieweil an keinem andern Ort sein kan/die Göttliche Gewalt aber mag vnnd kan nicht also beschlossen vnnd abgemessen sein/ denn sie ist vnbegreiflich vnd vnmäßlich/ ausser vnd vber alles das da ist vnd sein kan.

Widerumb mus sie an allen Orten wesentlich vnd gegenwertig sein/ auch in dem geringsten Baumblat. Vrsach ist die / Dann Gott ist/der alle ding schaffet/wircket vnnd erhelt durch seine Allmächtige Gewalt vnd rechte Hand/wie vnser Glaube bekennet.

Fol. 352.

Wir wissen aber/das Gottes Gewalt/Arm/Hand/ Wesen/ Angesicht/Geist/Weißheit/etc. alles ein ding sey/denn ausser der Creatur ist nichts/denn die einige einfeltige Gottheit selbs/ vnd ist ohn zweifel also vor der Schöpffung Gottes Gewalt vnd hand/Gottes wesen selbs gewesen / so wird sie nach der Creatur schöpffung nicht etwas anders worden sein.

PRO-

PROBLEMA. IX.

Quid dicatur & sit sedere ad dextram DEI.

LXX. *Sedere* communiter phrasi Scripturæ metaphoricâ significat regnare & imperare.

LXXI. Et sic tùm de *Hominibus*: tùm de DEO usurpatur.

LXXII. De *Hominibus*, ut de (x) Salomone & (y) alijs Regibus.

(x) 1. *Reg.* 1, 30. (y) *Prov.* 20, 8.

LXXIII. De DEO autem *ἀνθρωποπαθείᾳ* quâdam.

2. Chron. 18, 28. *Psal.* 9, 5. *Psal.* 103, 19. *Esaiæ.* 6, 1. *Dan.* 7, 9. *Syrach.* 1, 8. *& alibi.*

LXXIV. CHRISTVS verò non simpliciter dicitur (z) sedere: sed (a) *sedere ad dexteram DEI.*

(z) *Psal.* 47, 9. *Zach.* 6, 13. *Matth.* 19, 28. *c.* 25, 31.

(a) *Psal.* 110, 1. *Matt.* 22, 44. *c.* 26, 64. *Marc.* 12. 36. *c.* 14, 62. *c.* 16, 19. *Luc.* 20, 42. *c.* 22, 69. *Act.* 2, 34. *Col.* 3, 1. *Heb.* 1, 3 13. *c.* 10, 12. *c.* 12, 2. *Apoc.* 3, 21.

LXXV. Et hoc quidem soli tantùm CHRISTO, & nemini præterea alij competit, *Heb.* 1, 13.

LXXVI. Sed non secundùm *Divinam*: verùm secundum *Humanam naturam.*

LXXVII. Nam secundùm Divinam naturam non sedet ad dexteram DEI, sed est ipsa *dextera* DEI *& brachium* DOMINI, *sicut* ἐξονυμαχλήθλω appellatur. *Esaiæ c.* 52, 10. *c.* 53, 1. *c.* 59, 16. *c.* 63, 3.

Secundum utram naturã CHRISTVS ad dextram DEI sedeat.

LXXVIII. Atq; hinc Apostolus ipse in accommodatione θεοπίσματος illius primarij ac palmarij Psal. 110. sessionem ad dexteram DEI, ab ipsa dextera DEI dinstinguit. *1. Cor.* 15, 25. *Act.* 2. 34. 35. 36.

LXXIX. Tolerari proinde nequit locutio eorũ, qui dicunt CHRISTUM secundùm utramq; naturam sedere ad dexteram DEI.

LXXX. Multò rectiùs mellitissimus ille Latinorum Doctor *Augustinus* lib. 3. de Symbolo. *cap.* 8.

Quis est, qui sedet ad dexteram PATRIS? Homo CHRISTVS. Nam in quantum DEVS: semper cum PATRE, & ex PATRE: &, quando ad nos processit: à PATRE non recessit.

LXXXI. Etenim quòd collocatio CHRISTI ad dextram DEI referenda sit non ad Divinam: sed ad Humanam ejus Naturam, plurima docent & evincunt.

LXXXII. Ut 1. *quòd* (b) facta in tempore. 2. *quòd* (c) appellatur ὑποχεί-

ὑπερύψωσις 3. (d) *quia petit* CHRISTVS se glorificari eâ gloriâ, quam per sessionem ad dexteram DEI accepit, 4. (e) *quia* gloria illa ei data & donata dicitur. 5. (f) *quia* DEUS in CHRISTO resuscitando & collocando ad dexteram omnem ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ exeruisse prædicatur, 6. *quia* reliqua, de quibus in secundo Symboli articulo, secundùm humanam CHRISTI naturam facta & peracta omnia.

(b) *Marc. 16, 19. Matth. 26, 64.* (c) *Phil. 1, 9.* (d) *Ioh. 17, 5*
(e) *Matth. 28, 18. Phil. 2. 9.* (f) *Eph. 1, 19.*

LXXXIII. Quid verò sit & dicatur propriè dextera DEI: dictum & evictum est in Problematis ab hoc proximi ἐξηγήσει.

Quid sedere ad dexteram.

LXXXIV. Hic indè & ex ijs, quæ prolata & probata hactenus, tandem inferimus, quòd sedere ad dexteram DEI nihil aliud sit, quàm pervenire in consortium Sacrosanctæ Trinitatis (ut Athanasius loquitur) cumque hac pariter Divina potentia ubique præsentissime omnibus creaturis in cœlo atque in terra dominari idque & propter veram ac realem Majestatis Divinæ communicationem, *Heb. 1, 5, 13.*

LXXXV. Et hanc quidem CHRISTUS secundùm humanam naturam *accepit*, in primo conceptionis momento, sicut alibi ostenditur, *Matth. 11, 27. Luc. 1, 35. c. 2, 11. Ioh. 1, 14, 6, 12, 28, c. 13, 13. Act. c. 10, 38.*

LXXXVI. Sed posteaquam in statu exinanitionis quo ad *actum secundum*, eâdem se liberrima voluntate abdicârat: die ascensionis per sessionem ad dexteram DEI, plenariam & continuam ejus ἔνωσιν *incepit. Iohan. 7, 39. c. 13, 13. c. 17, 5. Eph. 1, 20. 21. 22, Psalm. 8, 6. Hebr. 2, 8. Phil. 2, 9. 10.*

LXXXVII. Cætera huc referantur ex disputatione 2. in caput LIII. Esaiæ.

LXXXVIII. Nos brevitatis studio, pedem hic figimus ad sequens Problema animum âdvertimus.

X. PROBLEMA.

An CHRISTUS etiam quà Homo Judex sit à DEO constitutus.

LXXXIX. CHRISTUM in extremo die visibili modo redicturum, quo in cœlum assumptus, testes omni exceptione majores sunt Angeli hac ad Apostolos & cæteros fideles σὺν φωνῇ:

Vir-

Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic IESVS, *qui assumtus est à vobis in cœlum,* SIC, *veniet,* QVEMADMODVM (ὃν τρόπον) VIDISTIS *eum euntem in cœlum.* *Act. 1.*

XCI. Cur autem rediturus tùm in Scriptura alibi: tùm sub finem secundi symboli Apostolici articuli exponitur; ideo nempe, ut judicet *vivos*, id est, eos, qui superstites adhuc futuri, & *mortuos*, id est, qui, ante glorioſum CHRISTI reditum, in vivis jam esse desierunt.

XCII. Cum igitur CHRISTUS post incarnationem sit persona ex duabus naturis Divina & humanâ *composita*: non abs re *quæritur*. *An* CHRISTO *etiam, secundum Humanam Naturam* αὐτοκρατορία *regiâ data & donata sit.*

XCIII. Nos *ajentem* ζητήματος istius partem tenemus & tuemur: *Hostes Majestatis* CHRISTI HOMINIS *Calviniani, Negantem* statuunt sententiam. *1. Pro Lutheranorum Affirmativa asseruntur.*

XCIV. Fundamenta verè adamantina nostræ Assertionis sunt partim *Testimonia* Scripturæ evidentia: partim *Argumenta* ejusdem potentia.

XCV. Inter *Testimonia* maximè excellunt *duo*. *1. Testimonia*

XCVI. *Primum* est ipsius CHRISTI Judicis clara & sonora voce de se pronunciantis: *2.*

Joh. 5. *PATER dedit* FILIO *potestatem judicandi quoq;,* QVIA *Filius* HOMINIS. *I.*

XCVII. Ubi summoperè observanda particula δεικτικὴ pariter & ἀποδοτικὴ ὅτι, quam etiam Pater ὁ Θεοδώρητος & Cyrillus κατ' ἔμφασιν urget, ut ἐνδεικτικὴν τῆς αἰτίας, cujus gratia & respectu, δυνάμις δικαστικὴ CHRISTO data & communicata sit; ideoq; etiam τὸ ὅτι vel *quia* reddit per QUATENUS.

lib. 2. in *Ioh. c. 144.*

XCIX. Alterum est Apostoli Gentium Pauli digitum quasi indicem dirigens & intendens ad eam CHRISTI naturam, id est, humanam, secundùm quam VIR est & dicitur, dum de novissimo judicio hunc in modum verè Apostolicè disserit:

Statuit DEVS diem, in quo judicaturus orbem terrarum in æquitate per VIRVM, per quem decreverat, fide præstita *omnibus* (πίστιν παρασχὼν πᾶσιν) *quòd* excitavit illum à mortuis, Act. 17.

C. Argu-

2. Argumenta C. *Argumenta* quidem pluſcula afferri poſſent; ſed ſufficiat pro re nata (oportet enim nos ſectari brevitatem) hoc ſaltem unicum: *Secundùm quam naturam* CHRISTVS *aſcendit ad cœlos: ſecundum eandem rediturus eſt Iudex Vivorum ac mortuorum. Atqui* CHRISTVS *ſecundum humanam naturam, adſcendit ad cœlos.* Ergo.

II. *Calvinianorũ Negativa.*

CI. De Negativâ Calvinianorum hos ex illorum Scriptis huc colligimus floſculos.

Sadeel, de Verit. Nat.hum f. 148.

CHRISTVS *eſt judex, non quatenus eſt homo, ſed quatenus* DEVS *& homo, ac proinde Mediator, Rex, &c.*

Admonit. Neoſtad. p. 23.

Humana CHRISTI *natura deſcendit de cœlo in nubes, & feret ſua voce Sententiam extremi judicij: Divina inſpiciet, & manifeſtabit omnium corda & conſcientias, & dictabit & exequetur ſua potentias latam Sententiam, glorificando electos, & in pœnas abjiciendo reprobos.*

CII. E quibus liquidò apparet, quòd θεανθρωπάχοι illi expreſsè negent, quòd CHRISTUS quoque Judex quatenus homo, quodque ipſi ut Homini, non plus tribuant, quàm Notario vel Secretario ſententiam à Iudice latam recitanti.

Refutatur per abſurda.

CIII. Sed hac περιτολογίᾳ ſuâ manifeſtè committunt crimen læſæ majaſtatis, ſed variis abſurditatum prodigioſiſsimarum modis, nodis quod implicant & intricant.

CIV. Sequitur etiam indè, naturas in peragendo officio CHRISTI: διηρημένως, & non ἡνωμένως cum communicatione mutua, quòd abſurdum & Stancaricum.

CV. Sequitur præterea, humanam CHRISTI naturam eſſe organon judicij ἀνέργητον, neq; inſtrumentũ perſonaliter unitum & vi agentis primarij, ex communicata ſibi per unionem hypoſtaticam poteſtate, συνέργον; quod item abſurdum, & Neſtorianum.

CVI. Sequitur deniq; CHRISTO HOMINI, in actu illo judicario, non plura ac majora competere, quàm quæ ipſis Apoſtolis adeoq; ſanctis omnibus in Scriptura tribuuntur, quod itidem abſurdum & planè Antichriſtianum. *Matth. 19, 28. 1. Cor. 6, 3.*

CVII. Quæ & ſimilia dum nonnulli ex Calviniano grege altiùs ſecum expendiſſent: à Sociorum utiq; Negativa in noſtram Affirmativam concedere non dubitârunt, uti videre licet apud Zanchium.

lib. 2. de Incarnat. quæſt. 12. p. 409.

FINIS.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS QUINTÆ
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

CASPARO BARGELIO

Dantiſco-Boruſſo.

Ad diem 9. Februarij horis locoq; conſuetis.

PROBLEMA I.

An Spiritus ſanctus ſimul à Patre & Filio procedat?

VEL

An ſolus Pater ſpirando producat Spiritum ſanctum, excluſo inde Filio; an verò uterq; & Pater & Filius ſimul unâ indivulsâ ſpiratione, Spiritum ſanctum producant, ut ita ipſe utriusq; θεσβολὲς & commune ſpiraculum vel θεόλημα exiſtat?

PROPOSITIO I.

EXpeditis hactenus iis, quæ *ſecundum* Symboli Apoſtolici Articulum ſpectant: rectâ jam linea progredimur ad *tertium*, qui Spiritui ſancto dicatus.

II. Eſt is *duarum* partium: In *priori* de Spiritu ſancto: in *poſteriori* de Ordinaria Spiritus ſancti *officina*, id eſt, Eccleſia, ejusq; *κειμηλίοις tum* in hoc *tum* in altero ævo agitur.

III. Perperam proinde facit *Calvinus*, ejusq; gregales, qui nexum hunc arctiſſimum rumpere, adeoq; ex hoc tertio Symboli articulo *duos*, eosq; toto genere invicem ſeparatos, vano *νεωτεροποιήσεως* ſtudio, facere non formidant.

IV. Hac vice de Spiritu sancto, quædam proponemus Problemata, inrer quæ non ultimo collocandum loco id, quod est de Processione Spiritus sancti.

V. De qua quid in controversiam hodieq; veniat ex quæstione, in limine istius Dissertatiunculæ, designata, clarè & perspicuè elucet.

VI. Revocabimus ejus ἐξάπλωσιν ad *duo* capita, quorum *prius* θέσιν ὀρθοδοξίας confirmandam: *posterius* ἀντίθεσιν ἑτεροδοξίας confutandam sibi vindicabit.

θέσις ὀρθοδοξίας. VII. θέσις ὀρθοδοξίας comprehensa est in posteriori quæstionis parte, quam prior Christi Ecclesia ὁμοθυμαδὸν tenet & tuetur; sicut ipsius testatur *Confessio in Synodo Florentina* hisce verbis edita:

In nomine sanctæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicq; omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet, ex Patre simul & Filio, & ex utroq; æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.

Confirmatio theseos per Scripturæ VIII. *Confirmationem* istius theseos orthodoxæ constituunt αὐτόπται Scripturæ *Testimonia*, quibus nos, *Suffragia* Orthodoxæ Antiquitatis, consensus testificandi gratiâ, ἐκ τῆς θεοσεβείας, adjungemus.

I. *Testimonia V.* IX. Prodeant igitur Scripturæ θεοπίσματα eo ordine, quo in codice Biblico consignata extant; sed compedibus Syllogisticis illigata; quandoquidem non ῥητῶς: sed, per consequentiam, thema illud indè astrui oportet.

1. X. In *primo* igitur limine occurrit illud *Esa. c. 11.* quo Spiritus sanctus *Spiritus labiorum Christi dicitur*, perinde ut 2. Thess. 2. idem *Spiritus oris* ejus appellatur.

XI. Inde sic argumentamur:

De similibus idem est judicium.

Iam verò Spiritus sanctus dicitur (i) *Spiritus oris Dei Patris*, eò quòd ex incorporeo Deitatis ipsius ore procedat, vel, ut (k) Basilius loquitur; quia πνεῦμα ἐκ τοῦ ἀῤῥήτου στόματος ἀῤῥήτως ἐκπορευόμενον

Ergo

Ergo pari ratione est & dicitur Spiritus labiorum & oris Christi, propter inenarrabilem nempè ex essentia ipsius processionem.

(i) *Psal. 33. 6.* (k) *in Homil.* εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα, *&c.*

XII. Et idipsum sanè est, quod Christus δείξει ὀφθαλμοφανῆ insinuare voluit; dum halitu ex ore emisso, tanquam Symbolo παρεκτικῷ vel exhibitivo, Apostolis suis Spiritum simul sanctum dedisse legitur, *Ioh.* 20.

XIII. *Secundò* huc pertinet istud Christi *Ioh.* 15, 25. & 16, 7. *Quem ego mittam vobis à Patre.*

XIV. Isthinc enim tale argumentum texi potest:

Si Christus potestatem habet mittendi Spiritum sanctum: ab eo etiam hic procedat necessum est.

Sed verum prius, *Ergo & posterius.*

XV. *Assumptum* ex pronunciato Christi jam prolato per se patet Ratio connexionis in *copulato* indiget & *probatione* & *declaratione.*

XVI. *Probatio* hæc est. Quia aliàs non potest afferri causa, ob quam Christo jus mittendi Spiritum sanctum competat, siquidem è sola ὁμοουσίᾳ illud evinci nequeat.

XVII. *Declarationem* suppeditat exemplum Dei Patris. Sicut enim is à nemine mittitur, eò quòd planè ἀναρχος καὶ ἀναίτιος: Ipse verò mittit Filium, quia ab ipso solo ἀϊδιως genitus: ita quoq; Spiritus sanctus non à solo Patre: Sed à Filio etiam mittitur, quia ab utroq; pariter, uno & eodem æternæ processionis actu existit.

XVIII. Et hæc causa est illius ἀϊδιοφῆς, quâ Pater Spiritum Filij, & viceversa Filius Spiritum Patris mittere pronunciatur. *Gal. 4, 6. Iohan. 15, 26.*

XIX. *Tertiò* eôdem faciunt nomina Spiritus sancti, quibus (l) *Spiritus* Christi, (m) *Spiritus Filij*, (n) *Spiritus Iesu Christi*, in Scriptura salutatur, & quod observationem præcipuam meretur, etiamtum à Patre mittitur Spiritus Filij, Gal. 4, 6.

(l) *Rom. 8, 9.* (m) *Gal. 4, 6.* (n) *Phil. 1, 19. 1. Pet. 1, 11.*

XX. Ex his enim istiusmodi formari potest argumentum:

Cujus personæ Trinitatis Spiritus sanctus dicitur esse Spiritus: Ab illa etiam spiratus procedit: Vel, ut habet illud (a) *Augustini*: *Ejus est Spiritus unde Spiratur.*

At dicitur & est non tantùm Patris, sed etiam Filij Spiritus.
Ergo, non à Patre solùm: sed à Filio etiam spiratus procedit.

(a) *Tract. 99. in Ioh.*

XXI. *Minor* manifesta est ex testimonijs Scripturæ jam allegatis.

XXII. *Majoris* veritas elucet è consimili Scripturæ loco, quo Spiritus S. dicitur (o) Spiritus Patris; eandem pariter ob causam, quia nimirum ab ipso procedit, per internam & æternam hypostáseos ejus productionem, (p) interprete Apostolo, cui Synonyma sunt: Spiritum Dei esse & esse Spiritum ex Deo.

(o) *Matth. 10, 20. Rom. 5, 9.*

(p) *1. Cor. 2, 11. 12.*

XXIII. Planè ut unum & idem sunt Filium Dei esse & ex Deo natum esse. *Psalm. 2, 7.*

XXIV. *Quartum* testimonium est ipsius Christi Johan. *16.* 4.

Spiritus sanctus de meo (ἐκ τοῦ ἐμοῦ Ex meo) *accipiet & annunciabit vobis.*

Et paulo pòst: *Propterea dixi, quia de meo* (ἐκ τοῦ ἐμοῦ Ex meo, *accipiet, &c.*

XXV. Syllogismus talis esto:

Quicquid accipit Spiritus sanctus à Christo, id non in tempore accipit, sed ab æterno.

Iam Spiritus sanctus omnia accipit à Christo. *Ergo.*

XXVI. Et rursum:

Quicquid ab æterno Spiritus sanctus à Filio accipit: id ut, per æternam ab ipso processionem, accipiat, necessum est;

Sed Spiritus sanctus omnia accepit à Filio ab æterno. *Ergo.*

XXVII. Major sic illustrari potest; sicut enim Filius non nisi per generationem omnia à Patre accepit: ita quoq; Spiritus non nisi per æternam processionem omnia à Filio accepisse, rectissimè creditur.

XXIIX. *Quintum* locum sibi vendicant iterum hæc Christi apophthegmata: 5.

Joh. *16. Omnia quæ pater habet mea sunt.*

Joh. *17. Omnia tua mea sunt.*

XXIX. Hinc tale conficimus argumentum:

Quicquid habet Pater, id omne etiam habet Filius (πλὴν τῆς ἀγεννησίας;

ὑποίας καὶ ὑφυπόστεως, juxta limitationem (q) *Damasceni* ex *Augustino*.

Iam verò hoc habet Pater, quòd ex ipso procedit Spiritus sanctus. Ergo idem etiam habet Filius.

(q) *lib. 1. ὀρθ. πίς. cap. 10.*

XXX. Et sic vidimus classica Scripturæ testimonia, pro nostra, de processione Spiritus sancti, ex Filio ὀρθοδοξίᾳ certatim militantia.

XXXI. Restant *suffragia Orthodoxæ* Antiquitatis Græcæ, ideò *II. Suffragia* adjungenda, quia Græci autoritate Græcorum Patrum, suam *Orthodoxæ* causam maximè munire ac stabilire conantur; sicut cernere est *Antiquitatis* in secundo responso *Ieremiæ*, Patriarchæ Constantinopolitani, *tis. fol. 218. 219.*

XXXII. Eorum autem potissima collegit *Lombardus* ex *Athanasio, Didymo, Cyrillo, Chrysostomo. Lib. 1. Dist. XII. E.*

XXXIII. Nos saltem unum atq; alterum breviter adscribimus.

Athanasius in Symbolo fidei:

Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Chrysostomus Homil. 1. & 2. de Symbolo.

Iste est Spiritus à Patre & Filio procedens.

Cyrillus in Epist. contra Nestorium directa:

Spiritus intelligitur per se secundum quod Spiritus est, & non Filius: sed tamen non est alienus ab eo: Spiritus enim nominatur & profluit ab eo, sicut ex Deo Patre.

XXXIV. Et hactenus thesis ὀρθοδοξίας, ejusq; confirmatio; *Antithesis* subsequitur *antithesis* ἑτεροδοξίας, ejusq; confutatio. ἑτεροδοξί-

XXXV. Continetur *antithesis* illa in *priore* quæstionis parte, ας. quam asserunt & propugnant *Græci* tum *Antiquiores* superiorum, tum *Recentiores* hujus præsentis seculi.

XXXVI. Quæ *Antiquiorum* fuerit sententia: docet *Damascenus* partim *opertiùs* partim *apertiùs*.

XXXVII. *Opertiùs* Lib. 1. *Orth. Fid. c. 10.*

ὁμοίως πιστεύομεν εἰς ἓν τὸ πνεῦμα, ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐν υἱῷ ἀναπαυόμενον.

Item: ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ δι' Υἱοῦ μεταδιδόμενον· καὶ μεταλαμβανόμενον ἐκ πάσης κλίσεως.

XXXIX. *Apertiùs*: Libro 1. Orthodoxæ fidei cap. 11.

τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ Πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα Πατρὸς ὀνομάζομεν: ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν, πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν.

Syngelus & Dionys.

XXXIX. Quid *Recentiores* hodiè sentiant, abundè demonstrant & declarant *Acta VVirtebergensium*; ubi in secundo responso Patriarchæ Constantinopolitani, prolixè & acerbiusculè contenditur, quòd Spiritus sanctus a Patre solùm procedat: à Filio autem minimè.

(f) 200. *sub tit.* περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος.

XL. Nos *principium* saltem & *finem* illius discrepationis asscribimus, eo fine, ut, hodieq; Græci à nostris, in hoc doctrinæ capite, Ecclesijs dissentiant, perspici intelligiq; possit.

XLI. *Principium* tale est: ἔστιν οὖν τὸ πρῶτον, ἐν ᾧ διαφωνοῦμεν, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπόρευσις.

XLII. *Finis* verò sic habet:

Ἄφετε τοίνυν, πρὸς Θεοῦ, ἄφετε τὸ προφέρειν λόγους τούτους ἕνεκα ἀληθείας μακράν, καὶ τὸ εὐσεβὲς δόγμα λάβετε ὡς ἐσαφηνίσαμεν. ἐκ τοῦ Πατρὸς γινόσκοντες τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον, καὶ οὕτως ὡμεν περὶ τούτου φίλοι καὶ ἀδελφοὶ ἐν Χριστῷ.

Refutatio antirrheseos.

XLIII. Sed nos conferamus ad ἀντίθεσιν isthanc Græcorum breviter quidem, sed solidè *refutandam*.

XLIV. Synopsis & metropolis istius Refutationis esto catholicus isthic Syllogismus.

Doctrina pariens absurditates in Theologia monstrosissimas, inq; articulum de Deo Vno & Trino adversa fronte impingentes: impia est & falsa ac proinde extra Ecclesiæ fines proscribenda:

Sed talis est doctrina Græcorum, qua Spiritum sanctum, à solo Patre: non autem simul à Filio procedere contendunt,

Ergò hæc Græcorum doctrina impia & falsa, ac proinde extra Ecclesiæ fines proscribenda.

XLV. *Assumptionem* confirmamus ἐπαγωγῇ vel ἐπαριθμήσει absurditatum Theologicarum, quæ ex illa Græcorum δόξο-

δοξο-

δοδοξίας, tanquam ex impuriſſimo fonte, profluunt & emanant.

XLVI. *Primò* enim: ſi Spiritus ſanctus non à Patre & Filio ſimul procedit: tum (r) unitas illa & identitas eſſentiæ divinæ, (quâ Pater & Filius unum ſunt, & eſſe dicuntur) dividitur, eoq; Tritheitarum delirium, quo tres numero Deos eſſentijs inter ſe diviſos conſtituerunt, ſtabilitur.

(r) *Iohan. 10, 13. c. 17, 21.*

XLVII. *Secundò*: Si Spiritus ſanctus non etiam à Filio procedit: non habet proprium ipſe Spiritum; id quod Scripturæ teſtimonijs ſuperiuſculè allegatis omnino adverſatur.

XLIIX. *Tertiò*: Si Spiritus ſanctus à ſolo Patre procedit, ſicut Filius ex Patre ſolo genitus: tum expirat ratio ordinis inter perſonas Sacroſanctæ Trinitatis. Cauſa enim afferri non poteſt: cur Filius, & non potius Spiritus ſanctus, pro ſecunda illius perſona agnoſcatur, *cum & generatio & ſpiratio ſint* operationes coæternæ.

XLIX. *Quartò*: Si Spiritus ſanctus non etiam à Filio procedit: utiq; nulla monſtrari poteſt hypoſtatica connexio inter Filium & Spiritum ſanctum, id quod abſolutiſſimæ ſacroſanctæ Trinitatis perfectioni, & perſonarum ejuſdem mutuæ connexioni & περιχωρήσει intimæ καθ' ὑπερβολὴν contrarium & infeſtum.

Cætera huc referantur & diſputatione noſtra de Proceſſione Spiritus ſancti.

PROBLEMA II.

An peccatis contra conſcientiam à Renatis & Electis etiam excutiatur & amittatur Spiritus ſanctus?

L. *Affirmativam* iſtius Problematis tenent *Lutherani*: *Negativam* vero *Anti-Lutherani*, id eſt Zvvinglio-Calviniani.

I. *Pro Affirmativa Lutheranorũ.*

LI. *Affirmativam ſuam* probant *Lutherani*, partim *Argumentis*, partim *Exemplis* Scripturæ.

1. *Argumenta* ex manifeſtis Scripturæ dictis, bonâ conſequentiâ exprimi & expromi facilè poſſunt.

13. Acta IV.

1. LIV. Ac *primum* quidem ex illo τῦ ἱεροψάλτυ *Psal. 51. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

LV. Syllogismus talis esto:

Cujus ablationem deprecantur Electi: id utiq; ab illis auferri & amitti potest.

Atqui Electi, (v. g. Davides) *deprecantur oblationem Spiritus sancti.* *Ergo.*

2. LVI. *Secundum* extruimus ex illo Apostoli, *Rom. 8.* de renatis pronunciantis: *Si secundum carnem vixeritis moriemini.*

LVII. Syllogismus potest esse ejusmodi:

Si renati viventes secundum carnem, æterna morte mori possunt: utiq; excutiunt & amittunt Spiritum sanctum.

Sed verum prius, ex sententia Apostoli jam allegata. *Ergo.*

3. LVIII. *Tertium* sumimus ex isthoc Apostoli & Evangelistæ Iohannis 1. *Epist. c. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est.*

LIX. Unde sic argumentamur:

Quicunq; est ex Diabolo, is non est ex Deo Spiritu sancto.

Sed quicunq; facit peccatum, sive Renatus, sive non Renatus, sive Electus, sive Reprobus est ex Diabolo, attestante universaliter Apostolo loco jam allegato.

4. LX. *Quartum* subministrat Epistola ad *Hebr. cap. 6.* ubi hæc verba memoriæ prodita extant:

Fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintq; donum cœleste, & participes facti fuerint Spiritus sancti, gustaverintq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renoventur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ludibrio exponentes.

LXI. Isthinc tale conficimus argumentum:

Quicunq; participes facti Spiritus sancti, & charismatum ejus: absq; pœnitentia pereunt: ij amittant Spiritum sanctum necessum est.

Atqui qui toti de toto & in totum decidunt. (De his enim loquitur Apostolus) *absq; pœnitentia pereunt.* *Ergo.*

LXII. Quæ ex alijs (p) Scripturæ dictis elici & educi poterant; βραχυτητοφιλίας ἕνεκα, silentio involvimus.

(p) *Sap. 1, 5. Luc. 11, 24. 25. 26. Iohan. 14, 17. 23. 1. Cor. 3. 16. 1. Cor. 9, 27. 6. 11, 32. Gal. 5. 18. 19. & seq. Apoc. 2, 5.*

63. Exem-

LXII. *Exempla* passim obvia sunt in theatro Biblico; spectemus saltem unum atq; alterum, quæ præ cæteris insignia, & αἰξιοθέατα ut: *Saulis Davidis*. 2. *Exempla.*

LXIV. *Saulem* verè fuisse renatum, & Spiritu sancto non tantum quoad Prophetiæ donum: sed etiam quoad sanctificationis gratiam donatum, luculenter apparet ex eo, quòd Deus dicitur ipsi dedisse aliud cor *1. Sam.10,9.*

LXV. Verùm de eodem in eodem libro cap. 16, Διαρρήλω commemoratur, quod SPIRITUS IEHOVAH abipso recesserit, succedente in ejus locum malo SPIRITU à IEHOVAH.

LXVI Davidem fuisse templum SPIRITUS sancti nemo est qui eat inficias.

LXVII. Sed eundem in adulterium & homicidium prolapsum SPIRITUM sanctum retinuisse, Scriptura tum in (q) *genere* tùm in *specie*, in universum (r) inficiatur.

(q) *1. Ioh.3,15. Gal.5,19.20.*

(r) *1. Sam 12 5.7.*

LXVIII. Eoq; alludit ipse vates *Regius Ps.51.* dum voce querulâ & lamentabili supplex orat: ne ampliùs SPIRITUS sanctus à se auferatur, ut lætitia Salutaris sibi reddatur, ut SPIRITU spontaneo sustentetur, ne ruat ulteriùs in peccatum contra conscientiam, & tam sanctum hospitem è corde ejiciat suo.

LXIX. Et sic quoque interpretatur *Lutherus*: uti vel unica hæc ejus sententia abunde testatur.

Sicut autem per lubrica & immunda luto loca qui ambulant, facilè aut labuntur, aut polluuntur ab aliis: Ita sæpe excidimus à gratia, & amittimus per peccata contra conscientiam admissa SPIRITVM sanctum. Sic accidit Davidi. Ideò agnoscens periculum, orat, ne tollat DOMINVS SPIRITVM sanctum suum,

Tom.4. Ien.Lat fol.789.

LXX. Addè quod & *Oecolampadius* ipse ad eundem scopum planè ορθοδόξως verba Davidis refert *SPIRITVS sanctus*, inquiens, *qui piis datur si somniculosi & frigidi fuerint iterum potest auferri. Vnde David illum sibi restitui petit, dicens: Redde mihi lætitiam salutaris tui, &*

SPIRITV principali confirmame. Quæ non oraſſet, ſi non periclitarentur deſides, &c. Demogor. II. p. 60.

II. *Negativa Calviniano-rum.*

LXXI. Et tantum de *Affirmativa Lutheranorum: Negativam Zvvinglio-Calvinianorum* uno Spiritu propalam ebuccinavit *Beza* in Colloquio Mompelgartenſi, *fol.* 464. horrenda voce hunc in modum clamans:

Ego dico, Davidem in adulterio perpetrato, retinuiſſe fidem & Spiritum ſanctum, neq; eum amiſiſſe. *Quod ſimilitudine declarabo. Ebrius non amittit intellectum ſeu rationem: etſi quamdiu ebrietas caput ejus occupat, ratio ſeſe non exerat, ſed ſimilis ſit animali bruto. Et quemadmodum ignis cineribus tectus, minimè exſtinctus eſt, ſed latet: Ita etiam, gratia, fides & Spiritus ſanctus in lapſibus Electorum, ad tempus teguntur, ut non ſentiantur, donec ad ſeipſos redeant, & peccatum ſuum agnoſcant, & pœnitentiam agant. Quod in Davidis adulterio quoq; factum eſt: in quo gratia Dei ad tempus tecta, ſed non amiſſa fuit.*

Et mox iterum:

Sicut ebrietas uſum rationis aliquando auferre poteſt, non autem ipſam rationem: ſic quoq; Spiritus ſancti, fidei & gratiæ Dei uſum, in Electis perpetrata peccata, aliquandiu auferre poſſunt, non autem ipſam gratiam Dei, fidem & Spiritum ſanctum, qui in illis manet, & ab eis non recedit, ſicut quoq; à Davide non receſſit.

LXXII. Ejuſdem profanitatis floſculos legere licet, ſi liber, in ſcriptis aliorum Calviniſtarum, ut:

2 *Zanchij in Miſcell. fol. 72.*

3 *Grynæi in Theſauro Loc. c. de fide in genere Theſ. 12.*

4 *Piſcatoris in Germ. Bibl. ad cap. 8. Rom.*

Refutatio per abſurda.

LXXIII. Nos monſtro illi immani, cui lumen & numen adempтum, opponimus: monſtra abſurditatum, quæ in Monſtro illo, tanquam in equo altero Trojano, occluſa latitant.

LXXIV. Sequitur enim ex prodigioſo iſto Calvinianorum dogmate, quòd *perpetrantes peccata contra conſcientiam, in ipſo actu peccati, Spiritum ſanctum retineant.*

LXXV. 1. Quòd Spiritus ſanctus non ſit ſanctus: Habitat enim tantùm in ſanctis. *1. Cor. 3, 17. Sap. 1, 5.*

LXXVI. 2. Quòd non sit Deus. Deus namq; ijs promittit inhabitationem, qui separantur de medio impiorum: & immundum non tangunt, 2. *Cor. 6, 16. 17.*

LXXVII. 3. Quòd vana & inanis doctrina de perseverantia, quam tamen toties inculcat Scriptura.

Rom. 11, 20. 1. Cor. 10, 12. 2. Cor. 6. Phil. 2, 12. 1. Tim, 1, 18.
Apoc, 2, 10. c. 3, 11.

LXXIIX. 4. Quòd in Renatis non cadant peccata mortalia, id quod & dictis & exemplis Scripturæ, paulò antè allegatis manifestò adversatur.

LXXIX. 5. Et quid quæso περιπολογία ista aliud, quàm porta bipatens ad securitatem & ἀσέλγειαν.

LXXX. 6. Et unde ista trahit originem, quàm partim ex *Papismo*, partim ex *Anabaptismo & aliorum fanaticorum furoribus.*

LXXXI. De *Papismo* videatur:

Synod. Tridentina sess. 6. can. 28.
Censur. Colon. Theol. fol. 113.

LXXXII. De *Anabaptismo* & alijs fanaticis notetur judicium Witebergensium aliâs tum temporis καλβινιζόντων, *in Propositt.*

Ingens furor est Anabaptistarum & aliorum Fanaticorum, *qui contendunt, renatos non posse labi, aut certò non effundere Spiritum sanctum, & rursus fieri reos iræ Dei, etiamsi violent præcepta Dei contra conscientiam: cum non solùm dicta cœlestia, sed etiam exempla Scripturæ manifestè refutent hanc amentiam. Certum est, Adam & Evam amisisse gratiam & illam præstantiam donorum, quam habuerunt. Aaroni Deus horribiliter irascitur, propter fabricationem vituli aurei. Saul à Deo avulsus in æternum ruit exitium. David, Petrus & alij, non sine ingenti luctu & certamine ad Deum rursus convertuntur. Et nota est illa gravissima Pauli concio: Qui stat videat ne cadat. Et illi Petri Oratio: Si cum effugerint contaminationes mundi, per agnitionem Domini nostri Iesu Christi, his, rursus implicantur, fiunt ejus novissima deteriora prioribus. Et Apocal. 2. Memor esto, unde lapsus sis, & pœnitentiam age.*

LXXXIII. Quòd objiciunt absurdum esse, & Spiritu sancto planè indignum, toties ejici, & toties rursus effundi: ex falsa oritur hypothesi.

LXXXIV. Spiritus enim sanctus ab Electis recedere, & ad eos iterum accedere dicitur, *non secundum essentiam, sed secundum gratiam.*

LXXXV. Quod Beza illud *Rom. 11.* urget, quòd nimirum dona Dei ἀμεταμέλητα: siccum est & exuccum.

LXXXVI. Etenim quòd dona Dei ἀμεταμέλητα dicitur, quòd eadem ἀναφαίρετα non dicuntur.

LXXXVII. Commendatur igitur verbis Apostoli Dei in donis suis ἀπροσωπολήπτως offerendis immota veritas: non verò promittitur hominibus ex ijsdem non auferendis securitas.

LXXXVIII. Etsi verba illa συγκεχυμένως & indeterminatè accipienda: an non inde consequetur nihil omninò donorum Dei iterum amitti & auferri posse? id quod planè ἀνυπόφορον *Matth. 22. v 28. 29.*

LXXXIX. Legatur colloquium Mompelgartense *fol. 464 465. 466. 467.*

XC. Placet ἐπισύγματον loco, his, quæ de hoc Problemate allata ac disputata hactenus, superaddere, locum maximè ἀξιομνημόνευτον, summi illius & incomparabilis Theologi D. Joachimi Morlini:

Quæritur de relapsis? David post lapsum retinet noticiam quandam doctrinæ, sed vivit excusso Spiritu sancto, & amissa fide in summa securitate & contemptu judiciorum Dei. Non cogitat tanti momenti esse peccatum, multo minus contristatur, & cogitat, quomodo Deo reconcilietur. Est igitur sine vero timore Dei, sine vera peccati agnitione, sine fide & Spiritu sancto, tantùm hypocrita perditissimus. Audita verò Dei increpatione per Nathanum Prophetam, redit peccati agnitio & vera pœnitentia, ac fiducia misericordiæ. Nec illa fiunt præveniente ac cooperante Davidis voluntate, sed voluntate & cooperatione Spiritus sancti, revocantis Davidem suo verbo & voce sui ministerij, quâ excitat tales motus in ipsius corde, ut non reluctetur, sed de peccato perterrefiat, & simul con-

fugiat

fugiat ad gratuitam reconciliationem. Ita quicunq; retrorsum conversi & elapsi fuerint à sancto mandato ad mundi coinquinationes, ut Petrus vocat, etiamsi retinent qualemcunq; Legis noticiam & Evangelij in mente, qualis etiam est in Diabolis & impiis: Tamen sunt sine vero timore Dei, sine fide in Christum, Ergò & sine Spiritu sancto. Vt autem fiat nova conversio à peccatis, hoc similiter, ut in prima conversione, non est cooperationis voluntatis arbitrij, aut ullius exercitij humani, sed solius Spiritus sancti. Quod primùm igitur conscientia incipit moveri, cogitare, & serio affici de peccato, de judicio Dei, & sitire Dei misericordiam & gratiam: ibi iterùm adest Spiritus sanctus, qui hæc operatur in corde tuo, alioqui eras aut excussurus omnes monitiones, & securè perseveraturus in peccatis: aut sine spe veniæ in summa desperatione periturus. Vt autem hæc pœnitentia, & quantumvis infirma, vera tamen fides in te crescat, hic & tu ipse orare potes, & aliorum quoq; orationes petere pro argumento & corroboratione fidei tuæ, quæ etsi non semper & in omnibus est ignis & facula ardens: tamen & linum fumigans Christo gratum est, & illud nequaquam extinguet. Sit igitur talis certus, se quoq; hac infirma & languida fide Deo iterum acceptum esse, &c. Pulchrè & rectè sæpè dicebat Lutherus: Etiam fides est, si optes & velis te posse credere firmiter, quia credere, est sperare contra spem in spem.

PROBLEMA III.

Num Spiritus sanctus detur & habitet in credentibus quoad substantiam vel ἀπωδῶς an verò tantum quoad dona ἐνεργητικῶς?

XCI. In *posteriorem* ittius problematis partem nonnullos olim inclinasse autor est *Longobardus Lib. I. Dist. XIV. lit. C.*

XCII. Verba ejus hæc sunt:

Sunt autem aliqui, qui dicunt Spiritum sanctum ipsum Deum non dari, sed dona ejus, quæ non sunt ipse Spiritus & ut ajunt, Spiritus sanctus dicitur dari cum gratia ejus, quæ tamen non est ipse qui datur hominibus. Et hoc dicunt Bedam sensisse in superioribus verbis, quibus

Pro parte priore contra partem posteriorem.

bus dicit Spiritum sanctum procedere, cum ipsius gratia datur hominibus: tanquam non ipse detur, sed gratia ejus.

XCIII. Quid verò Ecclesia Catholica? *Priorem recipit, posteriorem partem reijcit;* innixa clarissimis Scripturæ *testimonijs*: *Rationibus* Fidei analogis, antiquitatis Orthodoxæ *suffragijs.*

2. *Testimonia Scripturarium generum.*

XCIV. *Testimonia* Scripturæ clarissima præcipuè sunt, in quibus *partim* Emphasis pronominum: *partim* distincta donorum mentio: *partim* aliæ circumstantiæ & προσφοράς ostendunt, vocabulum Spiritus non de donis: sed de ipsomet Spiritu sancto intelligendum esse.

XCV. Testimonia *primi* generis hæc sunt.

Ioel. 2. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.

1. Iohan. 4. Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.

XCVI. Ad *secundam* classem referri possunt isthæc:

Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum Rectum *innova in visceribus meis.*

Ne projicias me à facie tua, Spiritum sanctum *tuum ne auferas à me.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali *confirma me.*

Zach. 12. Et effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum.

Rom. 5. Dilectio effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

XCVII. Ad *tertium* ordinem hæc pertinent.

1. Cor. 2. Nos non Spiritum mundi accepimus: sed Spiritum qui est ex Deo.

Rom. 8. Quod si Spiritus excitantis Iesum à mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter ipsius *Spiritum inhabitantem in vobis. Gal. 4. Emisit Deus Spiritum Filij Sui in corda.*

XCVIII. Ex rationibus *fidei* analogis duas apponimus.

XCIX. *Prior* ex (a) *Omnipræsentia Spiritus Sancti hunc in modum ex-*

trui

truipotest: Quicunq; essentia sua orbem terrarum implet: is utiq; II. Rationes fidei analogadua.
non absens sed præsens secundum essentiam, in credentibus operatur.

Atqui Spiritus sanctus implet orbem terrarum, essentia sua. Ergo.

(a) *Psal. 139, 7. Sap. 1, 7.*

CI. Posteriorem ita informat & adornat Theander *Lutherus.*

Si Spiritus infernalis adeò potens est ex permissu Dei, ut quoad essentiam in homines intrare, eosq; corporaliter obsidere valeat: multò magis Spiritus sanctus quoad substantiam in credentibus habitaverit. Sed verum prius. Ergo & posterius.

CII. *Antiquitatis orthodoxæ suffragia* collegit Longobardus loco antè allegato: nobis arridentbæc duo: III. Suffragia Orthodoxæ Antiquitatis.

Augustinus Sermo. 34. in Epist. Joh.

Magna est Dei misericordia, qui donum dat sibi æquale, quia donum ejus est Spiritus sanctus.

Cyrillus lib. 7. de Trinit.

Et Spiritum nobis dedit, qui proprius ipsius est.

CIII. *Præbet* hæc consideratio *triplicem* usum. Usus triplex.

CIIII. I. est διδασκαλικὸς monens de stupenda Dei φιλανθρωπία, reddentis nos gratiosa Spiritus sancti κατοικήσει τῆς θείας φύσεως κοινωνὸς, 2. Pet. 1, 4.

CIV. 2. Παραμυθικὸς, ut (a) ἀκριβέστερον τῷ πατῶμεν, ne Divinum isthunc Hospitem (b) aut contristemus, aut exturbemus, uti (c) Saul, (d) aut contumelia afficiamus.

(a) *Eph. 5, 15.* (b) *Eph. 4, 30.* (c) *1. Sam. 16, 14. 6.* (d) *Heb. 10, 29.*

CV. 3. Παρηγορικὸς, quod (e) is qui in nobis fortior, quàm is qui in Mundo, (f) qui etiam, supra quàm dici potest, potens ad perficere, quod in nobis incepit.

e *1. Iohan. 4, 4. f. Phil. 1, 6.*

CVI. Legatur Chemnitius *in 1. Parte L. C. m. p. 255. 256.*

EX

299

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS QUINTÆ
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
M. WILHELMO SCHWAGERO
Villacensi.

Ad diem 16. Februarij horis locoq; consuetis.

PROBLEMA IV.

An Ecclesia possit deficere?

PROPOSITIO I.

IN Secundo Symboli Articulo perventum est usq; ad doctrinam de Ecclesia hoc comprehensa paragrapho:

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

II. Quæ posteriora verba, ὡς ἐν ἐπιβολῇ καὶ ἐπεξήγησιν, adjiciuntur, ex 2. *ad Corint. c.* 8. 14.

III. Ecclesia enim etsi *una* numero, & Christi Unius sui (a) *Capitis*, (b) *Sponsi* (c) *Pastoris*, unum *corpus*, una *columba*, unus grex, unusq; in illa (d) Spiritus, una *fides*, unus *baptismus*.

(a) *Oseæ. c. 2. 11. Eph. 4, 4.* (b) *Cant. 6. 8.* (c) *Iohan. 10, 16.*
(d) *Ephes. 4. 45.*

IV. Cujus gratia in Symbolo Apostolico dicimus: Credimus *Ecclesiam* in *singulari* numero, non Ecclesias in plurali.

Distinctio Ecclesiæ.

V. Et in Symbolo Niceno: *Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.*

VI. Interim tamen pro diverso considerationis modo eadem distingui potest ac solet; distinctione *non reali* quidem *sed formali*: in *Visibilem* & *Invisibilem*.

VII. *Visibilis*, ἐν τῷ πλάτει accepto vocabulo, consideratur σχηματισμένως ratione *Existentiæ* & *Vocationis*, quo ad *externum* & *visibile*

bile inter homines ministerium, constans incorrupta doctrinæ Cœlestis prædicatione, & legitima Sacramentorum administratione.

VIII. *Invisibilis* verò voce ἐν τῷ βάθει sumtâ, consideratur διωρισμένως ratione *Essentiæ & Electionis*, quo ad internam & invisibilem *fidem erga Deum.*

IX. Quo respectu dicitur *credi*, & in (e) Augustana Confessione definitur congregatio Sanctorum, & verè credentium.

(e) *Articul. 7.*

X. Et hic in Symbolo Apostolico Communio Sanctorum, itemque sancta & Catholica.

XI. Quam posteriorem vocem Lutherus noster exposuit, Christlich/ propter rudiores, Ὁμοιίας ἕνεκα: nequaquam verò malo dolo expunxit, sicut Catholici falsò dicti falsò & calumniosè fabulantur.

XII. Cæterùm si quis est Fidei Christianæ articulus de quo hodieq; inter nos & Romanenses conatu dimicatur acerrimo: hic præsens certè est, de Ecclesia.

XIII. Eò enim isti omnem lapidem movent unicè, ut sibi & idolo suo Tarpejo Ecclesiæ titulum in solidum vendicent.

XIV. Quo fine? Non alio sanè, quàm ut nos pro hæreticis igne & ferro exterminandis, vel ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ redigendis, speciosiùs proclament.

XV. Inter alias verò quæstiones controversas de Ecclesia non extremum occupat locum, ea quæ in prima hujus Disputationis acie ac facie posita.

XVI. Et Bellarminus quidem ipse Statum Controversiæ eundē in modum format, sicut ostendit titulus *Cap. 13. Lib. 3. de Eccles. Milit.*

XVII. *Romanenses* communiter statuunt Ecclesiam Romanam, ad unam certam sedem & successionem Episcoporum, sub summi Pontificis regimine, alligatam esse, adeoq; nunquam defecisse, nec unquam deficere posse, sed *semper* illustrem & ubiq; terrarum notam ac celebrem esse,

Bellarm. lib. 4. de Pontif. Rom. c. 4.

XIIX. *Nos* ut nostram explicatiùs accuratiùsq; proponamus sententiam, *distinguimus* inter Ecclesiam *Universalem* vel *Catholicam*, aut καθόλου sumptam, & Ecclesias *particulares.*

Lutheranorũ sententia bipartita.

XIX. *Catholicam* Ecclesiam ὁλικῶς defeciſſe aut deficere poſſe nemo Lutheranorum ſcripſit aut dixit unquam, vel ipſo etiam Bellarmino teſte.

XX. Obſtant enim præclariſſima Ecclesiæ (*f*) privilegia à Deo ipſi attributa, eaq; Scripturæ (*g*) teſtimonia, quibus Deum ſibi ſemper aliquas reſervare reliquias firmiſſimè perſuademur.

(f) *Pſal. 47, 9. Matth. 16, 18.* (g) *1. Reg. 19, 18. Eſa. 6, 1, 9. Zephan. 3, 12. Rom. 11, 4. 5. Apoc. 12, 14.*

XXI. Quoad *particulares* verò Eccleſias non certè eſt de Eccleſiæ eſſentia, ut in eodem ſtatu & gradu immutabilis ſemper & ubiq; perſiſtat: Sed Lunæ inſtar, utiq; mutationi obnoxia eſt, & quidem *duplici*.

Explicatio prioris partis.

XXII. *Vna* eſt, qua fieri poteſt & ſolet ut interdum amiſſo externo ſplendore, in abſcondito lateat, & conſervetur, in exigua quadam paucitate, eâq; tantilla, ut præ ingenti aliorum multitudine Mundo non appareat, licet aliàs viſibilis.

Ejusdem Confirmatio.

XXIII. Confirmat id *Scriptura* tum *Sacra* tum *Eccleſiaſtica*.

XXIV. In *Sacra* Scriptura obvia ſunt: & *Dicta* & *Exempla* Teſtamenti tùm *Veteris*, de Veteris: tum *Novi* de Novi Teſtamenti Eccleſia.

I. *E Scriptura per*

I. *Dicta V. T.*

XXV. Inter *Dicta* veteris Teſtamenti eminent hæc maximè:

Ezech. 7. *Quærent viſionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & conſilium à Senioribus.*

Mich. 3. *Nox vobis pro viſione erit, & tenebræ pro divinatione & occumbet Sol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos, & his ſimilia Ieſ. 1, 3. Ier. 2, 26. 27. 29. c. 5, 1.*

Exempla V. T.

XXVI. *Exempla* præbent utraq; Eccleſia, *tum* in *Regno Iſrael* tum in *Regno Iuda*.

XXVII. De Regno *Iſrael* nota eſt non tantùm (*h*) Prophetia Hazariæ, ſed etiam lamentatio (*i*) Eliæ tempore Achabi inſtituta, qua ſe SOLUM derelictum eſſe queritatur. Unde (k) *Hieronymus*.

His Verbis Elias, præter ſe eſſe aliquos, qui Deum colerent ignoravit.

(h) *2. Chron. 15, 3.* (i) *1. Reg. 19, 10. 14.* (k) *in comment. ſuper iſtum locum.*

XXIIX. De *Regno Iuda* idem teſtatur Hiſtoria Biblica tempore Achazi, qui non modò, amotis omnibus veri cultûs Divini inſtrumentis,

mentis, veram religionem impedijſſe: ſed etiam ſubſtitutis in locum altaribus idolatricis, falſam religionem induxiſſe, ſcribitur:

2. Chron. 28, 24. 25. 2. Reg. 16, 11.

XXIX. Quæ (*l*) Romanenſes contrà excipiunt planè ſunt ἀναγράφα καὶ ἀναμφισβήτητα. Non enim nullam; ſed *non ita notam fuiſſe* dicimus & docemus.

(l) *Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. milit. c. 16.*
Piſtorius in Hodogetico c. 4. de Eccl. f. 114, 115, 116.

XXX. Inter *Dicta Novi Teſtamenti primum* aſſignamus locum Prophetiæ Salvatoris, qua prædicit futurum, ut pleriq; omnes à Pſeudoprophetis ſeducti deficiant, adeò, ut cum ille venerit, in paucis, inventurus ſit veram fidem. II. *Dicta N.T.*

Matth. 24, 24. Luc. 18, 8.

XXXI. Et ſanè loqui Chriſtum de fide ſimpliciter & omnibus credentibus communi, hoc, ex contextu Evangelico, demonſtramus Syllogiſmo:

E qua fide, quamplurimi deficiunt, & è qua naſcitur invocatio, quæq; operatur caritatem: ea fides communis eſt omnibus pariter credentibus. Sed de tali fide ibi ſermocinatur Dominus, ſicut (*l*) teſtantur, quoad primum membrum συνέχοντα, quoad ſecundum & tertium τὰ ἡγούμενα textus.

Ergò.

(l) *Luc. 18, v. 38. Matth. 24, 12*

XXXII. Futilis igitur & inutilis eſt (*m*) *Bellarmini* exceptio, qua Chriſtum non de fide ſimpliciter: ſed de EXIMIA *quadam fide* loqui nugatur.

(m) *Lib. 3. de Eccleſ. Milit. c. 16.*

XXXIII. Id quod & ipſe tacitè agnoſcit. Ideoq; mox παλινῳδίαν canens, aliam affert exceptiunculam, illamq; Salvatoris Prophetiam refert ad tempus Antichriſti.

XXXIV. Qua interpretatione uſq; adeò noſtram non infirmat ſententiam, ut eam potiùs, vel invitus & inſcius, manifeſtè confirmet. Tanta ſcilicet vis eſt veritatis!

XXXV. *Alterum dictum* eſt Apoſtoli vaticinium illud de generali ἀποστασίᾳ à fide, ſub Antichriſto.

2. Theſſ. 2, 34.

XXXVI. Et ſanè non de alia quã apoſtaſia à *fide eâq; generali* iſtud

accipiendum esse, contra Sophisticationem Jesuitæ de *particulari* apostasia illud interpretantis, his evincimus documentis.

XXXVII. Nam *1.* non tantùm Jesuita ipsemet tandem de ἀποστασία fidei interpretatur: sed nonnulli ex Romanensibus referunt illam generalem apostasiam inter signa ultimi diei.

XXXVIII. 2. Αυτολεξεὶ patet, sermonem esse Apostolo de ἀποστασία demum VENTURA: particularis verò ἀποστασία jam tùm venerit. *1. Ioh. c. 2, 18. c. 4, 1.*

XXXIX. *3.* Accedunt loci Scripturæ ὁ θεὸς ἀλλήλοις καὶ ὁμοιώσεις, qui non particularem: sed universalem ἀποστασίαν sub Antichristo futuram contestantur.

Apoc. c, 12, 6. c, 13, 3. &c.

Exempla N.T.

XL. *Inter Exempla* Novi Testamenti valdè illustre est, quod tempore Christi, Ecclesia in paucis hominibus, ijsq; obscuris, ut *Iosepho, Maria, Simeone* & alijs, qui nullo ferè habebantur in numero ac precio: non verò in Collegio Sacerdotum splendore & autoritate eximia prædito, extitit.

XLI. Hoc quippe non Christi Ecclesiam: sed Satanæ Synagogam fuisse res ipsa loquitur, nec diffiteri audet Stapletonus ipse.

II.

Ex historia Ecclesiastica.

XLII. Sed transeamus à *Scriptura Sacra* ad *Historiam Ecclesiasticam*; in qua *quatuor* diversas facies Ecclesiæ animadvertere licet, perinde ut in *Luna*, cui & propter vices ejusmodi Ecclesia comparatur. *Cantic. 6, 9.*

XLIII. *Prima* incidit in ætatem Ecclesiæ enascentis, & appellari potest Ecclesiæ *plenilunium*, tempore Apostolorum.

XLIV. Aliàs istheç Ecclesię facies dici consuevit facies *Virginalis*.

XLV. *Secunda* fuit Ecclesiæ paulatim decrescentis & se occultantis, partim propter persecutiones violentas: partim propter hæreses fraudulentas, & omnium maximè propter *Arianismum*; quem, quarto à Christo nato seculo, per totum Orientem & Africam latissimè sese diffudisse notum est.

XLVI. Potest hæc altera Ecclesiæ Φάσις vocari Ecclesiæ *Semilunium*. Sunt, qui eandem conferant, *faciei puellæ lasciviensis*.

XLVII. *Tertia* fuit Ecclesiæ deficientis sub Antichristo in Papatu, & potest appellari Ecclesiæ *deliquium* vel *silentium*. Alij vocant faciem Ecclesiæ *meretriciam*.

XLIIX. *Quarta* est Ecclesiæ *renascentis*, circa hanc ultimam Mundi Vesperam: potestq; dici Ecclesiæ *Novilunium*. Alij appellant faciem *Matronalem*.

XLIX. Et hactenus quidem de priore mutatione Ecclesiæ: *Altera* est, qua particulares Ecclesiæ ὁλικῶς everti possunt ac solent; & sic etiam μερικῶς Ecclesia Catholica. II. *Explicatio & probatio posterioris partis.*

L. Videre id licet in florentissimis illis Ecclesijs, quas Apostoli plantârunt, & præsertim in Hierosolymitana tot privilegijs & prærogativis à Deo ornata, adeò, ut vel Romana vel alia nullo planè modo cum illa comparari possit.

LI. Insanit igitur Jesuita, cum Ecclesiæ Romanæ immunitatem à tali fato vendicare audet. Proferat privilegia Divinitus accepta. Contrarium pro nobis jamdudum interposuit testimonium Apostolus *ad Rom. c. 11, 23.*

LII. Imò jamdudum Romana Ecclesia defecit, quemadmodum pluribus ostendi facilè posset; si instituti ratio ferret.

LIII. Remittimus Juniores ad *Lutherum*, qui Camarinam isthanc masculè movit, in Libro cujus Epigraphe:

Wider das Bapsthumb zu Rom/ vom Teuffel gestifftet.

Tom. VIII. Ien. f. 208.

PROBLEMA V.

Utrum Ecclesia errare possit?

LIV. Ita Os Collegij Jesuitici Bellarminus statum istius quoque quæstionis proponit.

Lib. 3. de Ecclesia militante c. 41.

LV. Utq; intelligatur quid de ea statuant *Romanenses*, mox eorum communi nomine respondet:

Nostra igitur sententia est: *Ecclesiam absolutè non posse errare, nec in rebus absolutè necessarijs, nec in alijs, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scripturis, sive non, & cum dicimus, Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tàm de universitate Episcoporum, ita ut sensus sit ejus propositionis, Ecclesia non potest errare, id est, quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessariò est verum & de fide; & similiter id quod docent omnes Episcopi, tanquam ad fidem pertinens necessariò est verum & de fide.*

Refutatur Opinio Romanensium, I. Ex Scriptura per Dicta V. T.

LVI. *Nos* hanc Romanensium *assertionem* ἀπτόμως negamus contrarium edocti Scriptura tum *Sacra*: tum *Ecclesiastica.*

LVII. *Sacra Scriptura* suppeditat iterum & *Dicta*, & *Exempla*: Testamenti tum *Veteris*, de Veteris: tum *Novi*, de Novi. T. Ecclesia.

LVIII. Inter *Dicta Scripturæ* primas tenent, & maximè huc quadrant ea, in quibus totam Sacerdotum ac Propheterarum Universitatem errasse affirmatur, cujusmodi sunt hæc & similia:

Esaiæ 56. Omnes *speculatores ejus cæci, nescierunt* Universi,

Jerem. 6. *A Propheta usq; ad Sacerdotem* Quisque *sectatur mendacium.*

Ezech. 22. Conjuratio *Prophetarum, in medio ejus, sicut Leo rugiens, & qui rapit prædam Sacerdotes ejus violârunt legem meam, & prophanaverunt Sancta mea.*

LIX. Respondet Jesuita: *Verba illa Prophetarum esse figurata, & dirigi quidem ad omnes, non tamen revera intelligi debere de omnibus.*

Lib. II. de Eccles. milit. Cap. ult.

LX. Sed quid hoc est aliud quàm turpis ἀδολεσχία, & ἀνὶφασις ἐν περοκειμένῳ. Fatetur Verba Prophetarum dirigi ad omnes; ea autem de omnibus intelligi debere diffitetur.

LXI. At multô clariora ac significantiora sunt ista verba, quàm Sophistica Jesuitæ obtenebrari possint. Particulæ enim universales κατ' ἔμφασιν singularem summo & accurato studio inculcantur. Et quis nescit: ordinatio corrupto ministerio extra ordinem fuisse excitatos Prophetas?

LXII. Inter *Exempla V. T.* maximè elucet lapsus τῶν πρωτοπλάστων in Statu integritatis. *Gen. 3.*

LXIII. *Tria* regerit Jesuita: 1. Secuturum Ecclesiam defeciisse: 2. Πρωτοπλάστους, quia tantùm duo, non constituisse Ecclesiam. 3. Posse Doctorem Ecclesiæ, ut Adamum, errare malè vivendo, sed non falsam doctrinam docendo.

LXIV. Respondemus. Ad 1. concedendo Ecclesiam illam defeciisse, simile verò exemplum post lapsum ostendi non posse.

LXV. Ad 2. reponimus istud πολυθρύλλητον.

Matth. 18. *Vbi* Duo *vel tres congregati in nomine meo: ibi ero in medio eorum.*

LXVI. Ad 3. dicimus; utriusq; tum lapsus in Vita: tum erroris in doctrina eundem esse fontem, de quo:

Gen. 6, 5. c. 8. 21. Ier. 17, 5. Matth. 15, 18. 19.

LXVII. Inter dicta Novi Testamenti non ultimum sibi locum vendicant: *prædictiones* Christi & Apostolorum de seductione & ἀποστασία, itemq; *dehortationes* ab ijsdem gravissimæ. *1. Dicta N.T.*

Matth. 24, 24. Actor. 20, 30. Rom. 16, 17. 1. Tim. 4, 1. 2. Pet. 2, 15. & 22. Apocal. c. 13, c. 17. c. 18.

LXVIII. *Exempla* præbent tum *Scribæ* & *Pharisæi*: tum & ipsi Christi *Apostoli*. *Exempla N.T.*

LXX. De *Scribis* ac *Pharisæis* quidem pronunciat SALVATOR, quod in Cathedra Mosis sedeant: in eodem tamen loco varios ijs errores & corruptelas exprobrat.

Matth. 23.

LXXI. *Apostolos*, in ipso adhuc die ascensionis terrenum aliquod Messiæ regnum sibi somniasse, attestatur Lucas *Actor. c. 1.* & ut de defectione eorum tempore passionis nihil dicamus, Petrum certè, qui Apostolorum Princeps, & Romanensibus primus Pontifex, tam in *doctrinalibus*, quàm *moralibus* errasse liquet.

Act. 10, 14. Gal. 2, 14.

LXXII. Excipit Jesuita 1. Apostolos non ut Episcopos: sed ut *partes* Ecclesiæ *materiales* errâsse. Nos hoc gladio suo ipsum jugulamus, sic argumentantes:

Si partes Ecclesiæ materiales errare possant, utiq; Ecclesia etiam errare potest.

Sed verum prius ex Confessione Iesuitæ.

Ergo etiam posterius.

LXXIII. Deinde: licet, inquit, omnes Apostoli tempore passionis errâssent circa fidem; nihil tamen eorum errorem obfuisse Ecclesiæ universali.

LXXIV. *Iterum* Sophisticaris Jesuita: non quæstio est an Apostolorum error obfuerit Ecclesiæ: sed an errârint circa fidem. Sufficit nos istud astruxisse; & te fassum esse, unà cum alijs Romanensibus, qui te ipso attestante & approbante, scriptitare non dubitant.

In Passione Domini *non mansisse veram fidem, nisi in sanctissima*

Vir-

Virgine Maria, idq; unâ illa candelâ, quæ ſola accenſa conſervatur in triduo ante paſcha ſignificari.

Lib. 3. de Eccleſ. Mil. c. 17.

II. Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.

LXXV. Conferamus nos à Scriptura ad *Hiſtoricam Eccleſiaſticam*, in qua, tanquam primæ magnitudinis Stellæ pleniori jubare emicant, Quatuor illa Concilia Oecumenica, quæ ſe, ut quatuor Evangelia venerari, ſcribit Gregorius.

LXXVI. Inter hæc omnium primum adeoq; cæteris non tantùm antiquitate: ſed celebritate etiam & autoritate antecellens, eſt Nicenum.

LXXVII. Et tamen uſq; edeò ab erroribus non fuit immune, ut Lutherus noſter eorum *quatuor* nominatim perſtringat in aureo de Concilijs Libro, in quo thema iſtud accuratiſſimè pertractat.

LXXIIX. Quare juventutem Theologicis ſtudijs deditam, itidem eò remittimus, noſq; ad ſequens problema accingimus.

Tom. VII. Ien. f. 218.

PROBLEMA VII.

An juſtificatio hominis peccatoris coram Deo conſiſtat in ſola remiſſione peccatorum, & non etiam ſimul in interna renovatione?

Opinio Romanenſium.

LXXIX. Quid de hac quæſtione doceant *Romanenſes*: hæc propria eorum axiomata ſatis ſuperq; demonſtrant:

Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 7.

Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus.

Idem in eadem Seſſ. Can. 11.

Si quis dixerit hominem juſtificari ſolâ remiſſione peccatorum, exclusâ gratiâ & caritate, quæ in cordibus eorum diffundatur, anathema ſit.

Bellarminus lib. 2. de Juſtif. cap. 6.

Nunc igitur id ſolùm ex Scriptura, ex Auguſtino, & ex ratione probabimus, juſtificationem non conſiſtere in ſola remiſſione peccatorum: ſed etiam in interna renovatione, ita ut ipſa renovatio juſtitia dicenda ſit, & non tantùm juſtificationis effectus.

Nos

LXXIX. Nos Scripturæ prementes vestigia, à foro justificationis planè eliminamus renovationem, eamq; cum remissione peccatorum, in actu justificationis, conjungendam esse ἀπὸ κοινοῦ negamus. *Doctrina Lutheranorum per Thesin.*

LXXX. Utq; quæ nostra sit de hoc themate doctrina, rectiùs ac perfectiùs intelligatur, illam his thematiis inclusam breviter & perspicuè ita proponimus.

LXXXI. 1. Formalis ratio nostræ coram Deo justificationis consistit in imputatione *gemina*: *negata* una *affirmata* altera.

LXXXII. 2. *Negata* est, remissio peccatorum.

Psal. 32, 2. Act. 26, 18. Rom. 3, 24. 25. 6, 4, 7 8. 6. 8, 33. 34. 2. Cor. 5, 19.

LXXXIII. 3. *Affirmata* est, imputatio justitiæ Christi, vel acceptatio.

Rom, 4. 5. 6 7. 22. 24. Gal. 3, 6.

LXXXIV. 4. *Virag₃* in justificationis actu indissolubili nexu ἀδιαιρέτως cohærent, cujus gratia, altera & pro altera, per antonomasiam: & interdum etiam, per synecdochen, pro tota formali justificationis ratione, poni consuevit. *Rom. 4, 6. 5.*

LXXXV. 5. Renovatio verò vel sanctificatio est effectus justificationis jam ex suis causis constitutæ.

LXXXVI. 6. Et proindè nequaquam ingredi potest justificationis σύστασιν.

LXXXVII. Quod pluribus quidem stabilire posset facilè, ἀπόδειξις. sed quia tempus & instituti ratio respuit prolixitatem, sufficiat ἐν τῷ παρόντι unicus Syllogismus verè apodicticus:

Si renovatio vel sanctificatio foret pars συστατικὴ justificationis: utiq; Spiritus sanctus in ordinaria istius doctrinæ sede: illius mentionem disertam non exclusisset: sed inclusisset.

Atqui Spiritus sanctus in Ordinaria hujus Doctrinæ sede: disertè excludit renovationem à Iustificationis actu: ejusq; situt & sanctificationis nullam planè mentionem facit. Ergo.

LXXXVIII. Ratio connexionis in copulato est ἔυδηλος. Assumpti veritas patet ex Epist. ad *Roman, cap. 3 & 4.* quo loco ordinariam doctrinæ de Justificatione sedem esse Adversarij quoq; concedunt.

LXXXIX. Ibi verò nulla planè renovationis & Sanctificationis

tionis fit mentio : sed de ea demum in capite sexto disseritur.

XCI. Contrà autem universa bonorum operum familia, & sic una sanctificatio & renovatio ex foro justificationis proscribuntur & eliminantur manifestissimè, & quidem non unâ : sed distinctis vicibus. *Rom* 3. 28. c. 4, 2. 5, 6.

Fundamentorum Bellarmini ἀποδίωξις.

XCII. *Loca* (o) Scripturæ, quæ (p) Bellarminus pro Jesuiticæ opinionis confirmatione adducit, omnia loquuntur non de justificatione: sed de renovatione, excepto illo uno, ad *Rom.* 4. *v. ult.* de quo suprà in disputatione ab hac tertia.

(o) *Rom.* 5, 17. 16. 13, c. 8, 10. *Gal.* 3, 21, *Ephes.* 4, 23. 24.

(p) *Lib.* II. *de Justific. c.* 6.

XCIII. Ἀποδιόνυσα proinde illa omnia & ἐπεγχώη, nullaq; adeò refutatione indigent.

XCIV. Cætera huc accersantur, ex Disputatione nostrâ, de Justificatione.

EX SYMBOLO APOSTOLICO
DECADIS QUINTÆ
Problemata VII. IIX. IX. X.

RESPONDENTE

ERIDERICO SENGEBAHRO,

Cellensi-Saxone.

Ad diem 16. Februarij horis locoq; consuetis.

PROBLEMA VII.

An corpora eadem numero & substantiâ in extremo die ex mortuis resurrectura?

PROPOSITIO I.

RESurrectio mortuorum est articulus Fidei, solius Ecclesiæ proprius; Rationi contrarius, & incredibilis.

II. Quò respicit istud Augustini.

Mortuum

Mortuum Christum & pagani credunt: Resurrexisse autem Christum, Catalogus
fides est Christianorum propria. τῶν Ἁγίων.

Lib. 14 contra Faust. Manich. 29.

III. Unde factum ut inter Ethnicos & *Philosophi & alij* Resurrectionem mortuorum negârint, imo & *Saducæi* in populo Dei

Matth. 22, 23. *Act.* 23, 8.

IV. *Philosophorum* axioma est:

ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν: γίνεται μεταβολή: ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον.

Aristot. de oppos. c. 10.

Et iterum lib. II. de gen. & corrupt. t. 70.

ὅσων δὴ ἀΐδια φθορὰ τὴ: ἀνάγκη τῷ εἴδει: ἀριθμῷ δὲ μὴ ἀναιρεῖσθαι.

V. De *Epicuræis & Stoicis* testatur Scriptura, quòd Paulo de resurrectione mortuorum concionanti apertè contradixerint, eoque nomine ipsum pro σπερμολόγῳ habuerint. *Act.* 13, 18.

VI. *Aliorum* voces impiæ literis consignatæ extant.

Esaiæ 22, 13. *Sap.* 1, 2, 3. 1. *Cor.* 15, 33.

VII. Inter cætera autem, quæ Rationi maximè adversantur, illud non est postremum, quod impossibile videatur: ut corpora eadem numero & substantia resurgant.

VIII. Quæ causa fuit, ob quam *Philetus & Hymenæus* resurrectionem mortuorum interpretati, sensu mystico, de resurrectione Spirituali. 2. Tim. 2, 17, 18.

IX. Nec desunt *hodie Fanatici*, Spiritu Anabaptistico fascinati, qui non corpora: sed spiritum tantùm resurrecturum, somniant. *Fundamenta veræ doctrinæ,*

X. Utile idcirco & necessarium est, ut fundamenta è Scriptura producamus immota, quibus doctrinâ nostra de resurrectione corporum eorundem numero & substantia, stabilita & superstructa.

XI. Suntq; partim *Dicta*: partim *Argumenta*.

XII. Inter *Dicta* Scripturæ *primum* est illud Iob c. 19. I. Dicta.

Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ & in carne meâ videbo Dominum.

XIII. Etsi enim in fontibus Hebræis extat: יָקוּם *Resurget*

in tertia persona. מִבְּשָׂרִי *Ex Carne mea*, ut ita referatur ad Messiam eumq; incarnatũ: interim tamen interseruntur hæc verba: וְאַחַר עֹרִי נִקְּפוּ זֹאת: *Et rursum hæc* (scilicet *Ossa mea*) *circumlabuntur Carne Mea.*

XIV. Ad eundem scopum collimat interpretatio septuaginta & Paraphrasta Chaldaici, nec non Expositio Veterum Rabinorum, de qua *Gal. lib. 3. c. 27. & 28.*

a. XV. *Secundum* est Esaiæ cap. *26.*

Mortui tui vivent, & interfecti tui resurgent.

XVI. In Hebræo sic legitur:

יְחִיוּ מֵתֶיךָ נִבְלָתִי יְקוּמוּן.

Vivent mortui tui, Cadavere meo resurgent.

XVII. E qua observatione apparet, quòd verba illa referenda sint ad Esaiam, hoc sensu: Sicut Ego (Esaias) Meo corpore resurgam: ita pariter reliqui mortui ad unum omnes resurgent suo quisq; corpore.

XIIX. Proinde Lutherus δεικτικῶς vertit:

Deine Todten werden leben / vnd mit Dem Leichnam aufferstehen. Vide huic similia in V. Test. *Psal. 34, 20. Ezech. c. 37. 5, 6, 7, 8, 9, 10.*

3. XIX. *Tertium* est istud perquam illustre, imò Hespero splendidius *1. Cor. 15.* ubi Apostolus gemina vice pronomen δεικτικὸν & individuale usurpat;

Δεῖ τὸ φθαρτὸν (NB) ἔτο ἐν δύσει ἀφθαρσίαν: καὶ τὸ θνητὸν (NB) τοῦτο ἐνδύσει ἀθανασίαν, Cui respondet in eodem cap. quod dicitur: *Seminatur in corruptibilitate, resurgit incorruptibilitate, &c.*

II. *Argumentũ.* XX. Sequuntur *Argumenta*, quorum *1. ex vocabulo Resurrectionis & natura Relatorum* ita proponi potest:

Si restitutio illa debet esse resurrectio: necessum utiq; est, ut illud ipsum resurgat, quod cecidit. Si enim aliud prodiret corpus: non esset resurrectio: Sed creatio.

Sed verum prius. *Ergo & posterius.*

XXI. Et ad hanc rationem digitum intendit *Damascenus* appellans Resurrectionem δευτέραν τῶν πεπλασμένων σύστασιν. lib. 4. ὀρθ. πίς. c. 28.

22. Secun-

XXII. *Secundum à justo.* Justum enim est, ut illud ipsum corpus gloria & lætitia æterna donetur, in altera Vita: quod in hac vita tot ignominias & miseras pertulit.

XXIII. *Tertium à consuetudine Veteris Ecclesiæ*, in qua Christiani præsentem Symboli articulum δειχτικῶς enunciarunt, ita, ut digito indice ad suum quisq; corpus directo profiterentur: *Credo resurrectionem Hujus carnis.*

XXIV. Quòd autem Apostolus in *1. Cor. c. 15.* docet: seminari corpus animale: & resurrecturum Spirituale: id non intelligendum est de corporum nostrorum Substantia: sed eorum Qualitatibus, ut sensus sit: Resurrecturum quidem idem corpus quoad substantiam; sed non Tale quoad qualitates. Λύσις ἀνδιπίπτουσα.

XXV. Et *Augustinus* pereleganter;

Spiritualia post Resurrectionem corpora erunt, non quia corpora esse desistent: Sed quia spiritu vivificante subsistent.

Lib. 13, de C. D. c. 22.

XXVI. Quibus sic expeditis, meritò damnamus omnes eos, qui Carnis resurrectionem negant, inter quos olim *Manichæi* non fuêre postremi, *teste Tertullian. in lib. de Resurrect. Carnis.*

XXVII. Ad quem studiosam iuventutem remittimus. & jam coronidis loco, Rationi istud Athenagoræ opponimus:

Par est potestas Dei ad instituendos & restituendos homines.

In Orat. ad Gent.

VIII. PROBLEMA.

Quæ sit conditio animarum post hanc Vitam antequam iterum reuniantur cum suis corporibus?

XXVIII. *Duæ* sunt Hominis *partes συστατικαί*, Anima & Corpus, ita creatæ, ut in æternum junctæ maneant.

Sap. 1, 13. 14. Cap. 2, 23.

XXIX. Sed post lapsum proh dolor, (a) propter peccatum invicem dissolvuntur, & dissolutæ manent usque ad novissimum diem.

(a) *Syr. c. 25, 33. Rom. 5, 12. c. 6, 23.*

Status Corporis.

XXX. *Corporis* receptaculum est Terra, in quam illud redigendum, juxta sententiam, à Deo promulgatam *Gen. 3, 19.*

XXXI. Statum ejus definit Scriptura somno & quiete.

Esaiæ 26, 20. 56, 2. Daniel 12, 2.

Errores de hac quæstione recensentur & refutantur.

XXXII. De Statu autem *animarum*, post illam ἀνάλυσιν, non una est omnium sententia.

XXXIII. Extrema Origenis ætate; quidam in Arabia spargere cepérunt horrendum errorem, de ψυχοφθαρσία, vel animarum interitu.

XXXIV. Verum Origenes eò profectus, convocata non mediocri Synodo, vesanum istud delirium repressit, & autores ejusdem ad saniorem mentem reduxit. *Euseb. lib. 6. c. 37.*

XXXV. Et sanè in Regno Antichristi Romani plures etiam Sacerdotes fuisse, (& forsan adhuc sunt,) qui de animæ immortalitate dubitárunt, ex eo colligi potest, quòd, *Anno 1512.* in Concilio Lateranensi, decreto peculiari asserendum: *Animam hominis esse immortalem.* *Osiand. Cent. XVI. f. 33.*

XXXVI. Quò spectat istud Lutheri, quo eorum plurimos de Resurrectione mortuorum dubitare asseverat:

Bapst/ Cardinál/ vnnd dergleichen/ sonderlich in Welschland/ seind auch feine Weise vnd vernünfftige Gelerte Leut. Aber sind drey drunter/ die diesen Artickul erstlich gleuben/ so ist jhr viel.

Tom. VI. Ienens.

XXXVII. Sed quid os Veritatis Christus? Immortalitatem animarum potentissimè asserit: tùm γνωμικῶς tùm ἀποδεικτικῶς.

XXXIIX. Et γνωμικῶς quidem in illo *Matth. 10.*

Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus: Animam autem non possunt occidere.

XXXIX. Ἀποδεικτικῶς autem *Matth. 22.* ubi contra Saducæos ita argumentatur:

Deus non est Deus mortuorum sed viventium.

Atqui Deus est Deus Abraham Deus Isaac, Deus Iacob.

Ergò illi vivunt, putà secundum animam partem nobiliorem, & proinde anima est immortalis.

XL. In-

Somnus

XXXIX. Inter (b) *Patres* fuerunt nonnulli, qui ψυχοπαννυχίαν statuerunt, adeoq; animas, loco quodam inter cœlum & terram intermedio, somnum quendam Epimenideum dormire, tam boni: quàm mali sensu destitutas finxerunt.

(b) *Tertull. lib. 4. contr. Marcion.*

Hieronymus in Daniel. c. 3. Ecclesiastæ 5.

Augustinus in Psalm. 85, & de dogmatib. Eccles. c. 77.

XL. Quod figmentum à *Iohanne 22.* Pontifice Romano in Ecclesiam reductum fuisse, eumq; hoc nomine à Schola Parisiensi refutatum, testis est *Gerson* in *Serm. Paschali.*

XLI. Cæterùm ut propriùs ad rem accedamus: ut *duo* sunt Hominum genera: *piorum* unum: *Impiorum* alterum: ita etiam Animarum *duplex*, posthanc Vitam, Status.

Vera sententia explicatur & confirmatur.

XLII. *Animæ* enim *piorum* ab Angelis rectà deferuntur in Cœlum, quemadmodum de Anima (c) *Lazari*, & (d) *Latronis* Evangelica restatur Historia. (c) *Luc. 26, 22.* (d) *Luc. 23, 43.*

XLIII. Et *Sap. 3.* disertè dicitur:

Animæ Iustorum, sunt in manu Dei, & non tangit eos tormentum mortis.

XLIV. Et Apoc. c. 14. auditur Vox de Cœlo dicens:

Scribe beati mortui, qui in Domino moriuntur amodo. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Sed Opera illorum sequuntur illos.

XLV. Quæ verò opera eos sequantur, quibusq; studijs occupentur, post hanc vitam, in cœlo: in eodem Apocalypseως Johannitiæ libro indicatur, recitatis ὕμνολογίαις & δοξολογίαις, quibus beatorum Animæ, Deum assiduè celebrant & collaudant, *Apoc. 4, 5, 6, 7, 16. 19.*

XLVI. Inprimis verò memorabile est, quòd *Apoc. 6.* mentio fit ingentis desiderij, quo animæ martyrum vindictam Dei expetant.

XLVII. Nec dubium est, quin desiderio quoq; teneantur haud exiguo, ut iterum suis cum corporibus copulentur.

XLIIX. Quod argumento est, earum beatitatem non omni ex parte perfectam esse, respectu ejus beatitudinis, cujus post unitionem cum corporibus, participes futuræ.

XLIIX. Quod attinet porrò *animas impiorum*: eæ utiq;, simul ac corporibus solutæ, rectâ descendunt in infernum, ibiq; torquentur sine intermissione; quemadmodum de anima Epulonis res nota est ex *Luc. c. 6.*

XLIX. De *purgatorio*, quod intermedium inter cœlum & infernum ψυχοδοχεῖον, Romanenses constituunt, ne gry quidem novit Scriptura.

L Inanem igitur laborem in nos susciperemus: si commento isti refutando multum operæ impendere vellemus.

LI. Sufficit, quòd *Petrus à Soto*, abominationem Pontificiorum Propugnator aliàs satis strenuus, ingenuè fatetur: *Purgatorium ex Scripturæ testimoniis apertè probari non posse.*

PROBLEMA IX.

An invisibilitas sit in censu qualitatum corporum glorificatorum habenda?

LII. Quia corpora glorificata futura spiritualia, adeoq; claritate ac subtilitate summa prædita: non abs re quæri potest: an illa quoq; futura invisibilia.

Responsio per distinctionem.

LIII. Sed hic notanda est distinctio inter *invisibilitatem per se absolutè & ratione potentiæ.* Et inter *invisibilitatem propter aliud relatè & ratione actûs, ac respectu nostri in hac vita* consideratam.

LIV. *Priori* considerationis modo, corpora glorificatorum non sunt omninò invisibilia: sed sic comparata, ut cerni possint.

LV. Et ita videntur jam à glorificatis & à nobis etiam videbuntur, in altero beatissimo ævo.

LVI. Imò & angelos, qui tamen inter (e) τὰ ἀόρατα referuntur, Quin Deum ipsum ibi intuebimur *à facie ad faciem*, *sicut est.*

1. Corinth. 13. 1. Iohan. 3, 2.

(e) *Rom. 1. 20. Col. 1, 16.*

LVII. *Posteriori* autem considerationis modo, eadem corpora invisibilia sunt, id est, tanta claritate & subtilitate prædita, ut oculis mortalibus ac terrenis conspici nequeant, nisi illi, singulari Dei operatione, aperiantur & illustrentur.

LIIX. Hinc *Matth. 27.* de ijs, qui cum Christo, die Paschatos è sepul-

è sepulchris egressi, legimus, quòd non cuilibet obvio in sancta Urbe Hierosolyma: sed ijs duntaxat, quibus singulari Dei beneficio datum, conspicui facti.

LX. Quòd autem corpora glorificatorum in hac vita à nobis cerni nequeant: in causa est, quod illa sunt (f) πνευματικὰ: nos verò χοϊκοὶ. Inter τὸ πνευματικὸν verò & τὸ χοϊκὸν nulla proportio, quæ tamen ad omnem visionem necessariò requiritur. I.

(f) *Sap. 9, 15.*

LXI. Ficulneum proinde & stramineum est Dipnosophistarum argumentulum, quo Christi corpus Cœna abesse contendunt, ex eo, quòd inibi oculis non conspiciatur.

LXII. Non enim est de essentia corporis Christi, πνευματικῦ quippe, *ut in hisce terris* oculis ψυχικοῖς *actu* cernatur, quemadmodum apparet ex eo, quòd ἀόρατος factus, Luc. 24.

LXIII. Quomodo autem? *Non abitu repentino*: uti Sadaeel sophisticatur; *sed actu secundo* per disparitionem.

LXIV. Quòd autem post resurrectionem corpus suum videndum præbuit: id ad liberrimam Christi οἰκονομίαν rectè refertur, ut qua corpus ἀόρατον ἐμφανὲς reddidit ijs, quibus voluit, quibusq; oculos singulari operatione aperire dignatus est.

Act. 10, 40. 41. 1. Cor. 15, 5. 6. 7. 8.

LXV. *In Cœlis* jam omninò conspicitur, ab Angelis & Electis omnibus.

LXVI. Et sic in extremo die conspicietur à toto genere humano. *Apoc. 1. 17.*

LXVII. Interim tamen non negamus, corpus Christi, ubicunq; sit, suapte natura non invisibile, sed visibile esse:

LXVIII. Est enim corpus verum. Et proindè veras etiam veri corporis affectiones habet: inter quas quoq; est visibilitas, vocabulo de δυνάμει & non de ἐνεργείᾳ accepto.

LXIX. Causa autem ob quam Christi corpus in hisce terris non conspicitur à nobis τῇ ἐνεργείᾳ: paulò ante thesi 60. explicata est.

LXX. Quodq; hæc visionis actualis privatio non pugnet cum veritate corporis Christi: id exemplo Elementi Ignis & Aeris declarari facilè potest.

LXXI. Breviter: *Negatio visibilitatis tum potentialis: tum actualis: Non verò privatio visibilitatis actualis, cum veritate corporis pugnat.*

PROBLEMA X.

An Ethnici saniores & honestiores etiam consortes vitæ æternæ.

LXXII. Finis fidei nostræ est salus & vita æterna 1. *Pet*, 1,9.

LXXIII. Ideò & huic articulo ultimus, in Symbolo Apostolico, locus fuit assignatus, ut propter quem ceteri articuli omnes & singuli cognoscendi & credendi, quiq; propterea non inscitè appellari potest ac debet, *tota Symboli clausulæ.*

LXXIV. Sicut enim ille Finis Fidei ultimus: ita hi media ad finem illum ducentia.

Thesis ὀρθοδοξίας.

LXXV. Jam quia media illa nullibi nisi in Ecclesia: sponte sequitur, quod & finis ille longè augustissimus nemini competat, nisi solis tantùm Ecclesiæ civibus.

Antithesis ψευδοδοξίας.

LXXVI. Quid verò Ἀρχιψεύστης ille Satanas? *Duplex* hominum genus in theatrum Orbis Christiani produxit, quod utrumque Ethnicis vitæ æternæ hæreditatem, transcribere audent.

LXXVII. Unum constituunt *Quidam* ex *Zvvinglianis:* alterum nonnulli ex *Papanis.*

1. Ex parte Zvvinglianorum.

LXXVIII. Inter *Zvvinglianos* agmen ducit ipse Pater Zvvinglius, qui paulò ante tragicum suum obitum, in libello, cujus Epigraphe *Expositio fidei Christianæ ad Christianum Regem*, ita perscriptum reliquit:

Sperandum est ibi visurum te esse sanctorum, prudentium, fidelium, constantium; fortium, virtuosorum omnium quicunq; à condito mundo fuerunt, sodalitatem, cœtum & contuberrimum. Hic duos Adam, Redemtum & Redemtorem: Hic Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Mosen, Iosuam, Gedeonem

deonem, Samuelem, Pinehen, Heliam, Heliſæum, Ieſaiam, ac Deiparam virginem, de qua ille prædixit, Davidem, Ezechiam, Ioſiam, Baptiſtam, Petrum, Paulum, hic Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, *hîc anteceſſores duos, & quotquot* in fide *hinc migrârunt, majores tuos videbis.*

LXXIX. Palliare conati ſunt delirium iſtud abominabile *Tigurini* in Apologia contra Lutherum, *Anno* 45. editâ.

LXXX. *Henricus Bullingerus* Affinis Zvvinglij, uſq; adeò illud in delicijs habet, ut, in præfatione ſua ſcriptum illud Zvvinglij, quo precioſa illa (ſcilicet) margarita continetur, Cygnæam Zvvinglij vocem appellare non erubeſcat.

LXXXI. Quod ipſum etiam *Simlerus* in βιογραφία ejus refert; quin *Lavaterus* quoq; illud defenſitare conatur.

LXXXII. Maximè verò omnium *Rodolphus Gualtherus*, Gener Zvvinglij, περιτολογίαν iſtam Soceri, ſingulari ſtudio incruſtare auſus eſt. *In Apologia Operum Zvvinglij.*

LXXXIII. Inter *Papanos primum* locum tribuimus Eraſmo Roterodamo, qui in *Dialogo* de *Convivio Religioſo* hæc inter alia interſeruit verba: 1. *Ex parte Papanorum.*

Proinde, cum hujusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates ora pro nobis. C. *At ipſi mihi ſæpenumero non tempero, quin bene ominer ſanctæ animæ Maronis & Flacci.*

Similia inſperſit Epiſtolæ præliminari in Tuſcul. Quæſt.

LXXXIV. *Secundum* merentur locum *Thammerus* & *Latomus Lovanienſis*, quorum Philippus Melanchthon in Examine facit mentionem, illumq; eorum errorem acriter perſtringit.

LXXXV. *Tertium* ab his ſibi vendicat *Monachus quidam Franciſcanus*, qui, durante Concilio Tridentino, explicans 2. cap. Epiſt. ad Rom. *eò usq; progreſſus, ut diceret eos, qui Chriſti cognitionem nullam habuiſſent, & alioquin vitam egiſſent honeſtè, ſalutem eſſe conſecutos.* *Sleidan. lib. 23.*

LXXXVI. *Quartum* occupet *Andradius*, è cujus libro tertio Chemnitius recitat quòd statuerit: *Philosophos sine verbo Dei, & sine spiritu regenerationis naturalibus notitijs & viribus perveniſſe ad veram fidem & juſtitiam, qua ſalvati ſint, adjuncto illo tantum auxilio Dei, de quo Cicero etiam dicit, Nullam excellentem virtutem in Ethnicis fuiſſe ſine afflatu divino.*

in 1. parte Exam. Concil. Trid. ſub tit. de Operibus infidelium.

LXXXVII. Quid? Nonnulli quoq; ex *Patribus* in hunc errorem inclinâſſe, loco jam allegato, haud obſcurè indicat idem Theologorum Phoſphorus παντὸς λόγου ψόγου κρείττων.

LXXXIIX. Ita enim ibidem expreſsè ſcribit:

Iuſtinus diſputat *Socratem & Heraclitum, quia ſecundum rationem vixerint, fuiſſe Chriſtianos.*

Clemens dicit: *Philoſophiam per ſe juſtificâſſe Græcos.*

Epiphanius dicit: *Sine lege Moſaica & Evangelica. ſolâ lege Naturæ, multos fuiſſe juſtificatos & ſalvatos.*

Refutatio Antitheſeos.

LXXXIX. At enimvero contra veſanum ac profanum hunc errorem nos pugnamus hoc Syllogiſmo:

Quicquid non modò nullæ Scripturæ authoritate nititur: ſed adverſa inſuper fronte ſacrarum literarum autoritati contra nititur: illud ut profanum & veſanum, meritò rejicitur & damnatur in Theologia.

Sed talis eſt error ὡς ἐν τύπῳ jam modo delineatus,

Ergo.

Probatio Aſſumtionis.

XC. *Propoſitio* eſt αὐτόπις. Circa *Aſſumptionem* duo probanda veniunt; *Vnum*, quòd delirium illud Zvvinglio-Pontificium, nulla Scripturæ autoritate nitatur: *Alterum* quòd Autoritati Scripturæ contranitatur.

1. Quo ad 1. membrum.

XCI. Quo ad *primum*; conatur quidem infelix Soceri ὑπερσπιστὴς *Gualtherus*, erroris illius impij ac prodigioſi turpitudinem tegere & obvelare illo Apoſtoli, quo Gentilibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ manifeſtum eſſe aſſeverat, *Rom. 1.*

XCII. Conſequi opinatur indè: Gentiles prædiros fuiſſe & cogni-

cognitione veri Dei, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi: & fide salvifica.

XCIII. Sed confundit miser Disputator articulos fidei. Nam γνωστὸν illud τοῦ Θεοῦ Paulus intelligit tantùm de ea noticia, quæ, ex intuitu Creaturarum, acquiri potest, quæq; ad *primum* Symboli *articulum* pertinet.

XCIV. De notitia autem Christi salvificâ, juxta *secundum & tertium* Symboli *articulum* Gentilibus planè nihil constitit.

XCV. Quoad *alterum*: in promptu utiq; sunt Scripturæ testimonia, quibus cum περιτολογίᾳ istâ manifestè pugnat. 2. Quoad 2. membrũ per

XCVI. Distribui possunt, εὐταξίας καὶ ἐυπαρακολουθήτου ἕνεκα. in *quatuor* potissimùm classes. 4. classes.

XCVII. In quarum *primam* collocamus ea, quæ Evangelium de Christo mysterium Rationi ac Sapientiæ humanæ absconditum esse pronunciant. 1.

Matth. 16, 17. Rom. 16, 25. 26. 27. 1. Cor. 2, 21. 1. Cor. 2, 7. 8 9. 10. Ephes. 1, 8. Col. 1. 26, 27.

XCIIX. *Secundæ* classi accensemus ea Scripturæ axiomata, quibus (h) salus & vita æterna solis ijs, qui in Christum credunt: contrà verò ijs, qui in Christum non credunt, (i) condemnatio æterna, destinatur. 2.

(h) *Iohan. 3, 15. 16. c. 6, 14. 5. 6. c. 17, 3. Act. 4, 12. Rom. 3, 22. 25. 26. 28. c. 10. 4, 9 Gal. 2, 16. c. 3, 22.*

(i) *Iohan. 3, 18. 36. Mar. 16, 16.*

XCIX. *Tertiam* classem constituunt ea, quæ docent, quòd Naturalis notitia, quæ in Gentilibus, (k) multis modis *imperfecta*, (l) horrendis insuper *tenebris obsepta*, imò (m) *fidei* salvificæ planè *adversa*. 3.

(k) *Ecclesiastæ c. 3, 10. 11. c. 8, 17. Sap. 9, 16.*

(l) *Gen. 6, 5. Esa. 9. 2, c. 60, 2. Luc. 1, 79. Ioh. 15, 10. Act. 17, 30. 1. Corinth. 2, 5. Ephes. 4. 14. 1. Cor. 1, 21. 23. Col. 2. 8. Rom. 8, 6. 7.*

(m) *Act. 17, 18, 32. c. 26, 24.*

C. Ad *quartam* denique classem pertinent ea, quibus salus, & 4.

vita æterna ijs saltem transscribitur, qui sunt Ecclesiæ Cives, Gentilibus, extra Ecclesiæ pomœria constitutis, judicio DEI relictis.

Rom. 8, 30. 1. Corinth. 5. 12.
Ephes, 2, 12.

CI. Quæ omnia tam solida sunt & firma, ut ipse *Beza*, in nostram coactus concedere sententiam.

Puccig

CII. Meritò proindè rejicimus & damnamus fœdum & detrum illum errorem; quem Scurra quidam *Franciscus Puccius* circiter *annum Christi 1592.* proseminare cæpit, de quo *Osiander in Cent. XVI. f. 1098. 1099.*

Huber

CIII. Quò etiam *Universalis* illa *Huberi* Omnium promiscuè hominum tam extra quam intra Ecclesiam Electio, viam affectare velle videtur.

παραπάλλησις per 4. παραγγέλματα.

CIV. Sed ne quis objiciat præclara Ethnicorum facinora & virtutes, quibus multis hodiè Christianis antecelluerint, hæc, quæ sequuntur, παραγγέλματα κεφαλαιώδη, Colophonis loco, observentur.

CV. 1. Bonis operibus nemo potest mereri vitam æternam, sed ea est gratuitum Dei donum.

Ephes. c. 2, 8. Rom. 6, 23.

CVI. 2. Virtutes Ethnicorum non fuerunt bona opera ἰδίως καὶ σωνώνυμως sic dicta: siquidem personæ non justificatæ fide. *Rom, 14, 23. Heb. 11, 6.*

CVII. 3. Virtutes Ethnicorum compensavit Deus præmijs temporalibus.

CIIX. 4. Eorum condemnatio in die novissimo erit tolerabilior.

Luc. 12, 48.

CIX. Legatur *Lutherus Tom. VIII. f. 174. 175.* in *Confessione Maiore*, (ubi delirium illud Zvvinglij non modó perstringit: sed nervosè etiam refutat;) itemq; *Dn. Chemnitius* in 1. parte Examinis Concil. Trident. sub *tit. de operibus Infidelium*, nec non *VViganduș in lib. de Sacramentariismo.*

GENE-

GENERALIS CONCLUSIO.

CX. Et sic, Divina ope absolvimus istud Problematum Systema, ex Symbolo Apostolico, cujus distincta ἐξηγήσεις videantur in Luthero.

Tom. I. Ienens. Germ. f. 223.
Tom. IV. Ien. Germ. 109.
Tom. VI. f. 63. item f 314.

Soli DEO Gloria.

Soli DEO Gloria.

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM EX ORATIONE DOMINICA

DECADES TRES

Novem Disputationibus breviter ac perspicuè explicatæ ac ventilatæ

In Electorali ad Albim Academia

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNE FÖRSTERO

S. S. Theol. D. & Prof. Ordinario.

Augustinus.

Maxima Orationi Dominicæ ab omnibus reverentia exhibenda est, quia à summo Doctore facta est.

VVITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. XII.

Doctor. Schilter. M. 1. b

INDEX
PROBLEMATUM THEOLOGI-
corum ex Oratione Dominica Tribus Decadibus comprehensorum.

DECADIS PRIMÆ PROBLEMATA.

I. *An sancti sint invocandi.*

II. *An totus* CHRISTUS *una adoratione, non tantùm quà* DEUS: *sed etiam quà homo religioso adorationis cultu prosequendus.*

III. *Vtrùm rectè in oratione Dominica, Germanicè dicatur* Vater vnser / vel, vnser Vater.

IV. *An falsa doctrina publicè pro Concione refutanda, nominatim perstringendo illius autores, qui eandem propagare & propugnare annituntur.*

V. *An & quatenus Pastor alterius Parochiæ auditores curare debeat.*

VI. *An liceat interesse sacris Pontificiorum Idololatricis.*

VII. *An liceat Magistratui Papistico subditos, Lutheranæ religioni addictos, ex suis territorijs profligare ac persequi.*

IIX. *An regnum* CHRISTI *Mundanum.*

IX. *An* CHRISTUS *desiturus sit regnare.*

X. *An Hæretici sint membra Ecclesiæ.*

DECADIS SECUNDÆ PROBLEMATA.

I. *Vtrum voluntas* DEI *una vel multiplex.*

II. *An* DEUS *planè nolit omnium ac singulorum hominum misereri eosque salvari.*

III. *Quo in censu ac sensu habenda & accipienda distinctio Voluntatis* DEI *in Voluntatem signi ac beneplaciti.*

IV. *Quid propriè sit & dicatur, in Oratione Dominica, panis* ΕΠΙΟΥΣΙΟΣ.

V. *An & quatenus pro hostibus & persecutoribus Ecclesiæ orandum.*

VI. *An & quatenus homo Christianus bona conscientiâ fugere possit pestem.*

VII. *An homini Christiano honores Academicos petere & prensare liceat.*

IIX. An

III X. *An omnia in universum peccata sint remissibilia.*

IX. *An simul una & eâdem vice remissâ culpâ pœna etiam tam temporalis quâm æterna remittatur.*

X. *An dilectione* DEI *& proximi, cujus complexu, etiam condonatio offensarum proximi continetur, mereamur remissionem peccatorum.*

DECADIS TERTIÆ
PROBLEMATA.

I. *Vtrum hæc verba: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: unam vel geminam petitionem constituant.*

II. *An & quatenus* DEUS *nos tentare dicatur.*

III. *An de eorum salute desperandum, & quomodo ijs consulendum, qui hac cum tentatione conflictantur, ut quiritentur, se non posse credere, vel se fidem non sentire.*

IV. *An ij, qui tentationum fluctibus obruti, sibi ipsis manus violentas inferunt, excusationem mereantur.* αὐθέκουσιοι

V. *Vtrum in recitatione septimæ petitionis Germanica rectiùs dicatur,* Erlöse vns vom Böſen/ *vel,* Erlöſe vns vom Vbel.

VI. *An & quomodo per mortem temporalem omnes pij simul penitùs liberentur tum à malo culpæ: tum à malo pœnæ.*

VII. *Quare* DEUS *Ecclesiæ non præstet libertatem ab omnibus malis: sed toe tamq; varijs calamitatibus eam in hac vita exponat.*

IIX. *Num hæc verba: Quia tuum est regnum & potentia ac gloria in secula seculorum Amen, ad σύςασιν Orationis Dominicæ pertineant nec ne.*

IX. *An preces nostræ semper exaudiantur à* DEO.

X. *An dubitandum de precum piarum exauditione.*

321

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS PRIMAE Problemata I. II. III.

RESPONDENTE
M. TOBIA FABRICIO
Nördlingensi.

Ad 2. Martij horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

An Sancti sint invocandi.

Propositio I.

εἰρμὸς ἀκολουθίας monstratus tribus modis.

EIρμον τῆς ἀκολουθίας, inter Symbolum Apostolicum & *Orationem Dominicam*, in Catechesi Lutheranâ, *tria* potissimùm monstrant quàm evidentissimè.

1. II. *Primum* est *nostra necessitas*, postulans, ut fidem, qua τὰ πιστευτὰ Articulorum Symboli apprehendenda, Oratione Dominica à Deo petamus, ut donum pijs ab eodem precibus impetrandum.

2. III. *Secundum* est Fidei efficacitas sese exerentis per suos fructus, quorum duo maximè præcipui; 1. *Oratio ad Deum* directa, 2. *Dilectio erga proximum*, quæq; nulla re potentiùs declarari potest, quàm mutua ἐντεύξει.

3. IV. *Tertium* est Invocationis formalitas, in hoc consistens unicè, ut promanet ex Fide per SPIRITUM Sanctum accensâ, de qua in Symbolo Apostolico.

ὑπεροχαὶ Orationis Dominicæ 4.

V. ὑπεροχαὶ Porrò sive ἀξιώματα, quibus Oratio DOMINICA, ceteris precandi formulis in codice Biblico consignatis, antecellit, ad *quatuor* hosce terminos μνημονευλικὰς revocari solent.

VI. Quo-

VI. Quorum 1. *Autoris dignitas.* 2. *Biblica antiquitas.* 3. *Artificiosa brevitas.* 4 *Admirabilis fœcunditas*, de qua pulcrè Augustinus.

Si rectè, & congruenter oramus: nihil aliud petere possumus, quàm quod in Oratione Dominica positum est.

VII. Atq; hinc ille Noster exquisitissimi judicij DOCTOR, Lutherus, Orationem DOMINICAM *Orationem Orationum* appellare solitus. *Distributio.*

IIX. Distribui potest, in *quatuor* partes, quarum 1. *Præfatio.* 2. *Propositio septimembris.* 3. *Confirmatio tribus argumentis texta.* 4. *Peroratio* constans adverbio Hebræorum *Affirmandi, Iurandi, Optandi.* AMEN.

IX. *Præfatio* sic habet:

PATER *noster qui es in cœlis.*

X. Ubi vocabulum Patris, non accipitur ὑποστατικῶς: de sola *prima Trinitatis* persona, ut (a) alibi in Scriptura: sed φυσικῶς de Deo uno essentiâ, trino personis.

(a) *2. Sam. 7, 14. Psalm. 88. 27. & passim in Novo Testamento sermocinante* FILIO *de* PATRE.

XI. Qua acceptione FILIUS (b) *Pater æternitatis* (אֲבִי־עַד Immer. Vater interprete Luthero in ἐξηγήσει *Germanica,*) & Spiritus *Sanctus* Pater pauperum salutatur.

(b) *Esa. 9.* (c) *in Orat. Ecclesiæ.*

XII. Oritur verò hîc *quæstio*: an præter DEUM Uni-Trinum *Quæstio.* etiam *sancti sint invocandi.*

XIII. Nos tum λατρείας: tum δουλείας honorem soli duntaxat Deo competere & tribui debere intrepidè & absq; ulla hæsitatione affirmamus. ὀρθοδοξία *Lutheranorũ.*

XIV. Sanctos verò honorandos esse statuimus eo modo quem definit Epistola ad Hebræos, *c. 13, 7. Syracides c. 44. 13. 14. 15.*

XV. Eos autem invocandos & adorandos esse ullo modo ἀποτόμως negamus.

XVI. Quid verò *Romanenses?* Et hic nobis sunt contrarij. φευδοδοξία *Papistarum.*

XVII. Etenim sine fronte & mente omni, in hac etiam plusquam meridiana Evangelicæ veritatis luce, ore styloq; suis hominibus persuadere conantur; Invocationem sanctorum, pro quibus habent Angelos, & ex hominibus, eos tantùm, qui post

...em à Pontifice Romano in Catalogum sanctorum relati solenni Canonizatione, de qua *Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatit. cap. 7. 8. 9. 10.*

XLIX. Juvat, majoris fidei gratia, ipsos audire αὐτοφώνους.

Concil. Trid. Sess. 25.

Sanctos suppliciter invocare, ad eorum Orationes, opem auxiliumq; confugere bonum atq; utile est.

Costerus in Enchirid. tit. de Venerat. sanctorum.

Sancti sunt amandi & metuendi, sunt laudandi atq; rogandi; tum, ut pro nobis intercedant: tum ut ipsi nobis opitulentur; sunt illis genua flectenda, capita aperienda, lumina accendenda, statuæ erigendæ, supplicationes decernendæ.

Bellarminus lib. 1. de beatit. sanct. c. 19.

Sancti, sive Angeli, sive homines, piè atq; utiliter à viventibus invocantur.

L. Quin eo usque hæc processit insania in Regno Antichristi, ut defunctis etiam Orationem Dominicam fundere non erubescant:

Cens. Colon. p. 200.

Orationem Dominicam fundimus sanctis, ut, sancte Gereon Pater noster, qui es in cœlis.

LI. Nos commento illi Papistico de ἁγιολολατρείᾳ uno impetu expugnando hanc admovemus machinam syllogisticam inexpugnabilem:

Quicquid I. de Scriptura non habet autoritatem: & 2. insuper pluribus modis Scripturæ, & 3. Orthodoxæ Antiquitati, adversatur, & 4. deniq; Ethnicismum sapit, & in Ecclesiam invehit: illud abominandum & repudiandum est.

Atqui talis est Invocatio sanctorum Papistica. *Ergo.*

IV. Membra Assumpt. probantur.

LII. *Propositio* per se meretur fidem. *Assumptionis*, si evolvatur, *quatuor* sunt membra, quorum singula breviter quidem: sed solidè astruenda.

I. LIII. *Primum* est, quod Invocatio sanctorũ de Scriptura non habeat autoritatem. Id verò tali prosyllogismo demonstramus.

Quodcunq; nec mandato, nec exemplo, nec promissione, nec ulla alia ratione è Scriptura probari potest: illud de Scriptura non habet autoritatem.

Atqui talis est Invocatio Sanctorum, *Ergo.*

XXIII. *Majoris* veritas ac certitudo indè exſplendeſcit, quòd invocatio vera ac genuina ſacrisq; literis commendata nititur: *1. Mandato, 2. Exemplo. 3. Promiſſione, & alijs earundem fundamentis.*

XXIV. His verò omnibus ac ſingulis Invocatio ſanctorum deſtituitur. Deſtituitur Scripturæ *mandato*, deſtituitur Scripturæ *Exemplo*; deſtituitur Scripturæ *promiſſione*, deſtituitur alijs Scripturæ *fundamentis* in univerſum.

XXV. Allegat quidem *Bellarminus*, aliquot Scripturæ teſtimonia pro Invocationis ſanctorum confirmatione: ſed planè ἀλόγως & ἀπροσδιονύσως. *Solutio eorum quæ à Bell. ex Scriptura afferuntur.*

XXVI. Nam in *primo Gen. 48, 16.* ludit ὁμωνυμία vocis *Angeli*, quâ non Angelum creatum: ſed Angelum Creatorem, id eſt, ipſum FILIUM DEI, (e) μεγάλης βουλῆς ἄγγελον, qui (d) Maleacho מַלְאַךְ הַבְּרִית denotari, (e) alibi paſſim prorſus ἀναντιῤῥήτως evinci poteſt ex eo, quod habetur Gen. 28, 15. (c) *Eſa. 9, 6.* (d) *Mal. c. 3, 1.* (e) *Gen. 16, 7. Exod. 14, 19, 23, 20. 23, c 32 34. Eſa. 63, 9.*

XXVII. Et quid opus in re manifeſta χρονοτριβεῖν, cum Scriptura (f) ἀγγελολατρείαν ſuperſtitionibus à quibus cavendum, accenſeat, eamq; ipſis ab Angelis omnibus modis (g) repudiatam eſſe teſtetur? (f) *Col. 2, 18.* (g) *Apoc. 19, 10. c. 22. 9.*

XXVIII. *In ſecundo Iob c. 5, 1.* fallit & fallitur: 1. ἀπολογίαν, enunciationem συγχωρητικὴν transformans in κατηγορικὴν.

XXIX. 2. τῇ ἀπλοΐᾳ. In ſequentibus enim oſtendit Eliphazus, illud à Jobo nec piè nec utiliter ſuſceptum iri.

XXX. ψευδεμφασία ſubſtitutâ in locũ veræ ac genuinæ interpretationis traditæ à Luthero in ſcholijs Bibliorũ Germanicorũ.

XXXI. In *tertio Iob 19, 21.* per amicos non Angelos ſed Amicos Jobi, *à quibus vexabatur*, intelligi, ſequens verſiculus 22. evidentiſſimè declarat.

XXXII. In *quarto Iob. 33, 32.* itidem Sophiſticatur æquivocatione vocabuli Angeli, quod ibi de Angelo pacis, id eſt, Præcone Verbi accipi debere circumjacentia textus, clarè ac perſpicuè docent, monentq;.

XXXIII. 5. *Iob. 4, 18. & c. 15 15.* ταυτολογία committeretur, ſi per ſanctos intelligerentur Angeli. Neq; oratio eſt propriè ἐξηγητικὴ: ſed ἀυξητικὴ à ſanctis in terris, ad Angelos in cœlis aſſurgens.

XXXIV. 5. Ex loco *Exod.32,13.* plus elici conficiq; nequit: quàm *Mosen feciſſe Patriarcharum mentionem, & jurisjurandi illis præſtiti, & ne pacta dirimerentur, ſupplicâſſe.*

XXXV. Sic enim habent verba ἀνατολεξεὶ apud *Theodoretum* quem Jeſuita Jeſuiticè, id eſt Sophiſticè ac mutilatè citat.

XXXVI. Eadem reſponſio quadrat ad cetera Scripturæ (g) loca, quæ Jeſuita, in cauſſa hac planè deſperata, corradit.

(g) *Pſal.131,1 10. 2 Par.6,15. 1 Reg.15,4.5. Dan.3. Exod.34,7. Ier.32,18.*

XXXVII. Ibi enim non Majorum merita: ſed ſingularis Dei gratia, qua cum illis & ſemine ipſorum, ampliſſimarum promiſſionum interventu, pactum inierit, celebratur.

XXXIIX. Et qua fronte Jeſuita ejuſmodi Scripturæ teſtimonia ex veteri Inſtrumento adducere audet; cum, eodem in loco aperte fateatur, Invocationem Sanctorum in Veteri Teſtamento, eo quod ſancti adhuc in limbo patrum, non fuiſſe in uſu?

XXXIX. 7. Sed habet adhuc unum argumentum planè Achilleum, adeoq; tale, quod *Adverſarij nunquam ſolvere potuerunt.*

XL. Quale verò illud? *In utroq; Teſtamento ſæpè viventes à viventibus fuiſſe invocatos*, ut:

1.Sam.c.7,8. Iob ult.8. Rom.15.30. Eph.6,18. 1. Theſſ.5,12. 2.Theſſ.3. Coloſſ.4,3. Heb.13,15.

XLI. O lumen & acumen Hiſpanicum! tum quoad *Antecedens*: tum quoad *conſequens*, quod utrumq; iterum Jeſuiticum, id eſt, Sophiſticum.

XLII. Quoad *illud*: Sophiſtica eſt hypotheſis, quaſi viventes à viventibus fuerint invocati.

XLIII. In locis quidem à Jeſuita citatis agitur de ἐντεύξεσι viventium à viventibus expetitis: id verò Invocationis nomine appellandum nec ex illis, nec ex alijs Scripturæ locis à Jeſuita, uti par quidem erat, demonſtratur.

XLIV. Quoad hoc; multiplex eſt ratio diſparitatis inter Viventes ac Mortuos.

XLV. Nam 1. Viventes ſunt nobis præſentes: Mortui verò abſentes.

XLVI. 2. Viventes preces noſtras audire queunt: Mortui nequeunt.

XLVII. 3. Viventibus noſtras, quibus cum conflictamur, adverſitates videre & ſcire licet: Mortuis non licet: (h) *neſciunt nos*, (i) *nec vident mala noſtra* ſcilicet, *in particulari, & definitè, & exquiſitè.*

(h) *Eſa.63,16. Eccl.9,5.* (i) *2.Reg.22, v.20.*

XLIIX. Nam *confuſam* & *communem* rerum humanarum ſcientiam, ex *communi*, quam ſibi, dum in vivis eſſent, *experientia* compararunt, ſanctis non derogamus: Eos verò *per naturam* ſingulares ſingularum rerum caſus cognoſcere poſſe negamus.

XLIX. Etſi enim perfecta præditi caritate: omniſcientia tamen & omnipræſentia, quæ *ἰδιώματα* in ſolum Deum cadunt, præditi non ſunt.

L. Et proinde concedimus eos *in genere ſecundum ſcientiam confuſam & generalem* orare pro Eccleſia: quod autem *in ſpecie ex ſcientia particulari & exquiſita pro ſingularibus ſingularium civium Eccleſiæ* neceſſitatibus apud Deum intercedãr, cõcedi nec poteſt nec debet.

LI. Multò minùs, quòd, propter generalem illam ſcientiam & interceſſionem invocandi ſint.

LII. Syllogiſmus enim eſt non Syllogiſmus, id eſt, *ἀσυλλόγιστος*, quo tamen Romanenſes mirificè ſibi placent, & tantùm non triumphos agunt:

Quicunq; orant pro nobis: illi ſunt invocandi:
Sed ſancti orant pro nobis, *Ergò.*

LIII. Non ſufficit enim ad cultum invocationis, quòd ſancti pro nobis intercedunt: ſed requiruntur plura eaq; eſſentialia & *οὐσιακὰ*, ut *1. Mandatum Dei. 2. Promiſſio. 3 Vocatio*; quibus cùm deſtituantur ſancti, quis eos invocationis cultu proſequendos dixerit?

LIV. *Quod* Jeſuita obiter ex *Luc. cap.15.* affert de Angelis gaudentibus de peccatoribus pœnitentiam agentibus: itidem laborat vitio parium; uti apparet ex *Ioh.1,52.* & *Matth.18,10.*

LV. Sunt nonnulli, ut (k) *Arturus, Salmeron* & alij, qui ex officina optica ſpeculum quoddam accudunt, quod ſpeculum Trinitatis vulgò appellitant, in quo ſancti omnia, quæ in hiſce terris fiunt & geruntur, videant & contemplentur.

(k) *in theſ. de Invoc. ſanct. l.Tom 15.*

LVI. Sed ô ſpeculum pluſquam ſpeculum, id eſt, quovis ſpeculo fragiliùs!

Speculũ Trinitatis

LVII. Etsi enim Angeli & sancti Deum à facie ad faciem intuentur: ingens tamen manet discrimen & manebit in æternum; inter illos, creaturas: & hunc Creatorem, cui soli omniscientia in solidum vendicatur, *1. Reg. 8. 39. 1. Cor. c. 2. 10. 11.*

II. Membrum per IV. pro Syllogismos.

LVIII. Sed transitum faciamus ad βεβαίωσιν ceterorum etiam membrorum paucis expediendam, & quidem sine intervallo ad *secundum*, quòd nimirum *Invocatio sanctorum Scripturæ adversetur.*

1 LIX Id verò ex aliquot ejusdem oraculis συλλογιστικῶς facile & nullo negocio astrui potest.

LX. 1. Ex *Deut. 6. 13.* & *Matth. 4. 10.* hoc pacto:

Si SOLUS DEUS *invocandus: infallibili necessitate sequitur, quòd sancti non sint invocandi.*

Atqui SOLUS DEUS *invocandus est, attestante Scriptura, locis jam allegatis, quibus & præfatio Orationis Dominicæ consonant. Ergo.*

LXI. Nec est ut confugiant Romanenses ad putidam & obsoletam illam distinctiunculam, quam (*l*) *Bellarm.* quoque propugnare ausus, inter λατρείαν & δουλείαν, siquidem Deut. 6. in fontibus Hebræis extat תְּעָבֹד ab עָבַד quod δουλεύειν vel *servire* significare vel pueris notum est. (*l*) *l. 1. de beat sanct. c. n. & 12.*

2 LXII. 2. Ex *Esaia cap. 63. 16.* sic concludimus:

Ii invocandi sunt, qui sunt καρδιογνώστοι, *atq; adeo cordium nostrorum gemitus scire & exaudire valent.*

Sed id præstare nequeunt sancti, juxta illud Esaiæ testimonium. Ergo.

3 LXIII. 3. Ex *Rom. 8. 34. 1. 1. Timoth. 2. 5. 1. Iohan. 2. 12. Hebr 7 25.* sic argumentari licet:

Si solus CHRISTUS *est Mediator & intercessor noster: conficitur quòd* ἁγιολατρεία *Papistica non solùm planè inutilis, sed etiam* CHRISTO *contumeliosa.*

Sed verùm est prius, ex locis Scripturæ jam citatis. Ergo.

LXIV. Distinctio inter Mediatores, quam exceptionis loco obtendunt, 1. caret Scripturæ fundamento, 2. à dictis jam adductis dissonat. Et proinde elumbis & invalida.

LXV. 4. Ex Epist. ad *Rom. cap. 10. 14.* talem extruimus rationem:

In quos non credimus: eos quoque non debemus invocare,

Atqui in sanctos non credimus, Ergo.

LXVI. *Tertium membrum* est, quod *Invocatio sanctorum adversetur Or-* III. *Membrum.*
thodoxæ Antiquitati. Id verò pluribus edoceri posset: sed sufficiat hac vice; quòd (m) *Augustinus* illam appellat *sacrilegium* (n) *Epiphanius errorem seductorum*, κατ' ἐξοχήν addens.

Non sanctos colimus: sed sanctorum DOMINUM.

(m) *lib. 1. contra maximum.* (n) *Lib. 3, Tom. 2. hæres. 2.*

LXVII. *Quartum* denique *membrum* est, quòd *Invocatio sanctorum* in Ecclesiam invehat *Ethnicismum*, id quod ἐπαναλικῶς hac ἀντιθέσει ad oculũ exhibemus, ubi, eandem idololatriam mutatis tantùm personarum nominibus, utrinque se offerre, conspicuum. IV. *Quartum.*

Ethnici,	Papistæ.
1 Pallas,	Catharina,
2 Apollo, Æsculapius,	Cosmas, Damianus,
3 Æolus, Neptunus,	Nicolaus, Christophorus,
4 Mars,	Georgius, juxta versum
Ut Martem Latij:	sic Nos te Dive, Georgi', &c.

LXVIII. Legatur postremi millenarij Doctor, & Regnator quasi Lutherus:

Tom. V. Ien. Germ. fol. 145, 146. 286. Tom. VI. fol. 513. 514. Tom. VII. fol. 344.

II. PROBLEMA.

An totus CHRISTUS *una adoratione, non tantùm quâ* DEUS: *sed etiam quâ homo religioso adorationis cultu prosequendus?*

LXIX. *Affirmativam* istius Problematis Ecclesia CHRISTI Catholica ὁμοφρόνως profitetur & tuetur universum. *Affirmativa Ecclesiæ Catholicæ.*

LXX. Ideo etiam in Synodo Ephesina fulmen anathematis in omnes Επεξηγήσεις vibravit his conceptum verbis:

Si quis dicit, non adorandam DOMINI *nostri carnem ut hominis, & non adorandam ut* DOMINI DEI *carnem: hunc ἀναθεματίζει sancta & Catholica Ecclesia.*

LXXI. Quid verò *Calviniani*? Hac etiam in parte à regia & militari veritatis via ad errorum præcipitia turpiter deflectunt.

LXXII. Sed ne omnes promiscuè, præter fas & æquum, quo-

Ἑτερόδοξία Calvinianorũ cujus tres cohortes

ad præſens thema, in uno & eodem cenſu habere videamur: tenendum ac ſciendum, quòd illi, in hac controverſia, in *tres* diverſas cohortes ſcindantur.

I. LXXIII. Quarum *prima* complectitur eos, qui prima facie videntur eſſe *Orthodoxi*, adeoque unà nobiſcum diſertè & exertè affirmant, carnem CHRISTI, quatenus non χριστῳδῶς in ſua natura, ſed ἱπποστατικῶς in unione cum perſona VERBI conſideretur, religioſo adorationis cultu proſequendam eſſe.

LXXIV. Socius hujus cohortis eſt (n) *Zanchius* itemq; *Beza*, ut videtur hac ſua innuere confeſſione:

> *Reſpondeo ad ipſam quoq; carnem (id eſt, humanitatem* CHRISTI*) adorationem & invocationem noſtram dirigi, non tamen ſimpliciter: ſed* κατά τι, *id eſt, non quatenus eſt ſimpliciter & in ſeſe creatura (eſſet enim hoc mera idololatria) ſed quatenus eſt* FILII DEI *humanitas part. 1. Reſp. ad Act. Colloq. Mompel: antith. 20. p. 162.*

(n) *lib 2. de Incarn. c. 3. quæſt. 9. theſ. 2.*

II. LXXV. *Secunda* cohors continet manifeſtè *blaſphemos*, qui eò uſq; impietatis œſtro abripiũtur, ut non perhorreſcãt propalam ſcriptitare: eum *qui ad Humanitatẽ* CHRISTI *ſuã dirigat adorationẽ, ipſum blaſphemare Deum, & eſſe idololatram, & maledictum ex ipſius* DEI *ore.*

LXXVI. Alterius iſtius cohortis Dux & Anteſignanus eſt *Lambertus Danæus*, cujus ipſius ſunt verba jam recitata ipſo ſono pluſquam horrenda. *In Exam. contr. Chemn. p. 115.*

LXXVII. Quib. ſimilia ſunt, quæ in eadẽ Rhapſodia habentur:

> *Dum* CHRISTUM *adoramus & invocamus, ad ipſam carnem, etiam in illa unione perſonæ manentem, propriè & per ſe non dirigitur, aut ſpectat noſtra illa invocatio & adoratio, p. 416.*

III. LXXIIX. *Tertiã* cohorte cõprehenduntur, quos forſan *tepidos* ex (o) Apocalypſi Johãnitica, aut *vanos Mediatores* appellaveris (o) *c. 3, 16*

LXXIX. *Media* enim quadam via incedunt, exiſtimãtes, humanitatẽ CHRISTI non eo honore, quo DEUS colitur: ſed honore aliquo inferiore, neq; tamen civili vel politico: ſed verè religioſo: at non tam religioſo, qualis Deo exhibetur: ſed *medio* quodam, venerandam eſſe.

XXC. *Tertiæ* hujus ſectæ autor rectè ſtatuitur *Matthias Martinius* Antonij Sadeelis infelix propugnator, ſicut videre licet.

Inciſ. p. 86. 87. 88. 89.

81. Ce-

XXCI. Ceterùm quod primæ cohortis Calvinianos attinet: etsi videri nolunt, quòd CHRISTO quâ Homo est, cultum adorationis derogent: attamen, quod in rei istius fundamento, à veritate aberrent, facilè convinci possunt.

XXCII. Negant enim realem communicationem tum naturarum tum proprietatum in persona CHRISTI.

XXCIII. Et nominatim quidem infinitæ *majestatis divinæ*, cui *soli* religiosus adorationis cultus competit, cumq; eâdem *ἀδιαιρέτῳ* nexu cohæret.

XXCIV. Negant item omnipræsentiam & *omniscientiam* carni CHRISTI verè ac realiter communicatam esse. Quo affectu igitur ad eum, qua Homo est, suspiraverint, ipsi viderint.

XXCV. *Secundæ* & *tertiæ* cohortis Adversarij varijs quidem modis refutari possent, ut *partim* ab honore Mediatori, Redemptori, Justificatori, Pontifici, Regi & Judici nostro exhibendo, *partim* ex baptismo, *partim* ab objecto fidei, *partim* ab Exemplis sanctorum Biblicis, *partim* ex Antiquitatis Orthodoxæ suffragijs.

XXCVI. Sed sufficiant, hac vice, qua *βραχυλογία* summo nobis studio sectanda, hæc paucula, quæ ad scopum propositum quàm proximè collimant. *Refutatio per 3. Argumen.*

XXCVII. *Primò* sic argumentamur: I.

Quicquid CHRISTO *datum in tempore: id de Carne vel Humana eius natura intelligendum,*
Atqui CHRISTO *datum est, nomen super* OMNE NOMEN, *ut in nomine ejus flectatur omne genu. &c.*
Ergo id competit CHRISTO *etiam qua homo est, & per consequens, etiam, qua homo adorandus adoratione solius* DEI *propria.*

XXCIIX. *Major* est desumta ex Regula Athanasij, & totius Orthodoxæ Antiquitatis.

XXCIX. *Minor* fundata est in epistola ad *Phil. c. 2, 9. 10. 11.* ubi præcipuè *ἐμφατικὸν* est, *τὸ χαρίζεσθαι*, quod quippè Deitati Christi quæ Natura adorabilis, nullatenus competit.

XC. Veritatem *consequentis* commonstrant loci Scripturæ *παραλληλοὶ*: ut *Esa. 45, 23. Rom. 14, 11. &c.*

XCI. *Secundo* sic colligimus: 2.

Cui datum est omne judicium: is honorandus est sicut Pater cœlestis, & per consequens, adoratione solius DEI *propriâ.*

3. *Atqui* CHRISTO HOMINI *datum est omne judicium.* *Ergo.*

XCII. *Major* petita est ex *Ioh.c.5,22.23. Minor* ex eodem c.*v.27.*

XCIII. Accedunt deniq; ὑμνολογίαι cœlestis exercitus ad Agnum *occisum sedentem in throno*, id est, Christum Hominẽ, pro nobis passum ac mortuũ & *exaltatum ad dexteram Dei, Apoc.5, 12.11.7.10.*

PROBLEMA III.

Vtrùm rectè in Oratione Dominica, Germanicè dicatur

Vater vnser/ *vel* vnser Vater.

XCIV. Videri quidem poterat hæc quæstio supervacanea: sed cum non desint, qui temerè judicare, adeoq; Lutherũ ipsum suggillare soleant: noluimus eandem sicco prorsus pede transilire.

XCV. Expediemus autem totum istud negocium aliquot aphorismis, quos, ὡς ἐν τύπῳ, jam ad oculum exhibemus.

XCVI. A veris adoratoribus non tam verborum ornatus: quàm animi affectus requiritur, *Matth.6,*

XCVII. Unde Cyprianus nervosè admodum: Deus non vocis: sed cordis auditor est. *Serm.6. de Orat. Domin.*

XCIIX. Non igitur verborum dispositio & sonus: sed expositio & sensus attendi ac perpendi debet.

XCIX. Et proinde nihil vel parùm certè refert sive quis dicat, Vater vnser: sive, vnser Vater

C. Utraq; enim verborum istorum τάξει usus Theander Lutherus: illa in Catechesi, ubi propter idiotas *simplicitatem*: hac in (p) Versione Biblicorum, ubi *Germanicæ dialecti proprietatem* sibi observandam duxit. (p) *Matth.6,9. Luc.11,2.*

CI. Est tamen aliquid inter hasce formulas discriminis.

CII. *Prior* enim est antiquior & vulgò recepta, adeoq; rudioribus nota maximè, ijs præsertim, qui ex Papatu ad nostras transeunt Ecclesias, & proinde non temerè mutanda, propter illorum infirmitatem, cui hac etiam in parte quodammodò consulendũ.

Rom.14,1. 1.Cor 8,9.

CIII. *Posterior* verò nõ æquè antiqua est. Interim tamẽ illi in hoc antecellit, quòd ad proprietatem Linguę Germanicę propiùs accedat, quemadmodũ etiã ex quarta & quinta petitione apparet.

CIV. *Illa* contrà magis *Hebraismum, Græcismũ* & *Latinismum* sapit, quàm Germanismum, v.g. Pater noster, Πάτερ ὑμῶν. אָבִינוּ

CV. Cum igitur utraq; formula suis nitatur rationibus: neutra potest ac debet ita temerè improbari.

Ex

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS PRIMAE Problemata IV. V. VI. VII.

RESPONDENTE

M. WOLFGANGO WILHELMO BRUNONE Neoburgensi.

Ad 9. Martij horis locoq; consuetis.

PROBLEMA IV.

An falsa etiam doctrina publicè pro Concione refutanda, nominatim perstringendo illius autores, qui eandem propagare & propugnare annituntur.

Propositio I.

SUccedunt *Præfationi* Orationis Dominicæ *Septem αἰτήματα* justo ordine, quorum primum est de sanctificatione nominis divini. *Occasio.*

II. Quæ fit interprete Luthero, cum Verbum DEI purè & sincerè docetur, vitaque ad ejus præscriptum ritè conformatur.

III. Contrà autem profanatur sanctissimum DEI nomen, numenq; doctrina falsâ & vita impurâ.

IV. Hac igitur occasione hic præsens istud Problema proponendum & exponendum duximus, propter eos præsertim, quibus suo tempore in praxi Ecclesiastica illius enodatio usui & emolumento esse poterit. *Opinio τῶν πάπτω ζόντων.*

V. *Olim* circa tempora *Sphingis Augustanæ*, pluribus in locis Ecclesiæ Ministris demandatum fuit, ne Papatûs, & columinum ejus, Papæ Episcoporum, Monachorum &c. ullam pro concione

facerent

facerent mentionem: sed textum simpliciter sine antithesi & applicatione enarrarent.

2. Zvvinglio-Calvinianorū.

VI. Idem deinde ausi sunt *Zvvinglio-Calviniani*, impetratis à Magistratu edictis, quibus Lutheranis doctoribus interdictum, ne Calvinistas, & eorum pseudodogmata publica voce nominatim taxarent; quemadmodum factum in *Electorali Palatinatu*, & *Electoratu Saxoniæ*, ea tempestate, quà serpens Calvinisticus in eundem rectè se insinuare conabatur.

3. Pseudopoliticorum.

VII. Quid? Hodie etiam non desunt *Pseudopolitici*, in Aulis Principum, qui idem suadere assolent, ij præsertim, qui spretâ Lutherana simplicitate utili, Calvinisticam rimantur & mirantur subtilitatem futilem, decepti πανουργίᾳ Satanæ, & corrupti τὰ νοήματα, juxta ἀπλότητα Paulinum. 2. Cor. 11, 3.

VIII. Qui autem consilijs eorum ἀθεολογωτάτοις meritò postpositis, ea, quæ par est παῤῥησίᾳ, in Calvinianis & horum erroribus redarguendis utuntur, ijs sunt clamantes & (a) calumniatores.

(a) *Ioh. Munst. in sua Rhapsod. in præf. & p. 108.*

Duplex institutio pro fidel. Servis DEI.

IX. Ferè, ut Apostolum à Philosophis Gentilibus, pro (b) σπερμολόγῳ, & (c) Festo pro Maniaco habitum legimus.

(b) *Act. 17, 18.* (c) *Act. 26, 24.*

X. At enimverò contra istorum hominum φιλανθρώπων μᾶλλον ἢ Φιλοθέων ἀθεοσοφίαν, fidelibus servis DEI institutio tenenda, tum *generalis*: tum *specialis*.

1. Generalis, per; Scripturæ

XI. *Generalis*, quòd omninò ipsis incumbat, ut *non tantùm thesin veræ ac sinceræ doctrinæ confirment*: sed ut etiam *antithesin falsæ & erroneæ* doctrinæ propalam *confutent*.

XII. Imperat id Scriptura *Dictis*; commendat *Exemplis*; suadet *Rationibus*.

1. Dicta.

XIII. *Dicta* passim obvia sunt tam in (d) Veteri, quàm in (e) Novo Testamento; imprimis verò huc pertinet (f) præceptio Apostolica, qua à Ministro Ecclesiæ requiritur, ut non saltem sit δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ: sed etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, καὶ ἐπισοιίζειν. (d) *Ierem. c. 1. 10. c. 15, 19.*

(e) *2 Tim. 2, 24, c. 4. 2. Tit. 2, 15.* (f) *Tit. c. 1, 9. 10.*

2. Exempla.

XIV. *Exempla* præbent (g) CHRISTUS, (h) *Prophetæ*, (i) *Apostoli*, & horum vestigijs insistens (k) *Augustana Confessio*.

(g) *Matth.*

(g) *Matth.5,c.7.c.23.* (h) *Elias 1.Reg.18. Micheas 1.Reg.22. Ieremias c.23. & alibi paſſim.*

(i) *Paulus Rom.16,17. 1.Cor.15. 2. Cor.11,13. Phil.3,2. Iohan.2. Epiſt.v.10.* (k) *Articul X*

XV. *Rationes* Scripturæ *partim* ſunt *Increpationes* quibus Silentiarij (l) *Canes muti* ignominiosè appellantur, *partim comminationes*, quibus illis æternum (m) Væ, DEique (n) ira denunciatur, *partim* (o) *promiſſiones*, pro ijs, qui in hoc officij genere ſe non (p) δολίους, ut illi, ſed (q) ἀναμεχωύτους ἐργάτας DEO exhibere ſtuduerint. *qui nam.* *3.Rationes.*

(l) *Eſaiæ 56,10.* (m) *Eſa.c.5,20.* (n) *Apoc.15,16.*

(o) *Ierem,c.15,19.* (p) *2.Cor.11,13.* (q) *2. Tim.2, 15.*

XVI. *Specialis* porrò inſtitutio eſt, quòd cunctis fidelibus Hierophantis non modò conceſſum: ſed Divinitus etiam injunctum, ut falſos doctores nominatim redarguant, eo fine, ut Auditores eò melius ſibi ab illis cavere poſſint. *II. Specialis per*

XVII. Collimant eò Scripturæ *Exempla*: & *Rationes*, quibus nos *Orthodoxæ Antiquitatis & Lutheri* authoritatem, ἐκ τῆς θεσπίας, adjungemus. *1. Scripturæ Exempla.*

XIIX. *Exempla* nobis ſuppeditant, 1. CHRISTUS, qui (r) *Phariſæos*, 2. Paulus, qui (ſ) *Hymenæum* & *Alexandrum*, (t) *Phygellum* & *Hermogenem*, (u) *Philetum*, 3. Johannes, *qui* (x) *Diotrephen* & (y) *Nicolaitas nominatim* perſtrinxerunt.

(r) *Matth.16,6. 13.14.* (ſ) *1,Tim.1, 20.* (t) *2.Tim.1,15.*

(u) *2.Tim,2,17.* (x) *3.Epiſt.v.9.* (y) *Apoc.3,15.*

XIX. *Rationum primam* ex CHRISTI & Apoſtoli monitis ſic teximus. *2. Rationes.*

A quibus tanquam lupis rapacibus, ſub æternæ ſalutis diſpendio, Auditoribus cavendum: horum nomina non ſunt ſilentio involvenda: ſed auditoribus inculcanda, ut eò melius ſibi ab illis cavere poſſint.

Atqui verum prius, ex παραινέσει (z) *Salvatoris*, & (a) *Apoſtoli.*

Ergo. (z) *Matth. 7,15.* (a) *Act.20,28.29. Tit 3,10:*

XX. *Secundam ἐκ τοῦ ἡττον* hoc pacto deducimus:

Si Medici eſt, nominatim indicare eos; qui peſte corporali infecti, vitandi periculi gratiâ: multò magis utiq; convenit, ut Cura-

tor animarum suis auditoribus eos nominet, qui poste spirituali infecti: Majus enim hîc quàm illic periculum.
Atqui verum prius, *Ergo & posterius.*

XXI. Tertiam ex *officio Ministrorum Ecclesiæ* ita concinnamus:
Speculatoris est non tantùm sono tubæ hostes prodere: sed Civibus etiam vivis coloribus depingere, & si fieri possit, singulos etiam numerare ac nominare.
Atqui Ministri Verbi sunt (b) *speculatores Ecclesiæ.*
Ergo hostes eius nominatim etiam notare debent.

(b) *Ezech. 3, 17, c. 33. 7.*

XXII. Quarta ab *incommodis* peti potest hoc modo:
Si falsi doctores nominatim non notantur: occasio præbetur lupis ac furibus istis liberiùs irrependi in ovile Domini, teste experientia.
Sed hoc nihil nocentius. *Ergo.*

3. Autoritates Orthodoxæ Antiquitatis.

XXIII. *Orthodoxæ Antiquitatis* autoritatem quod attinet: ex scriptis Patrum notum est: ab ips. *Marcionis, Arij, Nestorij, Eutychis* & aliorum expressissimam fieri mentionem.

XXIV. Quin imò in *VI. Concilio Constantinopolitano* Canon hic concordibus Patrum suffragijs conditus est:

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, cum impijs eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati sunt ab Ecclesia, & eos, qui similia prædictis hæreticis sapiunt, & in sua impietate permanserunt & permanent, talis anathema sit.

& Lutheri.

XXV. *Lutherus* denique eôdem accedit, sicut vel hæc eius Confessio verè Lutherana, id est, aperta & rotunda, abundè docet:

Ich als der nun auff der Gruben gehe / wil diß Zeugnüß vnd diesen Ruhm / mit mir für meines lieben HERRN vnd Heylands JEsu Christi Richtstuel bringen / dz ich die Schwermer vnd Sacramentsfeinde / Carlstad / Zwingel / Oecolampad / Stenckfeld / vnd jhre Jünger zu Zürch / vnd wo sie sind / mit gantzem Ernst verdampt vnd gemidden habe / nach seinem Befehl / Tit 3. Einen Ketzer soltu meiden / wenn er eins oder zwey vermahnet ist / vnd wisse / daß ein solcher verkeret ist / vnd sündigt / als der schlecht wil verdampt sein.

Tom. VIII. Ien. in Conf. Min. f. 192.

XXVI. Et cur quæso Zvvinglio-Calviniani iniquè ferant, se nominatim à Lutheranis perstringi, cum ipsis, nullo planè modo iniquum videatur, imò æquissimum; quando nos non dubitant publicitus proclamare *Neo-papistas, Vbiquitarios, Flacianos, &c.*

XXVII. Concludimus proinde καταφατικῶς statuendo: non modò falsam doctrinam: sed ejus etiam autores nominatim redarguendos esse.

XXIIX. Modò id fiat (c) Zelo κατ' ἐπίγνωσιν, eâq; prudentia, quâ (d) Architectum Ecclesiæ præditum esse oportet.

(c) *Rom.* 11, 2. (d) *1. Cor.* 3, 10.

XXIX. Si quæ ea in re Ἀρχιποιμέν suo JESU CHRISTO fidelitatem probaverint; contra calumnias Mundi se solentur & certò sciant, *illud non convicium; sed officium; non maleficium; sed beneficium; non in homines contumeliam; sed erga* DEUM *obedientiam esse*, ut cordati Theologi verbis utamur.

XXX. Legatur de ἐλεγκτικῷ Ministrorum Ecclesiæ officio Lutherus *Tom. II. Ien. Germ fol. 373.*

XXXI. Nos adscribimus pulcerrimam hanc ipsius sententiam, ex Postilla Oeconomica, super Epist. in Fest, Nativ. f, 63.

Es ist geschrieben im Buch Nehem, 4. Da sie Jerusalem wieder bawetẽ/ Daß sie mit einer Hand bawetẽ/ vnnd in der andern Hand ein Schwerdt hatten/ vmb der Feinde willen/ die den Baw hindern wolten/ Das leget S. Paulus ad Tit. 1. also aus/ Dz ein Bischoff/ Pfarherr oder Prediger sol mächtig sein/ in der heiligen Schrifft/ zu lehren vnd vermahnen/ darzu auch den Widersprechern zu wehren. Also daß man das Wort Gottes brauche in zweyerley weise/ als des brod/ vnd als des Schwerts/ zu speisen vnd zu streiten/ zu Friedes vnd Kriegszeiten/ vnd also mit einer Hand die Christenheit baive/ bessere/ lehre/ speise/ mit der andern dem Teuffel/ den Ketzern/ der Welt wiederstandt thue. Denn wo nicht Wehre ist/ da hat der Teuffel die Weide bald verderbet/ welcher er gar feind ist.

V. PROBLEMA.

An & quatenus Pastor, alterius Parochiæ auditores curare debeat.

XXXIV. Ad primam Orationis Dominicæ partem pertinet doctrina de Ministerio Ecclesiastico. Absq; hoc enim Verbum divinitus relatum doceri nequit.

XXXV. Non ἀκαίρως igitur isthæc movetur quæstio, cujus in praxi Ecclesiastica & ministeriali non exiguus usus.

XXXVI. Sæpe enim fit ut alterius parochiæ Auditores, alterius Ministri Ecclesiæ operam implorent & expetant.

XXXVII. Qua in parte quid Ministris Ecclesiæ faciendum, quid fugiendum, distinctè ostendemus.

XXXIIIX. *Ministerium* est *corruptum* aut *incorruptum*.

XXXIX. Si Auditores earum Ecclesiarum, ubi Ministerium vel Papismo vel Calvinismo, vel alia hæresi corruptum, Ministri Orthodoxiæ addicti operam expetant; ea utiq; istis denegari nec debet nec potest.

Contra Excl. sionem Au. striacam

XL. Et in hoc necessitatis casu locum invenit generale illud Ministerij Ecclesiastici vel Spiritus privilegium. *Ioh. 16, 8.*

XLI. Ac pro Auditoribus faciunt generalia Scripturæ ἀπαγορεύματα. *Matth. 7, 15. Rom. 16, 17. 18 Phil. 3, 2.*

XLII. Omnino igitur admittendi sunt non modò ad auditum Verbi: sed etiam ad usum Cœnæ ij, sive noti sive ignoti fuerint, quorum ordinarij pastores κακοδοξία vel Papistica vel Calvinistica, &c. inquinati; præmisso tamen examine, quo & profectus & consensus eorum explorandus.

XLIII. Et ne quid fiat ἀτάκτως ἢ ἀβδήλως, præscitu Presbyterij vel Consistorij, sicubi fuerit, illud fiat suademus, modò periculum non fuerit in mora.

XLIV. Sin verò Ministerium *incorruptum* fuerit: tum iterum distinguendum est inter casus *intra & extra necessitatem*.

XLV. *In casu necessitatis*, si ordinarij Ministri copia Auditori fieri nequeat: omninò licitum & concessum est alterius parochię Antistiti suam illi præstare operam, Confessionem audiendo, absolutionem impertiendo sacram Cœnam administrando, &c.

XLVI. *Extra* casum verò *necessitatis* fieri potest ac solet etiam sæpissimè, ut Auditores vel propter simultates, quas adversus Ordinarium pastorem alunt, vel ex metu, ne propter viram turpiter actam, ea, qua par est severitate, objurgentur: ab illo ad alium desciscunt ac confugiunt.

XLVII. Hic verò tenenda est *Negativa* cum Consilio tamen. *Negativa per triplici conjuncta.*

XLVIII. Fundamenta *Negativæ* sunt partim *Dicta* Scripturæ, partim *Rationes*, partim *Autoritates.* 1. *Dicta Scripturæ.*

XLIX. *Dicta* Scripturæ *duûm* sunt generum: *Quædam* cuique Parocho suam Parochiam peculiariter mancipant: *Quædam* ad obedientiam Ordinarijs Ecclesiæ Ministris debitam exhortantur.

L. *Prioris* generis dicta sunt, quæ partim (e) pronomine δεικλικῷ partim (f) τῷ ἐμφαλικῷ τῆς κλήρου, partim (g) Ecclesiæ unius particularis mentione determinationem illam continent & inculcant.

(e) *Actor. 20, vers. 28. 1. Petr. 5. vers. 2.*
(f) *1. Petr. 5. vers. 2.*
(g) *Phil. 2. vers. 16.*

LI. Inter *posterioris* generis dicta maximè eminet authentica Epistolæ ad *Hebræos cap. 10. v. 25. & cap. 13.*

Obedite Propositis VESTRIS.

LII. *Rationes* subministrat ἀταξία & ἀλλοτριοεπισκοπίας vitandæ, autoritatis Ministerij asserendæ, protervia auditorum cohibendæ, indignæ Sacramenti χρήσεως prævertendæ, reconciliationis ad dignum Sacramenti usum necessariæ (Matth. 5, 23. 24. 25.) promovendæ, scandali in Ecclesia avertendi studium, quod pijs omnibus debet esse commendatissimum.

LIII. Ex *Autoritatibus*, pro re nata sufficiant hæc Cypriani ἐπιστολικὰ μάρτυρα.

Libr. 1. Epist. 3.

Statutum est omnibus vobis, & æquum, ac pariter justum est, ut uniuscujusq; causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis Pastoribꝰ portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationẽ sui actus Domino reddat. Oportet eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentẽ, sua subdola & sallaci temeritate collidere, &c.

Sine spe sunt, & perditionem maximam de indignatione DEI *acquirunt, qui Schisma faciunt, & relicto Episcopo, alium sibi foris Pseudoepiscopum constituunt.*

Consilia tria. LIV. Ut, quod reliquum est, descendamus ad *Consilia. Unum est.*

1. ut Minister Ecclesiæ, cujus operam alterius parochiæ auditor efflagitat: causas exponat, ob quas postulato isti annuere nequeat, ijsque simul ei persuadere conetur, ut maturatâ reconciliatione cum ordinario pastore, operâ ejus pura conscientiâ utatur.

2. LV. *Alterum* est, si forsan prætendat, se eâ de causâ Pastorem suum convenisse: sed nihil impetrâsse: autor ei sit, ut denuò eum adjuncto sibi teste eâdem de re solicitet. Quod si adhuc noluerit: posse eum negocium istud deferre ad Presbyterium aut Consistorium, quod Pastorem illum, vel ad faciendum officium adiget; vel interim, dum causa ventilatur, potestatem faciet alij pastori, suam operam auditori illi, hoc rerum statu, communicandi. Quòd si id non fiat, & Auditor denuò urgentissimè instet: non potest ei amplius id quod petit denegari.

3. LVI. *Tertium* est; si verò eum & à reconciliatione & ab usu ministerij Pastoris Ordinarij totum abhorrere intellexerit: significet id Pastori Ordinario, qui, ut & suæ conscientiæ, & Auditoris saluti consulat: annitatur sedulò, ut ad saniorem eum mentem reducat: sin minus: deferatur ad Consistorium, vel, si hujus copia fieri non potuerit: ad Magistratum, qui remedijs idoneis contumaciam hominis præfracti, corriget.

VI. PROBLEMA.

An liceat interesse sacris Pontificiorum idololatricis.

LVII. Sunt quædam in Papatu sacra planè idololatrica, cujusmodi, *Invocatio sanctorum, missa, &c.*

LVIII. Et proinde nemo ea approbare, ijsque communicare salva conscientia potest, sive id fiat interiùs cultu & affectu: sive exteriùs vel nutu aut gestu saltem.

LIX. Utrumque enim uni ac soli tantùm DEO debetur, sicut

Scri-

Scripturarum (h) γνωμικῶς: tum (i) ἀποδεικτικῶς docet & declarat.

(h) *Deuter. 6. verſ. 13. cap. 10, verſ. 20. Eſai. 45. verſ. 11. Philip. 2 verſ. 10.*

(i) *1. Regum 19. verſ. 18. Roman. 11. verſ. 4.*

LX. An verò ijsdem intereſſe liceat: alia eſt quæſtio, ad quam reſpondendum diſtinctè & 1. quidem, συγκεχυμένως & *in genere.* 2. διωρισμένως & *in ſpecie.* *Reſponſio ad quæſtionem.*

LXI. *In genere* dicimus longè ſatius eſſe à ſacris illis abeſſe, quàm ijsdem intereſſe, propter monitum Siracidæ c. 1. 1. *Generalis.*

Qui amat periculum: peribit in illo.

LXII. Rectè igitur & præclarè factum à Johanne Electore Saxoniæ pientiſſimo, ceterisq; Principibus proteſtantibus, quod in Comitijs Auguſtanis recuſârunt intereſſe pompæ illi Perſicæ in feſto corporis CHRISTI, ſicut refertur *Tom. V. Ien. fol. 26.*

LXIII. *In ſpecie* autem reſpondemus per diſtinctionem perſonarũ, quæ vel *officij* vel *profeſſionis* ratione quodammodo excuſari poſſunt. 2. *Specialis.*

LXIV. *Officij* ratione excuſari poſſunt ij, qui Magiſtratum Papiſticum ad ſacra ejusmodi eunrem comitari tenentur.

LXV. Petant hi ut ipſis parcatur, ſi nihil obtinuerint, præſtare poſſunt officium, præmiſſa tamen manifeſtâ proteſtatione, quòd præſentiâ ſuâ abominationes illas nullatenus probare velint.

LXVI. Qua ſanè prudentia iterum uſus *Elector Saxoniæ Iohannes* in ijsdem Comitijs. Sicut in eodem *Tom. V. fol. 28.* commemoratur hiſce verbis, quæ majoris fidei gratiâ ἰδιογλώσσως huc adſcribimus:

So viel iſt bisher gehandelt / ſeyd gewarnet mit dieſem / ob Gerüchte keme / Das vnſere Fürſten etwas ſolten gewichen ſein / ſo wiſſet / das es nicht war iſt / ſie haben auff das höchſte anſuchen Keyſerlicher Majeſtät / vnd ſonderlich der Churfürſt ſeines Ampts halben nicht wegern können / mit in die Kirchen zu gehen. Sie haben aber vorhin proteſtirt, das ſie die Meſſe nichts angehe / wöllen auch der keine Reverentz thun / wie geſchehen. Darzu ſtehet man nicht ab von predigen / ſondern man leget dz Gebot voraus / weil die Papiſten auch nicht predigen dürffen.

LXVII. Et huc accommodat Lutherus historiam de Naamã
mo Syro, 2. *Reg.* 5.

Tom. VI. Ien. Germ. fol. 88.

Darumb mag er wol von solcher Messen bleiben / Oder mus er Dienstshalben dabey sein/ so lasse er den Pfaffen machen / vnd dencke er dieweil an seinen HERRN CHRistum im Himmel/vnd spreche seinen Glauben oder Psalmen/gleich wie Naeman Syrius/ 4. Reg. 5. bey seinem Könige in der Kirchen stund / vnd lies die Priester jrem Abgott opffern vnd dienen / er aber war dieweil mit seinem Hertzen zu Jerusalem bey dem rechten GOtt.

Zu Wien

LXVIII. Ceterùm *ratione professionis* excusari aliqua ex parte possunt, studiosi, Mercatores, & partim etiam opifices, qui studiorum, mercimoniorum, opificiorum gratiâ, ijs in locis subsistere coguntur, ubi abominationes Papisticæ dominantur.

LXIX. Possunt illi Papistarum templa ingredi & sacra eorum intueri, geminâ hac observatâ admonitione.

LXXI. 1. Ut illud non aliò faciant fine, quàm ut de eorum abominationibus testari possint interrogati, ut *αὐτόπται*.

LXXII. 2. Ut nullo planè corporis motu modoque simulent se abominationes istas probare: sed ut contrà externis etiam gestibus ostendant, se illas seriò improbare.

LXXIII. Et huc quadrat exemplum *Pauli*, qui non modò circa omnes Athenienſium aras obambulâsse: verùm etiam oculos undequaq; circumtulisse, quidq; in unaquaq; ara scriptum pictumve attendisse legitur, ita tamen ut superstitionum omnium neglectum manifestè præ se ferret.

Actorum 17. vers. 23.

LXXIV. Legatur *Lutheri* scriptum de quæstione: Ob ein Christ mit guten Gewissen könne bey eines Päbstischen Bischoffs Krönung sein.

Tom. VI. Ien. fol. 318.

LXXV. Ubi in casibus ejusmodi singularibus remittit unumquemque ad suam conscientiam; cujus dictamen & nos cuivis in ejusmodi rebus commendamus.

7. Proble-

VII. PROBLEMA.

An liceat Magistratui Papistico subditos, Lutheranæ religioni addictos ex suis territorijs profligare acpersequi.

LXXVI. Quid de facto ausi sint Magistratus Thaidis Romanæ philtro fascinati, superioribus annis in *Francia*, *Stiria* & alibi, hodieq; suis in provincijs audeant, notius est proh-dolor quàm expedit. *Praxis Papistarum.*

LXXVII. Lutheranos, quos illi pro hæreticis habent, si noluerint idolum illud Romanum adorare, & abominationes Pontificias amplecti & exosculari: mox, non absq; ingenti facultatum dispendio, solum vertere, & cum uxoribus ac liberis exulare cogunt.

LXXIIX. Ad quam tyrannidem non parum instigantur à Jesuitis, & alijs Romanæ aulæ parasitis.

LXXIX. *Martinus Becanus* Jesuita Moguntinus, etsi reliquis modestior ac mansuetior videri vult: in ea disputatione, quàm *de fide hæreticis servanda* edidit, ut evincat libertatem religionis omnibus modis à Catholicis profligandam esse, adducit legem *l. Nullus C de summa Trinitate* & fide Catholica. *Causa τῶν καταρχλικῶν.* Becanus

> *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis clementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab hujusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceamur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: unius & summi* DEI *nomen ubiq; celebretur. Cap. 10 f. 94.*

XXC. Quô allegatio isthæc spectet facilè intelligit quivis, cui cerebrum in capite, & non in calcaneo.

XXCI. *Alij* verò multò truculentiores sunt adeoq; non vulpinam opertè simulant: sed leoninam apertè prætendunt, maximè verò alter ille Dōēg *Paulus VVindekus* omni depositа formidine contendens: Vindek.

> *Lutheranos mortis supplicio examinandos, interficiendos, propulsandos, reprimendos, delendos, ustionibus & sectionibus exscindendos, tollendos, explodendos, viriliter extirpandos, trucidandos, internecione delendos.*

de extirp. hæret. Antit.10.p.404. Antit.11.p.408.

Tria ἀμωμητέων genera.

XXCII. Nos isti λαθραιοδωξίαν obvertimus *tria ἀμωμητέων* genera.

XXCIII. Quorum *primum* subministrat ὁπλοθήκη SPIRITUS

I. Sancti, id est, Scriptura, quæ persecutionem istiusmodi non CHRISTI: sed Anti Christi: non Ecclesiæ protectoribus: sed persecutoribus adscribit.

Matth.c.10,22. Ioh.16,1. Gal.4,29. Act.8,c.14,19.

XXCIV. Imò testatur Scriptura etiam ab Ethnicis & Tyrannis toleratos fuisse veræ ac sinceræ religionis professores, uti *Naamannum* (k) in aula Regis Syriæ, & *Ministros Aulicos Cæsaris Neronis.* (k) *2.Reg 5,18. Phil.4,22.*

II. XXCV. *Alterum* innititur illi Romani imperij firmamento, ac munimento nobilissimo, sanctio inquam pacis religiosæ, Anno 1552. *secundo die Augusti Passavij* sancitæ, & Annis 1555. *septimo Calend.as Octobris Augustæ* confirmatæ.

Osiander Cent. XVI. fol.620.

XXCVI. In hac enim ne unum quidem verbulum habetur, quo Magistratus Papistici suam illam tyrannidem stabilire possint.

XXCVII. Contrà verò plura indè expromi & exprimi possunt, quibus illa planè adversatur. Notamus saltem insigniora.

Solche nachdenckliche Vnsicherheit auffzuheben/ die Stände vnd VNTERTHANEN Gemüter wiederumb in Ruhe vnd Vertrawen (NB.) GEGEN EINANDER zu stellen/ die Teutsche Nation vnser geliebtes Vaterland/ vor endlichen zertrennung vnd Vntergang zu verhüten / haben wir vns mit der Churfürsten Räthen vnnd geordneten / den erscheinenden Fürsten vnd Ständen der abwesenden Botschafften vnnd Gesandten / vnd sie hinwieder sich mit vns vereiniget vnd verglichen.

Setzen demnach/ ordnen/ wöllen vnd gebieten/ daß hinfort (NB.) NIEMAND/ weß Wirden/ Standes oder Wesens der sey/ vmb keinerley Vrsachen willen/ wie die Namen haben möchten/ auch in was gesuchten Schein das geschehe/ den andern befehden/ bekriegen/ berauben/ fahen/ vberziehen/ belägern/ etc.

Item.

Son-

Sondern bey solcher Religion / Glauben / Kirchengebräuchen / Ordnung vnd Ceremonien/auch bey jren Hab/Gütern/ liegend vnd fahrend/Land/Leut/Herrschafften/ Oberkeiten/ Herrligkeiten vnd Gerechtigkeit rühlich vnd friedlich bleiben lassen/vnd sol die streitige Religion nicht anders denn durch Christliche / freundliche/friedliche Mittel vnd Wege / zu einhelligem Verstand vnd Vergleichung gebracht werden.

Item.

Damit auch berührte BEYDERSEITS Religionsverwandte so vielmehr im beständigen Frieden vnd guter Sicherheit gegen vnd beyeinander sitzen vnd bleiben mügen/ so sol die Geistliche Jurisdiction, &c.

Item.

Wo aber vnsere vnd der Churfürsten/ Fürsten/ vnnd Ständ Vnterthanen/der alten Religion/oder Augspurgischen Confession anhängig/von solcher jhrer Religion wegen/ aus vnsern/ auch der Churfürsten/Fürsten vnd Stände des heiligen Reichs/Landen/ Fürstenthumen/Städten oder Flecken/mit jren Weib vnd dern / an andern Ort ziehen oder sich nider thun (NB.) WOLTEN: denen sol solcher Ab vnd Zuzug auch verkauffung jhrer Hab vnd Güter gegen zimlichen billigen Abtrag der Leibeigenschafft vnd Nachsteuer / wie es ein jedes Ort von Alters anher vblichen hergebracht vnd gehalten ist (NB) vnverhindert männiglichen zugelassen vnd bewilliget sein.

XXCVII. *Excipiunt* Romanenses sanctionem isthanc fuisse temporaneam & publicato Concilio Tridentino expirasse, unde *VVindekus* ille iterum.

Tempus, inquit, *pacis religionis publicato Concilio Tridentino ex spirâsse. Se itaq; vecordiam sectariorum mirari, qui pro religionis libertate tuenda toties comitiorum decreta stultissimè detonare & deblaterare soleant. de extirpand. hæret. in Resp. ad IV. object, p. 324.*

XXCIIX. Sed contrarium sanctionis illius sanctissimæ & Palladij Germaniæ precioſissimi Formula apertè demonstrat. Etenim ne uno quidem apiculo ulla inibi innuitur determinatio. Quin imò, quatuor distinctis vicibus inculcatur, sanctionem illam etiam *posteris* sartam tectamq; custodiendam esse.

III. XXCIX. *Tertium ἀμυνητηρίων* genus constituunt Rationes. Ac *primo* quidem ἐκ τοῦ ἤθους sic ratiocinamur: Romanenses in suis ditionibus, imò Romæ tolerant ac protegunt Judæos, qui tamen blasphemi & hostes CHRISTI & omnium Christianorum ἄθεοι. Quæ ergo insania, Lutheranos persequi & in exilium pellere?

XC. *Secundo* à *Iusto*: Lutherani Magistratus Papistas non persequuntur: sed tolerant in suis ditionibus, si modò quietè vivant. Æquum igitur est, ut parem benevolentiam Lutheranis exhibeant Magistratus Politici.

XCI. *Tertiò* ab iniquo. *Nulla enim intolerabilior tyrannis* est quàm *dominari velle conscientijs*, sicut rectè à *Maximiliano II.* Imperatore dictum.

XCII. *Animis enim hominum non ita imperatur, ut corporibus & linguis. Mentium Rex* DEUS *est* juxta *Augustinum, in Iohannem.*

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS PRIMAE Problemata IIX. IX. X.

RESPONDENTE

M. JOHANNE WILHELMO

Hursichio Memming.

Ad 16. Martij horis locoq; consuetis.

IIX. PROBLEMA.

An Regnum CHRISTI Mundanum.

THESIS I.

Secunda Orationis Dominicæ petitio est de *Adventu Regni* DEI, vocabulo potissimùm accepto de Regno CHRISTI *gratiæ ac gloriæ.*

2. Cum

II. Cum quo pugnant diliria eorum, qui Christo affingunt Regnum quoddam Mundanum.

LIII. Suntque in *duplici* differentiâ : *Quidam* ὁλικῶς & ex *omni*: *Quidam* verò μερικῶς & *aliqua* saltem ex *parte* tale Regnum Christi sibi suaviter somniant.

IV. ὁλικῶς & omni ex parte Mundanum Christo Regnum affingunt *Iudæi*: μερικῶς verò & aliquâ saltem ex parte *Chiliastæ*.

V. Et *Iudæi* quidem tum *Veteres* tempore Christi: tum *Moderni* hodieq; vana ac profana illa opinione fuere ac sunt fascinati. II. *Error Iudæorum.*

VI. *Veteres* maximam partem tales extitisse adeò verùm est, ut somnium illud & ipsi Salvatoris discipuli, (a) Evangelica & Apostolica teste historiâ, tam fortiter sibi imaginati,, ut tot Concionibus σοφῶς & συφῶς eidem oppositis non planè potuerit dissipari.

(a) *Matth. 20, 21. Luc. 18., 34. Luc. 24, 21. Act. c. 1, 6.*

VII. *Moderni* hodie Judæi, quid de Messia suo fabulentur, eorum Scripta testantur, quorum omnium Epitomen appellaveris Libellum, cujus titulus *Synagoga Iudaica*.

VIII. Nos aliqua duntaxat eaq; præcipua huc transcribimus:

Fol. 533.

Tempore Messiæ populus Israeliticus tum regnans mundo universo imperitabit à termino ejus uno ad aliũ usq;; prout literæ sacræ prodiderunt: Gentes & regnum quæ non servierint tibi, peribunt: Gentes inquã vastando vastabũtur. *Es. 60, 12.*

Mundus quin etiam totus ad DEUM *conversus, juri ejus & legi subdit9 erit: quemadmodum scriptum est*: Tunc n. vertam ad populos labium electum, ut invocent omnes nomen Jehovæ, ut serviant ei humero uno. Soph. 3. v. 9.

Item: DEUS *tempore illo deleturus & perditurus est hostes populi ejus (nempe Christianos) omnes, ultionemq; magnam sumpturus ab illis, quemadmodum scriptum:* Et dabo ultionem meam in Edom per manum populi Israel, facientq; in Edom juxta furorem meum, &c. Ezech. 25, 14.

Fol. 543.

Post cœnam hanc donativam Messias uxorem quoquè ducet, sicut literis proditum est: Filiæ regum inter honorabiles tuas: astat conjunx ad dexteram tuam in auro Ophir, &c. Ps. 45, 10.

Messias in Conjugio hoc liberos liberorumq; liberos procreabit ; postea morituros non aliter quam mortales alij : liberiq; ejus post eum super populo Israelitico dominabuntur, & regimen possidebunt; prout scriptum est : Videbit semen, quod prolongabit dies & voluntas Jehovæ in manu ejus prosperabitur : *hoc est, prout Rambam scribit, Messias quidem tempore sat longo vivet, postremò verò morietur & ipse in splendore magno, & filius ejus regnabit post eum ; & hoc vita functo, regnum obtinebunt ejus posteri post eum.*

IX. E quibus pauculis saltem testimonijs abundè liquet, quòd Homines illi in reprobum sensum, justo DEI judicio, traditi : Messiam terrestrem & Regnum terrestre sibi somnient.

X. Sed ô somnium verè somnium, id est, somno quovis vanius, inanius ; quod vel unica illâ CHRISTI protestatione : (b) *Regnum meum non est de hoc mundo*, in ventos explodi posset facilimè.

(b) *Iohan. 19. vers 36.*

XI. Verùm enimverò quia Judæi autoritatem librorum Novi Testamenti penitus respuunt ; *principia* autem *oportet utrinque esse ὁμολογούμενα* & secundum istud Basilij : *in Psal. 115.*

ἀναπόδεικτα per quintuplicia Scripturæ dicta.

ἀνάγκη ἐκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς δοχὰς τοῖς μανθάνουσιν. Ἐπεὶ ἀμήχανον τοὺς πρῶτα ζυγομαχῆσαι δυνηθῆναι, οὕτω καὶ τάξει προελθεῖν εἰς τὸ τέλος ; utiq; è veteri solum Testamento producemus ἀποδείκτα quædam ἐλεγκτικὰ, quorum *quinq;* potissimùm classes constitui possunt.

1 XII. *Prima* classis sibi vendicat ea, quæ docent CHRISTUM non purum putum Hominem futurum ; sed (c) DEUM imò ipsum ipsius DEI FILIUM, cujus æterna ex PATRIS essentia egressio.

(c) *Gen. cap. 4, 1. Ier. cap. 23. v. 6. Zach. cap. 12. v. 10.*
(d) *Psal. 2. v. 7. Prov. 30. v. 4.* (e) *Mich. 5. v. 1.*

2 XIII. Ad *secundam* referimus illa, quibus de Rege CHRISTO prænunciatum, quòd (f) pauper futurus, quòd (g) passurus, quòd moriturus.

(f) *Zach. 9, 9.* (g) *Psal. 22. Esai. cap. 50. 6. 50. 51. 6. 63.*

14. Ob-

XIV. Obtendunt Judæi fabulamentum suum de duobus Messiis, quorum alterum, *Ben David*: alterum *Ben Ioseph* appellant: illum regnaturum: hunc pauperem & abjectum futurum; deque isto Prophetiam Esaiæ interpretandam, nugantur.

Vide Synag. Iudaicam fol. 512. 517.

XV. Sed in hac mentis suæ vanitate confunduntur à Galatino, duplici Fundamentorum genere.

Verba ejus hæc sunt:

Sed eos turpissimè decipi dupliciter patet. Primò quidem per sacram Scripturam. Nam & si Saul Dauid & alij quidam Messiæ vocati sint, nusquam tamen in omnibus 24. sacræ paginæ libris ostendi potest, Scripturam aliquam nisi de uno duntaxat Messia ad salvandum venturo, mentionem fecisse. Deinde *id quoq; per priscas eorum traditiones evidentissimè demonstratur. Nam apud antiquos Iudæorum & Messias filius Ioseph, & Messias filius David unus & idem habitus est.*

Lib. 3. cap. 11.

XVI. *In tertia* classe collocamus ea Spiritus Sancti oracula, quæ CHRISTO tribuunt Regnum in infinitas seculorum myriadas duraturum, quorum (*h*) plusscula: reliquis verò maximè excellit illud Danielis cap. 7.

Dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient, potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpitur.

(h) *2. Sam. 7, 19. Psal. 45, 7. Psal. 89, 30. Esa. 9, 7. &c.*

XVII. *Quarta* classis est eorum, in quibus Regnum Messiæ non corporalibus: sed spiritualibus: non terrestribus: sed cœlestibus bonis donisq; describitur, ut:

Gen. 3, 15. Esa. 43, 25. c. 53. Dan. 9, 26. Zach. c. 3, 9. c. 9, 11.

XVIII. Obvertunt Judæi plurima Scripturæ loca, in quibus Regno CHRISTI adjuncta Regni Mundani, & quidem omnium florentissimi assignantur.

XIX. Sed fallunt & falluntur. 1. Dum non distinguunt inter sensum Scripturæ literalem & mysticum.

XX. 2. Dum non attendunt *συγκαταβασιν* Scripturæ usitatissimam, qua ad nostrum captum se demittit.

21. Dum

XXI. 3. Dum non expendunt absurditates tum secuturas, si illa Scripturæ loca κατὰ τὸ ῥητὸν sensu literali accipienda.

XXII. 4. Dum negligunt fidei ἀναλογίαν, qua servatâ, ea omnia, sensu mystico, ad Spirituale CHRISTI Regnum quàm aptissimè accommodari queunt.

XXIII. 5. Dum non considerant, quòd alibi, quin interdum ijs ipsis in locis planè contrarium pronuncietur.

XXIV. 6. Dum non observant Regulam in scholis tritam: Talia sunt prædicata, qualia à suis subjectis permittuntur. Unde conficitur, quòd illa attributa Regni Messiæ eo accipienda sensu, qui naturæ subjecti respondeat.

XXV. 5. *Quintam* & ultimam classem constituunt illa Veteris Testamenti pronunciata, quibus Messias vel Propheta & Doctor, vel Sacerdos proclamatur, ut

Deut. 18. vers. 18. Esa. 61. v. 1. Psal, 110. v. 4.

XXVI. Et tantum de *Iudæis* Plura qui expetit: consulat *Petrum Galatinum*, qui argumentum istud contra Judæos acuratissimè tractavit.

Lib. VIII. cap. 7. vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & seqq.

II. *Error Chiliastarum.*

XXVII. Transitum facimus ad Chiliastas, qui, seculo à CHRISTI nativitate tertio, orti, autore quodam Nepote Ægyptio, de quo Eusebius:

Nepos quidam Ægyptiorum Episcopus promissiones DEI *sanctis in Scripturis factas, nimis Iudaico more reddendas docebat, & millenaria quædam annorum corporalibus delitijs in hac terra futuris decernebat, & quoniam opinionem hanc suam ex Apocalypsi Iohannis, probare se posse putabat, librum de illa proposuerat, illumq; elenchum Allegoristarum inscripserat.*

Lib. 7. cap. 22.

XXVIII. Ut pleniùs ac planiùs dicamus: Docuerunt Chiliastæ pios post resurrectionem mille annos cum CHRISTO in terris regnaturos corporalibus delititijs. Unde & nomen illud acceperunt.

XXIX. Quo in errore etiam nonnullos ex *Patribus* fuisse, monet *Osiander Cent. III. fol. 85.*

XXX. Nec desunt, ex factione *Anabaptistica*, qui idem somnium somniant.

31. Et

XXXI. Et ut delirio suo verisimilitudinis induant pallium, eò detorquere ausi vaticinium istud Apocalypticum, *c.20.*

Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium JESU, *propter sermonem* DEI, *& quinon adoraverunt bestiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontem suam, aut in manum suam & vixerunt &* REGNARUNT *cum* CHRISTO MILLE ANNIS. *Cæteri verò mortuorum non revixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. In ijs secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes* DEI *&* CHRISTI, *& regnabunt cum illo* MILLE ANNIS. *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, ut seducat gentes in quatuor angulis terræ, Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorum numerus est ut arena maris.*

XXXII. Sed prorsus ἀπροσδιονύσως & ἀπροσκόπως: Non enim dicit Johannes sanctos regnaturos cum CHRISTO IN TERRIS, in CORPORALIBUS DELICIIS: sed simpliciter ait, quod regnaturi sint cum CHRISTO. *Refutatio.*

XXXIII. Addè quòd fabula hæc non Christianismum sed Mahometismum potiùs sapiat, pugnans *tùm* cum natura Regni CHRISTI, quod (*i*) eo ipso teste, NON DE HOC MUNDO: (*k*) Nec consistit IN CIBO ac POTU, aut alijs hujus vitæ delitijs: *tum* cum reditu CHRISTI, quo non futurus alius, quàm postremus ille ad judicium, cum quo introitus, in vitam æternam, sine intercapedine, conjunctus.

(i) *Ioh 19,36.* (k) *Rom.14,17.* (l) *Matth.25.*

XXXIV. Quæ & id genus alia, cum Coracioni & asseclis sectæ Chiliastarum Antesignano, à *Dionysio Alexandrino*, in Arsenoite Ægypti ad animum fuissent vocata: sponte cesserunt veritati, se deinceps unà cum Orthodoxis sensuros & docturos apertè professi, exemplo φιλαληθείας & εἰρηνοφιλίας commemorabili & summè ἀξιομιμήτῳ, de quo Eusebius.

*Et tandem ipse (*Coracion*) doctrinæ huius antesignanus & autor, audientibus cunctis fratribus qui aderant, confessus est nobisq; pollicitus, posthac se opinioni huic nolle attendere amplius, neq; de illa disputare, nec mentionem facere, neq; docere, quòd abundè satis oppositis es-*

set argumentis convictus. Reliqui verò fratres præsentes propter hanc collationem erga cunctos demissionem & consensionem gaudebant. lib.7.c.23.

Gemina interpretatio Vaticinij Apocalyptici.

XXXV. *Ceterùm* quod *vaticinium* illud *Apocalypticum* attinet, *duæ* potissimùm eius interpretationes hodie vigent.

1. XXXVI. *Prima* est eorum, qui illud interpretantur, de animabus martyrum regnantibus cum CHRISTO, post cruentas illas persecutiones, *primis* ferè *trecentis* à CHRISTO nato *annis*, usq; *Constantinum Magnum*, sub quo Diabolus GENTES contra Christianos armare desijt.

XXXVII. Et hi Chiliados illius *initium* referunt, ad annum DOMINI 300. circa quod tempus *Constantinus Magnus* Imperator Christianam fidem suscepit.

XXXIIX. *Finem* verò constituunt annum CHRISTI 1300, quo tempore infestæ gentes *Gog & Magog*, id est, Turcæ, constituto & stabilito Imperio Osmannico, vires suas, in prælia adversus Ecclesiam, summo conatu, convertere ceperunt.

2. XXXIX. *Altera* interpretatio est eorum; qui Vaticinium illud exponunt, de reliquijs piorum, *servatis in Papatu*, inter medias persecutiones, per quas cum CHRISTO, constanter asserta Veritate, regnârunt ac triumpharunt.

XL. Hi millenarij istius *principium* deducunt à *tempore Hormisdæ* Pontificis Romani, qui Imperatorem Justinum, legatione missâ, ad constringendum infernalem Draconem, id est, ad hæreticorum exterminationem, cohortatus.

XLI. *Terminum* verò incidisse statuunt in tempus illud felicissimum, quo, ope & opera Lutheri, restituta doctrinæ suâ puritate, illi, qui fumo abominationum & superstitionum Papisticarum propemodum suffocati, respirare & revivisc ere quasi ceperunt.

XLII. Et tantum de hoc Problemate contra Judæos & Chiliastas, horumq; sectatores.

IX. PROBLEMA.

An CHRISTVS desiturus sit regnare.

43 Istud

XLIII. Istud ut ζήτημα reliquis inseramus: in causa sunt Hostes Majestatis Hominis CHRISTI *Zvvinglio-Calviniani.*

XLIV. Non reformidant enim asseverare: CHRISTUM, peracto judicio extremo, sese abdicaturum possessione & administratione Regni glorioſi ad dexteram DEI.

XLV. Et ut omnes amici, inimici, videant, nihil quicquam hac etiam in parte illis affingi: propria eorum apophthegmata αὐτολεξεὶ proferemus.

Calvinus lib. II. Instit, c. 14. §. 3.

In eundem quoq; sensum accipere convenit, quod apud Paulum habetur, CHRISTVM peracto judicio redditurum esse regnum DEO *& Patri, &c.*

Et iterum: *Quorsum enim data ei potestas est, ac imperium, nisi ut per eius manum Pater nos gubernet? Quo etiam sensu dicitur ad Patris dextram sedere. Hoc verò* TEMPORALE *est, donec præsenti divinitatis aspectu fruamur.*

Et paulò pòst: *Regnabit ergò* CHRISTVS, *donec prodierit mundi judex, quatenus pro infirmitatis nostræ modulo Patri nos conjungit. Vbi autem consortes cœlestis gloriæ* DEVM *videbimus, qualis est, tunc perfunctus mediatoris officio desinet Patris legatus esse, & ea gloria contentus erit, qua potiebatur ante mundum conditum.*

2. ad Cor. 15. *Tunc autem restituet* CHRISTVS *quod accepit regnum, ut perfectè adhæreamus* DEO *neq; hoc modo regnum à se abdicabit: sed ab humanitate sua ad gloriosam Divinitatem quodammodo traducet.*

XLVI. Calvinum sequitur (l) *Zanchius* & (m) *Pareus*: sed manifestè contra Scripturam, quæ CHRISTO non tantùm secundùm Divinam: sed etiam secundùm humanam naturam æternam & nullis unquam seculis finiendam dominationem, eamq; à sessione ad dexteram DEI, non uno in loco vendicant. *Refutatio.*

(l) *lib. 2. de incarn. DEI, p. 437.* (m) *in Apol. Bibl. Neost.*

XLVII. Prodeant duntaxat unum atque alterum inde testimonium, & partim quidem ex *Veteri*, partim ex *Novo Testamento.* 3.

XLVIIX. In *Veteri* maximè illustris & Hespero splendidior est gemma ista hæc Prophetica, in qua *tria* pleno jubare elucent veritatis Lutheranæ indicia: 1. ex V. T.

Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi FILIVS *HOMINIS veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas, ÆTERNA, QVÆ NON AVFERETVR, & REGNVM, QVOD NON CORRVMPETVR.*

XLIX. *Primum* est, descriptio potestatis ac Regni nulla unquam temporum periodo terminandi per quam evidens.

L. *Secundum* expressa FILII HOMINIS mentio, quâ tanquam digito indice monstratur; CHRISTUM ad regnum illud æternum in tempore fuisse evectum, secundum HUMANAM naturam.

LI. *Tertium* est, notatio *adventus in nubibus* cœli, quâ ad sessionem CHRISTI ad dexteram DEI PATRIS per adscensionem ad cœlos factam, & è qua administratio illius regni dependet, respici, quis non animadvertit?

2. E. N. T. LII. In *Novo Testamento* perquam luculentum & verè ἀποδεικτικὸν est istud Apostoli:

Eph. 1. *Qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in CHRISTO, cum SVSCITARET eum EX MORTVIS, & SEDERE fecit AD DEXTRAM suam in cœlestibus supra omnem principatum ac potestatem & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, verum etiam in FVTVRO.*

LIII. Ubi iterum *tria* illa invicem veritatis Lutheranæ κεφάλαια conjunguntur, ut 1. æternitas dominationis, expressa mentione FUTURI seculi. 2. Naturæ CHRISTI HUMANÆ, secundum quam, ex mortuis resuscitatus. 3. Sessio ad dexteram DEI.

LIV. Similia sunt hæc & istiusmodi alia.

2. Tim. 2. *Certus sermo. Nam si (CHRISTO) COMMORTVI SVMMVS, & convivemus. Si sustinemus, & CONREGNABIMVS.*

Heb. 2. *Omnia subjeciisti sub pedibus eius. In hoc enim quod ei subjecit omnia, nihil omisit illi non subjectum. At NONDVM videmus illi omnia esse subjecta.*

LV. A contrà objiciunt Calviniani illud Apostoli, quod primâ facie δυσνόητον videri potest:

1. Cor. 15. *Unusquisque autem in proprio ordine, primitiæ* CHRISTVS: *deinde ij qui sunt* CHRISTI *in adventu ipsius, mox finis,* CVM TRADIDERIT REGNVM DEO & *Patri, cum aboleverit omnem principatum & omnem potestatem ac virtutem. Nam oportet eum regnare,* DONEC *posuerit omnes inimicos sub pedes suos.*

Explicatio dicti. 1. Cor. 15. 24. 25. *detecta* gemino *paralogismo.*

LVI. Sed non est, si modò *geminus* ille *paralogismus*, quo verus ac genuinus eisdem sensus perturbetur & depravetur, brevi ac perspicua explicatione diluatur.

LVII. *Prior* est τῦ ϖρᾶγμα τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς, latetque in voce *Regni*, quo *non* Regnum CHRISTI *per se* denotatur: sed vel per μετωνυμίαν, *populus vel Cives Regni*, id est, Ecclesia TRADENDA, id est, sistenda & adducenda DEO PATRI. 1

LVIII. Vel *secundum quid, forma* tantùm *administrationis*, quæ *duplex*: Alia spectat *hoc*: alia *alterum* illud *seculum*.

LIX. *In hoc seculo*, CHRISTUS Regnum administrat suum in *Ecclesia militante* per Ministerium Verbi & Sacramentorum, inter medios hostes, cum quibus CHRISTO & Ecclesiæ assiduè dimicandum.

LX. *In altero* autem *ævo* CHRISTUS Regnum suum administrabit *in Ecclesia triumphante* absque adminiculo ministerij, & insultu hostium, qui quippe jam *ad pedes ejus positi*.

LXI. *Hæc* administratio perpetuò duratura est: *illa*, in novissimo die, finem sortitura suum.

LXII. Et huc alludit Apostolus, dum id futurum scribit: omni jam *principatu, omni potestate ac virtute, quæ hactenus* CHRISTO se opposuerit, ABOLITA, *ejusq; ad pedes omnibus inimicis positis.*

LXIII. *Posterior* ϖαραλογισμὸς est ὁμωνυμίας, in *Adverbio* Ἄχρι vel *Donec*, de quo hæc repetatur Regula *Nazianzeni*: 2

Ἄχρι ϗ ἕως ὁ παῖς ϖαρὰ ἀνδὶ διαιρεῖται τῶ μέλλονλι: ἀλλα τὸ μεχρι μὲν τῦδε λήψει, τὸ μετὰ τῦ δ' οὐκ ἀναίρεσι.

X. PROBLEMA.

An Hæretici sint membra Ecclesiæ?

LXVII. Regnum CHRISTI consideratur vel *in hac vita*: vel *in altera*.

LXVIII. *In altera vita*, dicitur *regnum gloriæ* & coincidit cum *Ecclesia triumphante*.

LXIX. *In hac vita*, dicitur *Regnum potentiæ & gratiæ*.

LXX. Et hoc, id est, *Regnum Gratiæ*, spectat Ecclesiam militantem.

LXXI. *Hujus* an hæretici quoque membra sint, hac occasione quæritur.

LXXII. Tractatur hæc controversia à *Bellarmino* ἀναπαλαιστικῶς contra *Alphonsum de Castro Hispanum*.

Lib. III. de Eccles. mil. cap. 4.

LXXIII. Ventilata fuit eadem in *Colloquio Badensi* inter *Dn. D. Iacobum Andreæ*, & *Pistorium Apostatam*, qui pro negativa acerrimè tùm pugnavit.

Osiand. Cent. XVI. fol. 1077. & seqq.

Distinctiones præcognitæ.

LXXIV. Nos ut quæstio hæc dexteriùs ac distinctiùs explicetur, ὡς ἐν παρέργῳ præmittimus quasdam distinctiones.

LXXV. Quarum *prima*: inter *partes & membra corporis*, quarum hæc σύγκριν corporis ingrediuntur: illæ verò minimè: sed plerumque sunt inutiles, ut ulcera & excrementa.

LXXVI. 2. Inter *membra* corporis *viva* vel *univoca*: & *mortua* vel *equivoca*.

LXXVII. 3. Aliud est esse *in Ecclesia*: aliud esse *de Ecclesia*.

LXXVIII. 4. Item aliud est esse *in Ecclesia*, aliud *pertinere ad Ecclesiam*: quorum illud *externam conversationem*: hoc *internam communicationem* spectat.

Responsio.

LXXIX. Quibus sic prænotatis respondemus per ἀφαίρεσιν & θέσιν.

1. *per ἀφαίρεσιν.*

LXXX. ἀφαίρεσις esto: Hæretici *non sunt de Ecclesia*: neq; *pertinent ad Ecclesiam*, ut *membra corporis* istius mystici *viva & univoca*, neq; *internam* cum illa *communicationem* habent.

2. *per θέσιν.*

LXXXI. θέσις est: Hæretici sunt *in Ecclesia* ut *partes inutiles & ulcera quasi*, vel ut *membra mortua & æquivoca*, & quo ad *externam conversationem* habent.

Responsionis confirmatio per dicta Scripturæ.

LXXXII. *Confirmant* hanc responsionem plura Scripturæ dicta: sed sufficiant, ἐν τῷ παρόντι hæc tantum ἐμφαλικώτερα:

Matth. 7. *Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt AD VOS.*

1. Col.

1. Cor. 11 *Oportet esse hæreses* INTER VOS.
Act. 20. *Ex* VOBIS IPSIS *exurgent viri loquentes perversa.*
1. Joh. 2. Ex NOBIS *prodierunt: sed* NON ERANT EX NOBIS.

XXCIII. Pertinet huc (n) *parabola de zizaniis*, in agro Ecclesiæ, simul cum tritico enascentibus, de quibus *Chrysostomus*, *Zizania sunt hæreticorum conciliabula*, itemque *metaphora* (o) *gangrænæ*, quæ non extra corpus: sed IN corpore serpit.

(n) *Matth. 13, 25. 26.* (o) *2. Tim 2, 17.*

XXCIV. Disputatio *Bellarmini* contra nostram responsionem non est directa: sed contra Monachum suæ religionis socium.

XXCV. E quo patet, *quàm* bellè Cadmeis illis fratribus invicem *conveniat*: *& quàm* egregiè Pontifex suo illo officio, quod sibi venditat, in dijudicandis & decidendis controversijs fidei, fungatur.

XXCVI. Nihil aliud sunt quàm nugæ nugacissimæ, quicquid nugacissimi nugatores Jesuitæ de utroque, & de suo consensu: & Numinis sui Capitolini judicio, nugacissimè nugantur.

EX ORATIONE DOMINICA, DECADIS SECUNDAE Problemata I. II III.

RESPONDENTE

M. DANIELE HERMANNO

Wratislaviensi.

Ad 30. Martij horis loco{que} consuetis.

PROBLEMA I.

Vtrum Voluntas Dei una vel multiplex.

THESIS I.

TRanseundum nobis à *secunda* Orationis Dominicæ petitione, ad *tertiam*, in qua DEUM supplices oramus, ut *fiat voluntas ejus sicut in cœlo, sic & in terra.*

II. Quæ verba ut rectiùs perfectiùsque intelligantur non incommodè accuratior de Voluntate DEI instituitur dissertatio.

III. Ubi primò omnium ea se offert quæstio cum multiplex Voluntatis Divinæ mentio fiat, in sacris literis : *Utrum illa una vel multiplex censenda.*

IV. Cujus ἐξηγασία ut evadat luculentior ; progrediendum nobis est, κατ' ὀρθοτομίαν ab (a) Apostolo nobis commendatam, per distinctiones, harumq; ἐξηγήσεις.

(a) *2. Timoth. 2. vers. 15.*

V. Principiò igitur tenendum : Voluntatem DEI considerari *bifariam*. 1. ἁπλῶς, καὶ ἀπλῶς, prout intra simplicissimam DEI essentiam vertitur : 2. ἐνεργητικῶς καὶ σχετικῶς, pro ut se *ad extra* exerit.

Voluntas DEI una.

VI. *Voluntas* DEI ἁπλῶς καὶ ἀπλῶς considerata, cum essentia DEI unum est simplicissimum ταυτὸ.

VII. Et proinde sicut simplicissima DEI essentia adeoq; individua : ita etiam Voluntas DEI in plures sive partes sive essentias dividi nequit.

VIII. Porrò *Voluntas* DEI ἐνεργητικῶς καὶ σχετικῶς considerata, diversos habet respectus.

Ejus distinctiones.

IX. Atq; hæc sanè diversitas *non diversas* Voluntatis Divinæ *species* constituit : sed *diversos*, solùm unius & ejusdem Voluntatis DEI *respectus, & diversos eandem considerandi modos.*

X. Et ab hac diversitate originem trahunt suam illæ, quæ passim circumferuntur Voluntatis Divinæ distinctiones.

XI. Nos præcipuas saltem isthic delibabimus, summaq; qua fieri potest brevitate & claritate, discutiemus.

XII. *Suprema* Voluntatis Divinæ *Distinctio est* in *Occultam* & *Revelatam.*

XIII. De *voluntate occulta* sciendum. 1. Quod revelatæ non sit
1. contraria, alioqui enim in DEUM caderent voluntates contradictoriæ, quod vel cogitatu longè est absurdissimum.
2. XIV. Quòd Voluntas DEI occulta non sit mala & injusta, juxta illud πολυθρύλλητον Augustini (b) *Iudicia* DEI *occulta esse possunt, injusta esse non possunt.*

(b) *59. ad Paul.*

15. Reve-

XV. *Revelata* DEI *voluntas est* & dicitur quàm DEUS patefecit in Verbo, vel Legis, vel Evangelij.

XVI. Quo respectu & ipsa in Voluntatem *Legalem* & *Evangelicam* distingui consuevit.

XVII. Isthæc revelata DEI voluntas à Scholasticis *quadruplex* constituitur, *1. Decreti, 2. Promissionis, 3. Signi, 4. Beneplaciti* (*Εὐδοκίας*) *Longob. lib. 1. dist. 45.*

XIIX. *Voluntas decreti* in ijs propriè spectatur, quæ ab immutabili & absoluta DEI voluntate dependent.

XIX. *Voluntas* DEI *permissiva*, maximè cernitur, in peccatis, cum quorum permissione quidem aliquid concurrit voluntatis Divinæ (DEUS enim non coactè: sed volens peccata fieri permittit) illa tamen Voluntas non ad peccata sic permissa: sed tantum & in solidum ad permissionem referenda est.

XX. Et sic DEUS *volens* quidem *permittit peccata, peccata tamen ipsa nullatenus vult*: sed abominatur & execratur omnimodè.

XXI. Permittit verò illa non permissione nuda & ociosa: sed maximè negociosa; qua de re *Fulgentius* piè & eruditè hunc in modum *θεολογεῖ*:

Lib. 1. ad Monim. p. 55.

DEVS licet autor non sit malarum cogitationum, tamen est ordinator *malarum voluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Antequam igitur peccata prorumpant, prohibet & dehortatur: dum in actu versantur cohibet, ne latius vagentur: postquam commissa sunt, punit, & ijs ad bonum aliquod eliciendum pro inscrutabili sua sapientia uti novit: ut in exemplo primorum parentum,* Gen. *3. in historia venditi Iosephi,* Gen. 50. *Semei & Davidis,* 2. Samuel. 16. *& multis similibus patet. Iustè enim subsequitur severitas judicis, ubi præcessit iniquitas peccatoris. Quia illius rei* DEUS *ultor est, cuius autor non est, id est, iniquitatis, quam potest* DEUS *punire, non facere.*

XXII. De *Voluntate Signi* in tertio Problemate *διεξοδικώτερον.*

XXIII. *Voluntas beneplaciti*, juxta eruditam & perutilem (*b*) Damasceni distinctionem, duplex est, *προηγουμένη*, id est, *Antecedens.* 2. *ἑπομένη*, id est, *Consequens.* III.

(b) *Lib. 2. Orthod. fid. cap. 29.*

XXIV. *Antecedens* DEI voluntas ita nominatur *duplicem* ob *χέσιν*. 1. *τῇ χέσει πρὸς ἡμᾶς*, quòd promissionum gratiæ promulgationem, earumq; applicationem, quæ in tempore demum fit, *τῷ χρόνῳ* anteeat.

XXV. 2. *τῇ χέσει πρὸς τὸν θεὸν*, quia hanc voluntatem, in negocio salutis, nulla causa prior apud DEUM antevertit.

XXVI. Ea quippe omnium prima est & summa *ἐν τῇ τάξει* consiliorum DEI, ad salutem nostram pertinentium; nec ullius alterius causæ respectus ipsam antegreditur: sed omnes causæ reliquæ, ex hac tanquam causa summa dependent.

XXVII. Eius in Scriptura Synonyma sunt: *Dilectio totius Mundi, Ioh. 3, 16. χάρις θεοῦ σωτήριος omnibus hominibus exorta. Tit. 2, 10. ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, Tit 3, 6.*

XXVIII. Est enim antecedens Voluntas ardentissimum DEI desiderium, quò seriò constanter & ardenter cupit homines ad unum omnes salvos fieri in CHRISTO fide apprehendendo.

Damasc. l. 2. Orthod. fid. cap. 29.

χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. οὐ γὰρ ἕνεκα τοῦ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς ἀλλὰ πρὸς τὸ μεταχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, ὡς ἀγαθός.

XXIX. Ejus decretum sic se habet: *Volo & decerno, ut omnes in* CHRISTUM *credant & salventur.*

XXX. Sicut patet ex his dictis *θεοπνεύστοις*, quæ de hac Voluntate concionantur.

Ezech. 18. NOLO *mortem* MORIENTIS, *dicit* DOMINUS.

Ezech. 33. *Vivo ego, Nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur & vivat.*

2. Tim. 2. DEUS VULT OMNES *homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis recipere.*

2. Pet. 3. NON VULT DEUS ULLOS *perire, sed* OMNES *ad pœnitentiam pervenire.*

XXXI. E quibus SPIRITUS Sancti oraculis luci dissimè effulget: Voluntatem DEI antecedentem merè esse universalem & ad singulos & universos homines diffundi, nec unum ex ijs, per illam, à salute excludi:

XXXII. Sed tamen (id quod maximè est ἀξιομνημόνευτον) universalitate non absoluta: verùm *determinatâ* ad media saluti sequendæ destinata. Proinde & hæc ubique nominatim exprimuntur.

XXXIII. Atque hinc universalem hanc totius Mundi dilectionem Theologi quidam Lutherani (*id quod etiam Liber Apologeticus Saxon. visitationis ingenuè confitetur p. 291.*) contra horribiles Calvini & Bezæ, de absoluto decreto, blasphemias, *universalem Electionem nominârunt*: sed κατὰ χρῆσιν & impropriè, vel in latiore significatione, Prædestinationis vocabulo, pro decreto DEI de salute æterna, accepto.

XXXIV. *Consequens* DEI *voluntas duplicem* etiam ob χρέσιν sic est cognominata. 1. *Respectu mediorum* (quatenus ea usurpantur) ad quæ prævisa consequitur. Unde & à nonnullis. *Voluntas mediorum* κατ' ἐξοχὴν dicitur, sicut altera *Voluntas finis*.

XXXV. 2. *Respectu voluntatis antecedentis*, cui non quidem τῷ χρόνῳ: sed τῇ τάξει succedit.

XXXVI. Voluntas enim consequens antecedenti non est contraria: sed eidem ὑπαλλήλως subordinata, vel subalterna.

XXXVII. Quemadmodum liquidissimè apparet ex gemmea γνώμη, Joh. 3. *Sic* DEUS *dilexit Mundum*, &c. Item, *ex parabolis de cœna magna, Luc. 14. Et de Nuptijs, Matth. 22.*

XXXIIX. Idemq; pervenustè & perspicuè illustrari potest similitudine Hortulani, Legislatoris, Patris, &c.

XXXIX. Ceterùm in hac voluntate DEI consequente *duo* sese offerunt *decreta* ἀντιδιηρημένα, ratione duplicis hominum classis *credentium* videlicet & *incredulorum*.

XL. *Alterum* decretum est *Electionis ad vitam*, concernens *credentes*, estq; tale: *Volo & decerno, ut omnes, qui in* CHRISTUM *perseveranter credunt, habeant vitam æternam.*

XLI. *Alterum est Iudicij & Reprobationis* ad condemnationem spectans incredulos, & sic habet: *Volo & decerno, ut omnes qui in* CHRISTUM *perseveranter non credunt, pereant & judicentur.*

XLII. De *voluntate Electionis* hæc loquuntur dicta;

Johan. 6, 39. *Hæc est Voluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui videt* FILIUM, *& credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

1.Cor.1,21. (εὐδόκησε) placuit DEO, *per ſtultam prædicationem ſalvos facere credentes*

XLIII De *voluntate* verò *Reprobationis* intelligenda ſunt hæc dicta Scripturæ:

Non obedierunt voci Patris ſui, quia DOMINVS VOLVIT *illos occidere*, 1.Sam.2,16.

Et quos VVLT, *indurat*, Rom.9,18.

Et VOLENS *oſtendere iram ſuam adverſus vaſa iræ, hoc eſt, adverſus reprobos Divini verbi ſui contemtores, ibid.v.22.*

XLIV. Cui ſententię etiam ſubſcribit Liber Concordiæ his verbis: *IN EO DEM CONSILIO SVO DECREVIT, quòd eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, &* SPIRITVI *Sancto (qui in ipſis per verbum efficaciter operari, & efficax eſſe vult) reſiſtunt, & obſtinati in ea contumacia perſeverant, indurare, reprobare, & damnationi devovere velit.*

In Articulo de Prædeſtinat.

Voluntatis Antecedentis & Conſequentis.

XLV. Ceterùm quia, juxta Philoſophum, ad rerum intricatarum ἐξακρίβωσιν, non parum faciunt (d) ὁμοίων σκέψις & διαφορῶν διάκρισις: placet utique, utriuſq; voluntatis & ὁμοιότητα: & ἀνομοιότητα, ὡς ἐν τύπῳ, exhibere. (d) *lib.1. Top.c.13.*

1. ὁμοιότης.

XLVI. ὁμοιότης in eo conſiſtit, quòd neutra eſt abſoluta: ſed utraq; *hypotheſi* quadam *circumſcripta*, & *limitata determinatione*, ac *reſtrictione*, eâq; *non ad perſonas, quasdam definitas: ſed ad ordinem mediorum ſalutis* referenda.

ἀνομοιότης VI tuplex.

XLVII. Ἀνομοιότητα autem oſtendit ſequens ἀντιθάθεσις *ſex* diſtinctis conſtans membris.

1.

XLVIII. Nam 1. Voluntas antecedens ſpectat ad *omnes* in universum homines nemine excluſo: Conſequens autem tam latè ſe extendit *minimè*.

2.

XLIX. 2. Voluntas enim Antecedens reſpicit homines, *in quantum homines*: Voluntas autem conſequens, *in quantum tales, vel tales ſunt*, id eſt, creduli vel increduli.

3.

L. 3. Voluntas antecedens *meræ* eſt *miſericordiæ*, nullumq; in ea ſe offert decretum reprobationis: Voluntas verò conſequens *partim* eſt *miſericordiæ* erga fideles: *partim judicij* adverſus infideles. Ideoque & *geminum* inibi *decretum Electionis* unum: *Reprobationis* alterum.

LI. 4. Voluntas antecedens concernit τὴν δόσιν salutis, *ex parte* DEI eam hominibus singulis & universis seriò *offerentis* per *media* ab eis *usurpanda*. Voluntas autem Consequens refertur ad λῆψιν salutis, *ex parte hominum*, quibus ea ACTU *confertur* per *media* ritè *usurpata*: vel *non confertur* propter media, per obstinationem, repudiata. 4.

LII. 5. Ac proinde Voluntas Antecedens non semper intentionis finem consequitur; si quidem NON *respicit conditionem jam* IN ACTU *positam*. 5.

LIII. Consequens autem Voluntas semper intentionis finem assequitur; quandoquidem *Conditionem* IN ACTU *positam semper includit*.

LIV. Ex quo liquet, quàm frivola & futilis sit Sophisticatio, quando Calviniani omnia, quæ DEUS velit, necessariò evenire oportere, ἀπαιδεύτως contendunt.

LV. Idq; ideò, ut evincant inde, noluisse Deum omnium in universum hominum misereri, eosque converti ac salvari.

LVI. 6. Prædestinatio non in Antecedente: sed in Consequente DEI voluntate posita est. 6.

LVII. Ad prædestinationis enim σύστασιν non sufficiunt, sola DEI misericordia, & universale CHRISTI meritum: sed requiritur tota τάξις θεολογικὴ à qua decretum prædestinationis dependet.

LVIII. Dependet inquam ut *determinatum à sua determinatione*; ut *ordinatum à sua ordinatione*, ut *ordinatum à suo subordinato*, ut *decretum à modo & ordine mediorum decreti*.

LIX. Quæ omnia ut cognitu & recognitu dignissima: ita ἐλεγ- Usus ἐλεγ-
κτικὸς obvertenda *AntiLutheranis*: tum *Calvinianis* tum eorum hac κλητὸς.
in parte socio & assecla *Hubero*.

LX. Utrique enim non in consequente: sed in Antecedente Dei Voluntate Prædestinationem locant, eamque conditione fidei limitatam negant. Hubertus Semi-Calvinian

LXI. Quod ut licentiùs confidentiùsq; ausint: *Distinctionem Voluntatis in antecedentem & consequentem explodunt*, quasi heri vel nudius tius à nostris demum Theologis excogitatam.

LVII. Verùm antiquissimam eam esse ac probatissimam tam quo

ad *materiam*, quàm quoad *formam*, ex ijs, quæ dicta & adducta hactenus, meridiano ſole eſt clarius.

LXIII. Quo ad *materiam* enim, è ſacris utique literis, ea eſt deſumpta; ſicut oſtendunt loca ſuperiuſcluè allegata, quæ quàm diu ſtabunt (ſtabunt autem in æternum) ſtabit & illa diſtinctio.

LXIV. Quo *ad formam* verò: termini ſanè iſti non ante paucos demum annos à noſtratibus efficti ſunt: ſed jam olim (e) *Chryſoſtomo* (f) *Theophilacto* & (g) *Damaſceno*, ante 900. annos uſurpati.

(e) *Serm. 1. in Epiſt. ad Eph.*
(f) *in Comment. in eand. Epiſt.*
(g) *lib. 2. ὀρθ' πίσ· cap. 59.*

LXV. Et cum res ipſa ſacris radicata literis: quid attinet odioſè & ociosè litigare de terminis?

LXVI. Proinde, illos ab Orthodoxa Antiquitate nobis commendatos, tamdiu retinebimus, donec Adverſarij alios, protulerint, ſalvis interim & integris manentibus *rebus*, quibus *intellectis in verborum uſu faciles nos eſſe convenit*, uti Ciceroniano illo admonemur.

II. PROBLEMA.

An Deus planè nolit omnium ac ſingulorum hominum misereri eosque ſalvari.

Blaſphemia Spiritus Calviniſtici.

LXVII. *Blaſphemia Spiritus Calviniſtici* eſt, quam Beza verbis hiſce vel auditu plusquam horrendis propalam eructavit:

Hoc dico nunquam tempus fuiſſe vel eſſe, vel futurum, quo DEVS *voluerit, velit aut voliturus ſit ſingulorum misereri*

Reſp. 2. ad Act. Coll. Momp. p. 194.

LXVIII. Bezæ *Præceptori* voce pariter craſsâ & impiâ ſuccinunt *Diſcipuli* eadem πρόφρονι laborantes:

Boquinus in ſuis theſibus Heidelbergæ diſputatis:

Quemadmodum electionis: Sic etiam REPROBATIONIS NVLLA POTEST *aſſignari* ALIA CAVSA, *quàm* LIBERVM DIVINÆ VOLVNTATIS PROPOSITVM: *ita ut quicunq; ad æternam mortem reprobati ſunt:* NON PROPTER PRÆVISAM INFIDELITATEM, *aut alia peccata, ſed tantum ſecundum* VOLVNTATIS DEI

DEI PROPOSITVM, *idque juſtiſſimum, ſine rejecti.*

Rennecherus in catena aurea pag. 37.

Reprobationis, NVLLA ALIA CAVSA ex Scripturis proferri & aſſignari poteſt, quàm juſta & IMMOTA DEI VOLVNTAS, quod ipſe in æterno illo & arcano conſilio, aliquos homines ÆTERNO exitio & ſupplicio, EX SESE & PROPTER SESE adjudicaverit, idque antequam ipſi erant, & aliquid malifecerant. Peccatum enim Reprobationis cauſa NEQVAQVAM poteſt eſſe.

LXIX. *Doctrina* verò Spiritus ſancti eſt: Deum velle omnium ac ſingulorum hominum miſereri, eosque ad ſalutem pervenire, imò eorum qui pereunt, interitu nequaquam delectari. *Doctrina Spiritus ſancti.*

LXX. Fundamenta hujus doctrinæ verè adamantina in *utroque* Scripturæ Inſtrumento ſunt obvia. *Ejus Fundamenta.* I. *ex V. T.*

LXXI. In *Veteri*, ut ſtellæ primæ magnitudinis, præeminent & emicant pleno jubare hæc potiſſimùm.

Ezech. 18 & 33 NOLO *mortem* IMPII, *ſed ut convertatur impius à via ſuâ &* VIVAT.

Convertimini, convertimini à vijs veſtris peſſimis: & quare moriemini domus Iſrael.

Nolo mortem Morientis (לֹא אֶחְבֹץ בְּמוֹת הַמֵּת)

Non beneplacitum eſt mihi in τῷ MORI *jam* MORIENTIS *vel* MORTUI.

Sap. 11. *Diligis enim* OMNIA QUÆ SUNT, & NIHIL ODISTI *eorum*, QUÆ FECISTI: NEC *enim* ODIENS *aliquid conſtituiſti aut feciſti.*

Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur.

Parcis autem OMNIBUS: *quoniam* TUA *ſunt* DOMINE, *qui amas animas.*

LXXII. In *Novo* autem Inſtrumento huc maximè quadrant hæc verè τελεάγωνα: [2. è N. T.

Joh. 3. *Sic* DEUS *dilexit mundum*, &c.

1. Timoth. 2. DEUS VULT OMNES HOMINES *ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

2. Pet. 3.

2. Petr. 3. DEUS NON VULT *aliquos perire, sed* OMNIA *ad pœnitentiam reverti.*

Refutatio ψευδεξευνησεων Calvinistarum.

LXXIII. Sed quid Spiritus iste Calvinisticus? Spiritui Sancto, per oracula isthæc, Veritati testimonium ἀνυπεύθυνον perhibenti sese opponere non veretur, rectè & occultè actis hinc inde cuniculis, quibus hæc immota Scripturæ fundamenta subruere & labefactare se posse confidit.

LXXIV. Atqui fiducia prorsus vanâ & inani; idque ut in oculos incurrat evidentiùs, agite singula eorum ψευδεξευνήματα seorsim videamus ac diluamus ordine.

1 LXXV. Contra *attestationem Iehovæ Ezech. 18. & 33. tria* objiciunt; ac *primò* quidem, quòd Concio illa promulgetur saltem ad populum Hebræum.

LXXVI. Resp. per συγχώρησιν. *In specie* quidem promulgatur Hebræis, ijsque singulis & universis, & quidem *nominatim* impijs in peccatis suis pereuntibus.

LXXVII. *In genere* verò per translationem ὑποθέσεως ad θέσιν omnibus in universum hominibus rectissimè adaptari potest, imò debet, ex (g) præcepto Apostoli, (h) DEUS enim *non est* προσωπολήπτης.

(g) *1. Cor. 10. v. 11.*
(h) *Actor. 10. v. 34. Rom. 2. v. 11.*

2. LXXVIII. *Secundò* contendunt Prophetam sermocinari *de impio qui convertitur, vel quibus datur Conversionis gratia.*

Calvinus lib. 3. Inst. c. 24. §§. 15. itemque *Beza & Piscator.*

LXXIX. R. per ἄρνησιν. Expresse enim loquitur Dominus per Prophetam de ijs, qui NON CONVERTUNTUR, quiq; ACTU in peccatis moriuntur ac pereunt.

3 LXXX. *Tertiò* prætexunt differi ibi non de æternali: sed de temporali tantùm morte.

LXXXI. R. iterum per ἀπόφασιν. Mortis enim notione non temporalem: sed æternam mortem indigitari tribus è textu documentis irrefragabiliter evinci potest.

LXXXII. *Primum* est, quod mentio fit conversionis, unde constat, de ea agi morte, quæ conversione ad Deum devitari queat.

LXXIX. *Secundum* est, quod mors κατ' ἀντίθεσιν opponitur *vitæ* scilicet

licet *salvificæ*, ad quam resuscitamur per pœnitentiam, cujus pars potissima fides δυνάμει illa ζωοποιητικῇ prædita.

Habac.2,4. Rom.1,17.

XXCIV. *Tertium* est, quòd mors temporalis resipiscentibus pariter & non resipiscentibus communis. Mors verò ista *non resipiscentibus* propriè destinatur. III.

XXCV. Adversus apophthegma Salvatoris πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, Joh.3. obtendunt, vocabulo Mundi notari FLOREM tantùm *generis humani*, ut *Grynæus* loquitur, aut *OPTIMAM Mundi PARTEM*, id est, Electos, sicut Sophistices Architectus (i) *Beza* sophisticatur, vel, ut *Rennecherus cavillatur, solos omnium ætatum electos.*

(i) *Colloq. Mompelg. fol. 517.* (k) *in Cat. aur, c.22,p.153.*

XXCVI. Nos huic Spiritus Sacramentarij Sophisticæ invicta ex adverso opponimus propugnacula, eaque partim *Generalia*, partim *specialia.*

XXCVII. *Generale* est, quòd constanter negamus, ullum è toto Codice Biblico locum produci posse, quo Mundi appellatione Electos designari probetur. NB.

XXCVIII. Et licèt sæpius id ab Adversarijs fuerit postulatum: tamen ad hunc usq; diem ab ipsis nequit impetrari. NB.

XXCIX. *Specialia*, quibus contrarium asserimus, hæc annotentur breviter:

XC. 1. Definitio Mundi Johannitica:

1. Joh.5. *MVNDVS TOTVS in Malo constitutus est*, (ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται)

XCI. 2. ἀνάθεσις CHRISTI, qua Electi Mundo opponuntur imo manifesta διαχώρισις & ἀντιδιαστολῇ inde eximuntur.

Joh.15. *Si de Mundo fuissetis: MVNDVS quod SVVM est, diligeret. Quia verò* (NB.) *E MVNDO NON estis: sed Ego ELEGI vos E MVNDO: propterea odit VOS MVNDVS.*

XCII. 3. μερισμὸς Salvatoris, quo τὸ Mundus, ut ξυώλον, in *duas* dispescitur partes *Credulos* puta vel *Electos*, & *incredulos* vel *Reprobos, Ioh.3, 16.*

XCIII. 4. Vertigo Spiritus Sacramentarij, Piscatoris maximè, qui, pro sua quidvis gignendi & fingendi libidine, unicam, Mundi voculam *quadrifariam* exponere non erubescit.

XCIV. 1. (e) De *solis Electis.* 2. (f) De *solis Reprobis.* (g) 3. De *solis gentibus*, quatenus ἀντιδιαιρῶνται Judæis. 4. (h) De *solis Iudæis.*

(e) *Ioh.3,16.* (f) *Ioh.17,9.* (g) *1.Ioh.2,2.* (h) *Ioh,16,8.9.*

III. XCV. Catholicum illud 1.Tim. 2. eludere conantur σφεδλῇ perquam futili. Statuunt enim Apostolum *non de singulis generum: sed de generibus singulorum verba facere.*

Calvinus lib.3.instit.c.24. §§.15. Beza super hunc locum.

XCVI. Nos obvertimus: *1. hunc Syllogismum* è vilceribus textus Paulini depromtum:

Pro quibus orandum: eos vult DEVS salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.

Atqui non tantùm pro generibus singulorum: sed pro singulis generum, imò pro impijs etiam orandum, teste Scriptura, & praxi Ecclesiæ, Ergo.

XCVII. *Major* nititur αἰτιολογία Apostolica in textu. *Minorem* confirmant hæc Scripturæ loca:

Matth.5,43. Luc.6,28. Esaiæ 53,12. Luc.c.23,34. Act.7, 60.

XCIIX. 2. *Interpretationem Aretij*, Calvinistarum doctrinæ aliàs ὁλοψύχως addicti, nostræ sententiæ ex asse respondentem.

Omnes homines non solùm de tota specie accipio, hoc est, ut ex omnibus nationibus aliquos velit salvari: sed de INDIVIDUIS OMNIBUS.

XCIX. Axioma Petrinum *2. Epist.3.* quavis petra firmius infirmare satagunt *Beza & Piscator*, dum illud ad solos Electos restringunt.

C. Sed pugnat ista eorum fanatica restrictio.

1. Cum *propria ac nativa verborum*, quibus Apostolus utitur, *significatione,*

CI. 2. Pugnat cum *antithesi*, qua OMNES ALIQUIBUS ἀντιδιαιρῶνται.

CII. 3. Pugnat cum *voce* μακροθυμίας, quæ non ad Electos duntaxat; sed ad reprobos etiam pertinet, *Rom.2,4.c.9.22.*

CIII. 4. Pugnat cum *Scopo Apostoli*, exhortantis nempe per Evangelium vocatos ad pœnitentiam. Exhortationes autem μετανοητικαὶ universales sunt; & non solùm Electos concernunt: sed omnes (m) promiscuè homines, maximè verò impios peccatorum cœno immersos. (m) *Act.17,30.*

104.5.Pu-

CIV. 5. Pugnat cum *interpretatione* quorundam procerum ex senatu Calvinistico, ut *Marlorati*, & *Calvini*, qui in locum isthunc Petrinum sic commentatus:

Mirus hic erga HUMANUM GENUS *amor, quòd* DEUS OMNES *VULT esse salvos, & ultro* PERENUNTES *in salutem colligere paratus est.*

III. PROBLEMA.

Quo in censu ac sensu habenda & accipienda distinctio Voluntatis DEI *in Voluntatem signi ac beneplaciti.*

CV. Circa hujus quæsiti dilucidationem *tria* veniunt expedienda, ὡς ἐφαπτάτα: 1. *Origo.* 2. *Abusus.* 3. *Usus istius distinctionis.*

CVI. 1. *Originem* trahit hæc distinctio ex Theologia Scholastica, sicut videre licet, apud *Longobard. lib. 1. distinct. 45 & 47. & Thomam de Aquino part. 1. q. 19. art 11.*

CVII. 2. *Abutuntur* illa *Zvvinglio-Calviniani* ad stabiliendum suum illud delirium, dum utrumque Voluntatis genus ad eadem objecta referunt: sed ἀντιφαλικῶς.

CVIII. Blasphemant namq; *in genere* quidem, *& revelata Voluntate signi*, de peccatoribus dici, quòd Deus eos converti ac salvari velit: interim tamen, *in specie, & abscondita voluntate beneplaciti* Deum eos converti & salvari nequaquam velle.

CIX. Atque hinc est tritum illud in eorum scholis:

DEUS multa vult voluntate signi, quæ nunquam vult ac probat voluntate beneplaciti. Videantur.

Beza in Resp. 2. ad Coll. Mompelg. p. 173. & seq.
Zanchius de nat. DEI lib. 3. c. 4 quæst. 3.
Piscator in Analysi in cap. 23. Matth.

CX. Sed ὁ βλάσφημον καὶ μάλα φορτικὸν ἄκυρμα idque plures ob causas omnium execratione dignissimum.

CXI. Nam 1. fingit in DEO contradictorias Voluntates.

CXII. 2. Promissiones Evangelicas planè evacuat.

CXIII. 3 DEUM veracem transformat in Hypocritam mendacē, & Sycophantam sceleratissimum, *cui mel in ore exteriùs: fel verò in corde interiùs.*

CXIV. 4. Veritatem Scripturæ omnem suspectam reddit.

CXV. 5. Homines à Verbo DEI scripto & patefacto, abducit ad occulta DEI adyta.

CXVI. 6. Ipsis contradicit Calvinianis, qui aliàs disputant: DEUM simpliciter & absolutè nolle reprobos salvari.

CXVII. Verum deniq; ac genuinum istius distinctionis *usum*

3. Usus. quo I artinet: tolerari potest ea, si sensu accipiatur sano & fidei analogo, de *objectis* planè *distinctis*.

CXIIX. Et ita quidem, ut *Voluntas signi* ea sit, quam DEUS de rebus ad salutem nostram necessarijs in Verbo patefecit, voci Legis & Evangelij inclusam.

Esa.8,20. Matth.17,5. Luc.16,29. Rom.16,25.26. 1. Cor.2,7. & 8. 2.Tim.1,9.10. Eph.3,9.10. &c.

CXIX. *Voluntas* autem *beneplaciti* referatur ad admiranda DEI κρίματα & ὁδὸς ἀνεξιχνιάστους tam in *Oeconomica & Politica*, quàm *Ecclesiæ* & singulorum hominum gubernatione.

CXX. Legatur Chrysostomus Germaniæ *Lutherus* in aureolo in *Genesin Commentario cap.6.*

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS SECUNDAE Problemata IV. V. VI. VII.

RESPONDENTE

M. WILHELMO SCHWÆGERO Villacensi.

Ad 6. Aprilis horis locoq; consuetis.

IV. PROBLEMA.

Quid propriè sit & dicatur, in Oratione Dominica, panis Σιώσιον.

Propo-

Propositio I.

ABsolutissimum τῶν αἰτητῶν Compendium est Oratio DOMINICA, sic dicta, quòd à CHRISTO, qui est (a) DOMINUS *dominantium*, composita.

(a) *Apocal. cap. 19. vers. 16.*

II. Quicquid enim inibi positum; id à DEO petere licet, & vice versa.

III. Quodcunque autem inibi non continetur, vel ei adversatur: id petere licet minimè.

IV. Suntque τὰ αἰτητὰ *duum* maximè generum, quorum *unum bona positiva; alterum* verò *bona privativa*, sibi vendicat.

V. Illorum δόσις ταῖς προσλήψεσι: horum verò ἀφαίρεσις ταῖς δεήσεσι postulanda.

VI. *Bona positiva* iterum vel sunt *Spiritualia*, de quibus in 1. 2. & 3. petitionibus: vel *corporalia*, quorum sedes 4. Orationis Dominicæ petitio eaque de *pane quotidiano*.

1 *Disceptatio Grammatica.*

VII. Matth. 6. & Luc. 11. utuntur voce ἐπιούσιος, quæ quid propriè significet, & quid sit panis ἐπιούσιος, diu multùmq; inter interpretes disceptatum fuit.

VIII. Et *gemina* quidem disceptatio circa istam quæstionem sese offert: *unam Grammaticam*: *alteram Theologicam*, distinctionis ergo, non incommodè appellaveris.

IX. Disceptatio Grammaticâ est potissimùm de *Origine*, *Etymologia*, & *significatione* nominis.

1. de Origine.

X. 1. Quoad *originem*: ultro patet vocem esse Græcam: sed testantur Scriptores φιλελληνέστατοι, eam linguæ Græcæ aliâs esse ignotam: nec ullibi reperiri, præterquam, in præsenti loco, Orationis DOMINICÆ & proinde esse vocabulum novum, & κατ' ὀνοματοποιίαν, fictam factamque, ut exprimeretur Emphasis vocis linguæ Syriacæ, qua SALVATOREM usum esse constat.

XI. 2. Quoad *Etymologiam*: sunt qui ex ἐπὶ & οὐσία nomen illud compositum esse arbitrantur. *2. Etymologia.*

XII. Sed alijs magis placet, quòd primus illius autor, in formatione

tione ejus reſpexerit ad illud τῇ ἐπιούσῃ (ſcilicet ἡμέρᾳ) quo Græci τὸ *poſtridie* indigitare conſueverunt, *Act.7,26.*

XIII. Et proinde prima illius radix fuerit τὸ ἔπειμι quod propriè *ſuperſtare ſuperſtitem eſſe*, aut *ſupereſſe* ſignificat.

XIV. Ac cum cætera adjectiva in ούσιος non à participio fœminini generis: ſed à nomine οὐσία deſcendant: quis τὸ ἐπιούσιος ἀπὸ τῆς οὐσίας itidem deduci negaverit?

XV. Alij ab ἐπὶ & εἶμι id derivant, ἔπειμι autem ab εἶμι eo, idem eſt quod ſuper venire.

XVI. Quoad *ſignificationem* magna ſeſe offert varietas.

XVII. Antiquiſſimi interpretes reddiderunt panem *Subſtantialem* vel *Superſubſtantialem*.

XVIII. Sed contra Græcæ linguæ analogiam, quæ, in tali ſignificatione, dicendum monet: non ἐπιούσιος: ſed οὐσιώδης, & ὑπερούσιος, vel ſaltem ὑπερούσιος.

XIX. Niſi dicere libet ἐπιουράνιος & ἐπήμερος, ἀντὶ τοῦ ὑπερουράνιος & ὑφήμερος, quæ nemo Græcè ſciens riſu non excipiet, ut *Angeli Caninij* verbis utamur.

XX. *In Hebræo Matthæi Evangelio* ſe reperiſſe teſtatur Hieronymus מָחָר quod cras, & articulo לְמָחָר quod *craſtinum* ſeu *futurum* ſignificat.

XXI. Sed præterquam, quòd de Evangeliſto Matthæi Hebræo Idiomate ſcripto non immeritò dubitatur, propter rationes graviſſimas ab (a) *Oſiandro* in Epitomen collectas: interpretatio certè illa adverſatur prohibitioni Salvatoris, Matth.6,34.

(a) *Cent. 1. Hiſtor. Eccl. pag. 49.*

XXX. Syrus reddidir לַחְמָא דְסוּנְקָנָן à radicè סְנַק, quæ *indigere* vel *opus habere* ſignificat.

XXIII. *Nonnulli* exponunt: τὸν ἐπὶ τοῦ ἡμῶν οὐσίαν καὶ τροφὴν ἐπαρκοῦντα.

XXIV. *Suidæ* eſt ἄρτος ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων ἢ καθηκοντός.

XXV. Sed quid opus eſt tam prolixâ diſceptatione, cum habeamus interpretem Evangeliſtam (b) Lucam, qui τὸ ἐπιούσιον, καθ' ἑποξήγησιν quaſi, interpretatus τὸ καθ' ἡμέραν, id eſt, panem

panem *singulis diebus, ex manu* DEI, *abeuntem, circumeuntem,* aut *adventantem* interprete Chemnitio. *Lib. III. Harm. Evang. cap. 51. f. 429.*

(b) *Cap. II. vers. 3.*

XXVI. Quam interpretationem calculo comprobat suo *Vetus Versio*, quæ ante Hieronymi tempora habuit : *quotidianum*; itemque *Basilius* exponens ἐπιούσιον, ἄρτον, τὸν πρὸς τὴν ἐφήμεραν ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα

XXVII. Quò collimat etiam analogia fidei. Scimus enim credimus ac confitemur : DEUM παντοκλίμονα singulis diebus suam *aperire manum, & implere omne animal benedictione, Psal. 145.* II.

XXVIII. Et hactenus fuit disceptatio *Grammatica*, circa *vocabulum*. *Theologica* circa *rem* vocabulo illo designatam occupatur. *Disceptatio Theologica.*

XXIX. De qua *quatuor* potissimùm opiniones reperiuntur, quarum *tres* priores *nothæ*: *quarta & ultima* tantùm *vera* ac *genuina.* IV. *Opiniones.*

XXX. *Prima* est *Vetustissimorum Interpretum*, qui, præpostera quadam devotione, per ἄρτον ἐπιούσιον non physicum sed mysticum panem, *Panem* videlicet *vitæ*, id est, CHRISTUM, intelligendum, phrasinq; adeò illam *non* sensu *literali* : sed *mystico* accipiendam esse existimârunt. 1.

XXXI. *Secunda* est *Patrum quorundam*, qui vocabula illa ad cibum ἐυχαριστικὸν, id est, ad *Corpus* DOMINI transferenda censuerunt. 2

XXXII. *Tertia* est *Monachorum & Scholasticorum*, qui petitionem istham ad *transsubstantiationis* suæ idololatricæ commentum detorquere ausi. 3

XXXIII. *Quarta* demum est *Orthodoxorum*, qui panem ἐπιούσιον simpliciter interpretantur panem *quotidianum*, ejusque ambitu πάντα τὰ ἐπιούσια, id est, ea omnia, quæ ad victum cultumque corporis pertinent, comprehendi, docent, *Synechdoche* Scripturæ pariter & Linguæ sanctæ usitatissimâ. 4

2. Reg. 6. v. 22, 23. Luc. 14. v. 1. &c.

XXXIV. *Rationem*, qua *trium priorum* opinionum *falsitas*: & *hujus* contrà *postrema veritas* invictè demonstrari potest

hujus

hujus Syllogiſmi ad abſurdum ducentis compendio complectimur:

Si aliud quid quarta petitione petendum, quàm bona corporalia, quæ ad corporis cultum victumq; pertinent: tum ſequitur Orationem Dominicam non eſſe formam perfectæ Orationis.

Sed Conſequens eſt abſurdum,

Ergo & Antecedens.

XXXV. Connexionis in *Copulato* ratio indè manifeſta eſt, quòd nulla alia petitio bona iſtiusmodi complectitur, quæ tamen æquè, ut Spiritualia, à DEO poſtulanda; ſicut tum (*b*) *Mandata*: tum (*c*) *Exempla* Scripturæ evidenter oſtendunt.

(b) *1. Reg. 8. v. 35.*

(c) *Geneſ. cap. 28. v. 20. Prov. 30, v. 7.*

V. PROBLEMA.

An & quatenus pro hoſtibus & perſecutoribus Eccleſiæ orandum?

I τὸ ὅτι demonſtratur. 1. Dictis.

XXXVI. *Quòd* etiam pro hoſtibus & perſecutoribus Eccleſiæ orandum: tum *Dictis*: tum *Exemplis* Scripturæ docemur.

XXXVII. Inter *Dicta* Scripturæ palmam obtinet iſtud πολυθρύλλητον *Salvatoris. Matth. cap. 5.*

Diligite inimicos veſtros, BENE PRECEMINI *devoventibus vos, benefacite ijs qui vos odio proſequuntur* ORATE *pro ijs, qui læsunt & inſectantur vos, ut ſitis filij patris veſtri, qui eſt in cœlis.*

XXXVIII. Huc tendit, quòd (*d*) *Paulus* dicit, *pro Regibus &* OMNIBUS *in eminentia conſtitutis orandum* eſſe; comprehendens ſimul Neronem Tyrannum & χερσιανοδιώκτην immaniſſimum, quo nomine eundem etiam *leonem* appellat. *2. Tim. 1, 17.*

(d) *1. Timoth. 2. verſ. 2.*

XXXIX. Confirmat idem *Ieremias*, dum autor eſt populo captivo, ut civitate (Babylone) quò abducti, orent, ejusque pacem quærant; ſiquidem ipſorum incolumitas, ab incolumitate urbis illius, in qua ipſi verſentur, dependeat.

XL. *Exempla* præbent CHRISTUS ipse & *Sancti* χειροφιλεῖς, in *Veteri* & *Novo Teſtamento*. 2. *Exempla* CHRISTI & *Sanctorum*.

XLI. De CHRISTO Prophet-Evangeliſta (e) *Eſaias* vaticinatur, quòd pro peccatoribus & crucifigentibus ſe ſit oraturus, id quod etiam factum teſte (f) *Luca*.

(e) *c.53. ver.ult.* (f) *c.23,34.*

XLII. *In Veteri Teſtamento* commendatione & imitatione dignum eſt exemplum *Moſis*, qui etiam pro Rege impio Pharaone orare non dubitavit, *Exod.9,29*.

XLIII. In *Novo* autem Teſtamento inſigne eſt exemplum *Stephani*, qui pro ijs, à quibus lapidibus obruebatur, ardentiſſimas preces fudiſſe celebratur, quibus etiam, juxta *Auguſtini* ſententiam, Pauli converſionem impetravit. (g) *Act.7,60.*

XLIV. Et memorabile eſt, quod *Tertullianus* de conſuetudine ſuo tempore, quo Imperatores nondum Chriſtiani: ſed nominis Chriſtiani hoſtes receptâ, memoriæ proditum reliquit:

> *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad DEVM quaſi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis* DEO *grata eſt. Oramus etiam pro* IMPERATORIBUS *pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis*, in Apolog. adverſus gentes, c.39.

XLV. ἀναμφισβήσιτον proinde eſt τὸ ὅτι: τὸ πῶς autem, & τὸ διότι adhuc ἀμφισβητήσιμον.

XLVI. Verùm ut omnis, hac etiam in parte, è medio tollatur ἀμφισβήτησις: *duas* præmittimus, περιγινοσκομένων loco, *diſtinctiones*. II. τὸ πῶς & τὸ διότι *explicatur per geminam diſtinctionem*.

XLVII. Quarum 1. inter *hoſtes Eccleſiæ*, quorum quidam *ſanabiles*: quidam verò *inſanabiles*.

XLIIIX. 2. Inter *fines orationis*, quorum unus ſpectat *illorum converſionem*; alter horum *everſionem*.

XLIX. Pro hoſtibus Eccleſiæ *ſanabilibus*, quatenus tales ſunt, orandum, ut DEUS ipſis ignoſcat, eoſq; convertat.

L. Hoc reſpectu in *litania* publicarum precum, pro hoſtium noſtrorum converſione intercedimus, orantes, ut DEUS ijs ignoſcere, ipſosque convertere velit.

LI. Pro hostibus autem Ecclesiæ *insanabilibus*, quatenus & quamdiu tales fuerint, adeò non orandum, ut potius preces contra eos dirigendæ, & à DEO petendum; ut conatus eorum hostiles, potenti dextera sua infringere, eosque tandem, si aliter compesci nequeant, evertere velit".

LII. Hoc siquidem posterius longè præstabilius, quàm ut sancta CHRISTI Ecclesia, unà cum cœlesti veritate, ab illis in periculum vocetur.

LIII. Sic in nostris Ecclesijs preces fiunt publicæ adversus Turcas, Papistas & alios Ecclesiæ & Veritatis divinæ hostes.

LIV. Atq; hac in re nobis suis prælucent exemplis (h) *Davides* passim in Psalterio, itemq; *Ieremias c.17,v.13,18.*

(h) *Psal.3,7. Psal.5,11. Psal.9,18. Psal.68,2.3.*

LV. *Et cum profectura esset arca, dicebat Moses; surge IEHOVA, & dissipentur inimici tui, fugiantq; osores à facie tua.* Num.10,35.

LVI. Unde *Basilius* non tam nomine quam re magnus piè ac præclarè: *Qui contra hæreticos non orat: ipse est hæreticus.*

LVII. Et *Lutherus* Divino SPIRITUS Sancti instinctu.

Wir fluchen in vnserm Gebet nicht allein dem Teuffel / sondern zugleich auch allem dem / was ein Synonymon mit dem Teuffel ist / er heisse Türcke oder Babst / Zwingel oder seine Mutter.

VI. PROBLEMA.

An & quatenus homo Christianus bonâ conscientiâ fugere possit pestem?

Occasio. LIIX. Panis quotidiani appellatione, interprete *Luthero*, inter alia quoq; continentur *pax & tranquillitas*, quam hostes & persecutores Ecclesiæ turbare solent; itemq; *commoda aeris temperies, & valetudo*, quibus adversa pestis.

LIX. Contra utrumq; malum directa est quarta Dominicæ Orationis petitio; quâ occasione, tum proximè *antecedens*: tùm hæc jam *subsequens* quæstio, ejus ἐξηγήσεις interserta.

III, *Opiniones.* LX. Et ut manum admoveamus tabulæ: *tres* utiq; circa præsens istud ζήτημα occurrunt opiniones, quarum *prima & secunda* ut

extrem

extrema vitia peccant, & *una* quidem *in excessu*: *altera* verò *in defectu*: *tertia medium* tenet".

LXI. *In excessu* peccant ij, qui nimio pestis metu perculsi fugam mox arripiunt & officij & caritatis Christianæ obliti, omni abjectâ *spe & fiducia* in DEUM. *1. Peccans in excessu.*

LXII. *In defectu* verò peccant illi, qui conrendunt fugam pestis pugnare non tantùm cum caritate erga proximum: sed etim cum *fide in* DEUM, & nihil esse aliud, quàm se potenti manui DEI pœnam isthanc immittenti, opponere, contra præceptum Apostoli, *1. Pet. 5, 6.* *2. Peccans in defectu.*

LXIII. Et proinde nequaquam fugiendum esse statuunt: licèt quis liberè, nulla vel officij vel caritatis ratione obstante, fugere possit.

LXIV. *Medium* tenet Lutherus & alij qui fugam, pestis tempore, homini Christiano licitam & concessam esse docent, sed *sub certis conditionibus*, cujusmodi sunt: *3. Medium tenens.*

LXV. 1. *Si illud ratio officij permittat.* 2. *Si fiat salvâ caritate Christiana.* 3. *Si diversum non exigat necessitas, & fides, qua quis alteri obstrictus.* 4. *Si non fiat animo fugiendi mortem: sed periculum mortis*; quodq; pœna hæc Divinitus immissa non fuga loci: *Sed fuga peccati averti possit ac debeat.*

LXVI. Ceterùm quòd *hisce observatis conditionibus*, fugere pestem liceat: firmis probationibus astrui potest; compendium earum esto hic *Syllogismus cardinalis*: *Probatio per Syllogismum cardinalem.*

Quicquid consentaneum, 1. Iuri naturæ, 2. CHRISTI *& 3. sanctorum exemplis; & 4. insuper institutioni Scripturæ, & 5. rationi: id omninò licitum & concessum est homini Christiano.*

Atqui fuga, tempore pestis, observatis conditionibus jam indicatis consentanea est, 1. Juri naturæ, 2. CHRISTI, & 3. sanctorum exemplis; & 4. insuper institutioni Scripturæ, & 5. rationi. *Ergo.*

LXVII. *Major* est *αὐτόπις*. *Minor* est *χειρόμορον*. Singula igitur eius membra, quorum *quinq;* ordine confirmanda. *V. Membra Minoris probantur.*

LXIIX. Ac *primò* quidem, quòd fuga, pestis tempore, *consentanea juri naturæ*, vel inde patet, quòd res quælibet, tacito naturæ instinctu, sui conservationem apperit; destructionem verò aversatur. *1.*

LXIX. II. *Exemplum* CHRISTI teſtatur, quòd ante tempus morti ſuæ deſtinatum, mortis periculum fuga declinârit, *Matth. 2,13. c. 15. 21. Luc. 4,30. Ioh 7,1. cap 8,59.*

LXX. III. *Sanctorum Exempla* paſſim obvia ſunt in Codice Biblico, ut (h) Iſaaci, (i) Jacobi, (k) Davidis, (l) Eliæ, (m) Uriæ Prophetæ. &c. qui omnes ac ſingali, periculi mortis evitandi causâ, fugiſſe ſcribuntur.

(h) *Gen. c. 26, 1.* (i) *Gen. c. 27 43.* (k) *1. Sam. cap. 19. 18 c. 21, 1-10. cap. 22. 1. cap. 27, 2. 2. Sam. cap. 15, 17.* (l) *1. Reg. 19, 3.* (m) *Ierem. cap. 26, 21.*

LXXI. Quanquam verò iſthæc exempla directè non concernunt peſtem: ſed periculum mortis, quod partim à fame: partim à gladio illis metuendum: tamen cum Scriptura peſtem fami ac gladio accenſeat, illamq; unà cum his ad unam & eandem *familiam* referat: quis non intelligit, hoc etiam quadrare ſcitum ac tritum illud: *De ſimilibus idem eſt judicium:* Item iſtud: *ſpecierum, quatenus ὁμογενεῖς, eadem ratio?*

LXXII. *IV. Inſtitutio Scripturæ* eò tendit, ut (n) corporis noſtri accuratam habeamus rationem, ut immune cuſtodiatur, à noxa, & (o) ne amemus nobisque ipſimet accerſamus periculum, (p) tentando DEUM: ſed ut (q) fuga potius nobis vitæque noſtræ conſulamus.

(n) *Rom. 13, 14. Eph. 5, 29.* (o) *Syr. cap 3, 27.* (p) *Deut. 6, 16.* (q) *Matth. cap 24, 16.*

LXXIII. *V. Ratio* per deductionem ad abſurdum hoc Syllogiſmo comprehendi poteſt.

Si non fugienda peſtis, eò quòd pœna divinitus immiſſa, cui nos humiliter ſubjici deceat: conficietur eâdem ratione, quòd nec hoſte irruente fugiendum, nec orto incendio occurrendum, nec ex fluvio in quem quis lapſus, enatandum, nec medicorum operâ, adversùs morbos & alia Symptomata utendum, &c.

Atqui Conſequens eſt abſurdum.

Ergo & antecedens.

LXXIV. Ratio connexionis in *copulato* exindè manifeſta eſt, quòd infortunia jam enumerata plærumq; peræquè habeant rationem pœnæ, atq; peſtis.

75. Con-

LXXIV. Concludimus igitur quòd homo Christianus salvâ conscientiâ fugere possit, pestis tempore, si modò *observaverit conditiones* superiusculè propositas.

LXXV. *Quòd* si verò fuga *Conditionibus* illis *adversetur* : eandem utiq; illicitam esse propalam pronunciamus.

LXXVI. Proinde Ministri Ecclesiæ & ij, qui ad gubernacula alicujus Reipublicæ sedent, salva conscientia, fugere non possunt, nec illud, ut sibi liceat, postulare, *nisi* forsan, gravissimâ quadam de causâ, alijs vicem ipsorum supplentibus, vel in eorum locum substitutis, tota Ecclesia & Civitas diversum petat & urgeat.

LXXVII. Sic nec maritus uxorem nec uxor maritum, nec parentes filios, nec filij parentes, nec patresfamilias domesticos, nec domestici patresfamilias, nec cognati etiam & vicini se invicem deserere possunt ac debent; nisi forsan id fiat rogatu ac jussu alterius patris, & jam facta copiâ eorum, quorum ope & operâ utantur.

LXXVIII. Interim *Regula* potiùs attendenda, quàm *Exceptio* quarũ illa *genus* : hæc *casus* quosdam *singulares* concernit.

LXXIX. Evolvatur utilissimum *Lutheri* scriptum, cui titulum fecit.

Ob man für dem Sterben fliehen müge.

Tom. III. Ien. Germ. fol. 391.

VII. PROBLEMA.

An homini Christiano honores Academicos petere & pensare liceat.

LXXX. Panis Συνεκδοχὴ Synechdoche etiam contineri *honores & dignitates*, testis est Theander Lutherus in ἐνχειρ. Catechetica.

LXXXI. Non planè ἀκαίρως igitur isthæc de honoribus Academicis movetur quæstio.

LXXXII. *Carolostadius*, ejusque hodie asseclæ *Anabaptistæ*, ut alios jam Viros eruditionis famâ celeberrimos, taciti prætereamus : in partem *Negantem* abire non erubescunt. *Negativa. Carolostadius & Anabaptistarum.*

LXXXIII. *Carolostadius* hic Wittebergæ 3. Februarij, Anno 1522, in publico promotionis Theologicæ actu, cum binos Theologiæ

Doctores renunciaret ? palam professus est: *se impiè facere, quòd propter duos florenos promoveret, seque posthac ne ullum quidem in quemvis gradum subvecturum.*

LXXXIV. Audijt hanc vocem, ex ore Carolostadij *Lutherus*, non absq; indignatione; proindelibro statutorum Collegij Theologici hæc ipse propria manu interseruit verba maximè ἀξιωμνημόν. &c.

Et ego testor hac mea manu, me in eodem actu affuisse, & coràm has sacrilegas voces, ex ore ejus blasphemo, audiisse, (sed quibus tunc palam reclamare non licuit.

Ego prudens facio impiè, quòd propter 2. fl. promoveo. Et contendebat ex Matth. 23. neminem esse vocandum patrem aut Magistrum in terra, sed unum esse Magistrum & patrem in cœlis, &c. Ex quibus intelligitur, quo spiritu ceperit suam Theologiam.

LXXXV. Calumnia igitur est Jesuitica, id est, impudentissima, crassissima, quòd *Gretserus*, Lutherum eodem Carolostadij furore percitum fuisse scriptitat in hæc verba:

Insuper Lutherus omnes gradus & honores Academicos & Scholasticos, & omnia fundamenta, quibus solidum scientiæ ædificium præcipuè innititur, sustulit. In Luthero Academico c. 3. §. 23.

LXXXVI. De *Anabaptistis* constat, quòd omnia liberalia doctrinæ studia suis ex angulis explodant, cumq; his pariter eorum præmia honores Academicos.

Affirmativa confirmatur.

LXXXVII. *Quòd* autem omnino *liceat*, *legitimâ ratione*, adspirare ad istos honores, pluribus ostendi potest rationibus, ex ipsis eorum visceribus depromptis.

LXXXVIII. Nam 1. DEUS non est Autor ἀκαταστασίας: sed ordinis: ad quem etjam gradûs pertinent Academici.

1. Corinth. 14. vers. 33.

LXXXIX. 2. CHRISTUS distinctos gradûs, pro diversitate donorum, inter eos sancijt, quibus docendi munus in Ecclesia commendandum.

Ephes. 4. vers. 11, 12.

XC. Laudis studium Scriptura nobis commendat, si modò conjunctum cum verâ humilitate agnoscente, ἱκανότητα non sibi, sed soli DEO in solidum acceptam esse referendam.

Phil. 4, 8.

XCI. 4. Addè quòd honor Virtutis præmium, & donum θεόδοτον; non Philosophorum modò: Sed SPIRITUS etiam sancti judicio.

Proverb 3. vers. 16. Ecclesiast cap. 6. vers. 8.

XCII. 5. Ritus promotionum non humanitus sunt excogitati: sed mutuò sumti à ceremonijs in solenni summi Sacerdotis inauguratione olim adhiberi solitis, adeoque ipsa ipsius DEI voce, instituti & approbati.

Exod. c. 28. Levit. 8.

XCIII 6. Imò, in Ecclesia olim Patriarcharum, cum Doctor Ecclesiæ Ordinarius solenniter renunciandus, similes quasdam ceremonias, quales hodie in Promotionibus Doctoralibus adhiberi cernimus, usu receptas fuisse, ex *cap. 27. Genes. vers. 25. 26. 27.* indicio haud obscuro apparet.

XCIV. E quibus omnibus in unum quasi fasciculum collectis ac colligatis concludimus: posse hominem Christianum, salva conscientia, legitimâ via ac ratione, ad gradûs Academicos adspirare; præsertim si muneris demandati vel demandandi dignitas postulet.

XCV. Interim nec volumus nec possumus patrocinari ijs, qui honores illos vel indignè appetunt, vel indignis conferunt.

XCVI. Locus *Matth. cap. 23.* quo Carolostadius insaniæ suæ larvam obducere consuevit, directus est adversus Pharisæos, qui impio ambitionis studio, omnia, & sic etiam Magistrorum & Patrum titulos referebant, πρὸς τὸ φανῆναι τοῖς ἀνθρώποις, *vers. 5.*

XCVII. Quo nomine meritò à CHRISTO reprehensi, & de humilitatis studio moniti, *vers. 11.*

XCVIII. Quod si simpliciter, ex illo Salvatoris interdicto, nemo salutandus Magister: pari ratione nemo appellandus foret Pater, quod tam absurdum quam quod absurdissimum.

XCIX. Versu enim sine intervallo subsequenti, CHRISTUS itidem vetat; *ne quis patiatur se vocari patrem in terra, siquidem unus Pater noster in cœlis.*

EX

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS SECUNDAE Problemata IIX. IX. X.

RESPONDENTE
M. THEODORICO ERMLERO
Stendalienſi Marchico.

Ad 13. Aprilis horis locoq; conſuetis.

VIII. PROBLEMA.

An omnia in univerſum peccata ſint remiſſibilia.

Propoſitio I.

μετάβασις.

TRanſitum facimus, à *quarta* Orationis DOMINICÆ petitione, ad *quintam*, quæ *Conjunctione copulativa*, cum illa connectitur, ut moneamur, non minore Spiritus ardore, quo corporalia, bona quoq; Spiritualia appetenda eſſe.

II. Inter bona autem Spiritualia facilè primas tenet remiſſio peccatorum; ſiquidem *ubi remiſſio peccatorum ibi, Lutheri* ſententia, *& vita & ſalus.*

ἔκθεσις ὀνομάτων.

III. Salvator peccata appellat *debita* idiotiſmo linguæ Syriacæ, quâ quintam hanc petitionem hiſce verbis expreſſit:

וַשְׁבוֹק לַן חַוְבִין אֲיכַּנָּא
דַּאַף חֲנַן שְׁבַקָן לְחַוְבִין :

IV. Nam pro eo, quod Hebræi dicunt חֵטְא *peccatum* Syri ajunt חוֹבָא *debitum.*

5. Et

V. Et pro eo quod Hebræi ajunt סַלַח vel נָשָׂא id est, *parcere, ignoscere*, vel *auferre*: Syri dicunt שָׁבַק *dimittere* vel *remittere*.

VI. Et tandem quod Hebræis חַמָּא id est, *peccator*: id Syris est חַיָּב *debitor*.

VII. Atq; hinc est, quod *Lucas* Græcè doctus scripsit ἁμαρτίας, cum *Matthæus* habet ὀφειλήματα.

VIII. Appellantur autem peccata tum hîc: tum (*a*) alibi in Scriptura Novi Testamenti debita, respectu ad legem DEI, cujus nos (*b*) debitores tum Creationis: tum Redemtionis, tum sanctificationis ratione.

(a) *Luc.7,47. cap.13.2.*

(b) *Luc. cap.17,10. Rom.8,12 c.13.8.*

IX. Quando igitur peccamus aut omittendo facienda, aut faciendo omittenda: nihil aliud facimus, quàm ut debita, contrahamus tanta, ut magnitudine ac multitudine sua, pro numero *decem* Decalogi præceptorum, exæquent *decem* illa talenta, quæ servus ille Regi suo debuisse narratur, *Matth.18.*

X. Verùm enimverò cum CHRISTUS in quinta hac petitione, simpliciter nulla planè additâ restrictione, jubeat nos petere remissionem peccatorum: alibi autem in Scriptura mentio fiat peccati (*c*) *irremißibilis*, *pro quo non orandum*: hæc inde nascitur quæstio: *An omnia in universum peccata sint remissibilia.* λόγος ἀφέσεως.

(c) *Matth 12,31.32. 1. Ioh.5,15.*

XI. Quæ ut ἀνελεύθερον καὶ ἀφέτερον explicetur: ἐργασίαν utiq; ad *duo* revocabimus *capita*, in quorum *priori* ἁπλῶς de peccatis: in *posteriori* εἰδικῶς, *de peccato in* SPIRITUM *Sanctum*, ἐφ' ὅσον ἑκάτερον τοῦ ζητήματος, differetur. ἐργασία διχῶς.

XII. Quantum igitur peccata *in genere* attinet: ijs utiq; omnibus ac singulis opponenda sunt *tria* illa Scripturæ κεφάλια universim catholica. ἁπλῶς de peccatis tria καθολικὰ Ecclesiæ κεφάλια.

XIII. *Primum* est *Infinita* DEI *misericordia* ac *gratia*, de qua Gentilium Præco admodum emphaticè. I.

Vbi exuberavit peccatum: ibi MAGIS *exuberavit* (ὑπερεπερίσσευσεν) *gratia.* Rom.5.

XIV. Nam peccatum (*magni Theologi verbis utimur*) est opus Dia-

boli & hominis, gratia verò est opus immensæ & infinitæ Majestatis divinæ, quomodo jam id, quod à Diabolo est, majus esset eo, quod à Deo emergit?

XV. Rectè proinde *Augustinus*, *Lyra* referente, Cainum objurgat: *Mentiris Cain: Nam major est* DEI *misericordia, quàm omnium hominum miseria.*

3. XVI. *Secundum infinitus valor ac virtus meriti* CHRISTI, de quo hæc clarissima Scripturæ axiomata:

Tit. 2. CHRISTUS *redemit nos ab* OMNI INIQUITATE.

1. Joh. 1. *Sanguis* IESU CHRISTI FILII DEI, *emundat nos ab* OMNI PECCATO.

1. Joh. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem,* IESVM CHRISTVM *justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro* TOTIVS MVNDI.

XVII. Quibus consonant hæc observatione ac consideratione omnium dignissima Orthodoxæ Antiquitatis ὁμολογήματα:

Augustinus in tract. 92. in Joh.

Sanguis CHRISTI *sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posit delere per quod fusus.*

Bernhard.

Una guttula Sanguinis IESV CHRISTI *sufficit pro redemptione totius Mundi, etiamsi mille essent Mundi.*

Origenes.

Nulla species peccati tanta est, quâ non sit superior IESVS.

3. XIIX. *Tertium* constituunt *universales Evangelij promissiones*, quibus promiscuè omnibus ac singulis pœnitentiam agentibus, remissio peccatorum spondetur certissima.

Ezech. 33. *Vivo ego, dicit* DOMINVS DEVS: NOLO *mortem peccatoris. sed ut convertatur & vivat.*

Matth. cap. 11. *Venite ad me* OMNES, *qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.*

Joh. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foràs.*

XIX. Quibus sic prædelibatis: omninò statuendum, quod nullum peccatum irremisibile pœnitentiam agenti, *Nullum peccati vulnus insanabile*, inquit *Chrysostomus*.

XX. Atque hoc ex ijs, quæ jam constituimus, fundamentis, summoperè inculcandum omnibus, qui cum desperationis tormento conflictantur, & præsertim cum tentatione de peccato in SPIRITUM Sanctum.

II. εἰδικῶς de Peccato in SPIRITUM Sanctum.

XXI. Ceterùm peccatum in SPIRITUM Sanctum in specie quod attinet: ita sanè illud nuncupatur, *non generali* ratione, qua peccata in universum omnia adversus DEUM, & sic etiam adversus SPIRITUM Sanctum committuntur:

XXII. Sed ratione quádam *speciali*, imò *singulari*, cáq; potissimùm *duplici*.

XXIII. *Una* est, quòd peccantes in SPIRITUM Sanctum contumaciter obluctantur *externo* SPIRITUS Sancti organo, id est, Ministerio Verbi, quod est (c) Ministerium SPIRITUS, quiq; illi resistunt: hi ipsi (d) SPIRITUI Sancto resistere pronunciantur. 1.

(c) *2. Cor. 3, 6.* (d) *Gen. 6, 3. Act. 7, 51. 1. Thess. 4, 8.*

XXIV. *Altera* est, quòd etiam *interno SPIRITVS* Sancti testimonio, quo de veritate doctrinæ Evangelicæ convicti, blasphemè obstrepunt; cujus gratiâ peccatum istud *blasphemia* in SPIRITUM Sanctum appellatur, 2.

Matth. 12, 31. 32. Marc. 3, v. 28, 29. Luc 12, 10. Heb. 10, 29.

XXV. Quo respectu autem *SALVATOR* atrocissimum istud peccati genus *irremissibile* pronunciet: distinctè per ἀΦαίρεσιν τῶν ἀναιτίων: & θέσιν τῶν αἰτίων. declarabimus.

Cur irremissibile explicatur.

1. per ἀΦαίρεσιν τῶν ἀναιτίων.

XXVI. *Non* dicitur & est illud tale, respectu *gratiæ DEI*, quasi hæc minor illo.

XXVII. *Neq;* etiam respectu *meriti CHRISTI*, quasi is pro hoc peccati genere non satisfecerit.

XXIIX. Contrarium enim paulò antè indubitatis Scripturæ testimonijs evicimus.

XXIX. Sed propter *tres* potissimum causas, ob quas (proh dolor!) fieri consuevit, ut peccatum illud *ipso actu* nunquam remittatur.

θέσις τῶν αἰτίων.

XXX. *Prima* & *secunda* respicit remissionis consequendæ *media*: *Tertia* verò peccati illius *exitiosissimum accidens.*

XXXI. *Media* remissionis peccatorum, partim sunt *meritoria*: partim *Exhibentia* vel potiùs δοτικὰ ἢ παρεκλικὰ.

XXXII. *Illa* constituit, suo cum merito, SALVATOR noster UNICUS JESUS CHRISTUS, quem proposuit DEUS ἱλαστήριον *per fidem, interveniente eius sanguine, ad ostensionem justitiæ suæ propter* REMISSIONEM *præteritorum* PECCATORUM, Rom. 3.

XXXIII. *Hæc* verò constant Ministerio Verbi & Sacramentorum, quo respectu, de se & cæteris Verbis Præconibus, *2. Corin. 5.* Apostolus:

DEVS posuit IN NOBIS SERMONEM RECONCILIATIONIS.

XXXIV. *Vtraq;* hæc media peccantes in SPIRITUM Sanctum pertinaciter & obstinatè rejiciunt, & quantum in se, pedibus quasi conculcant; imò, *non obliquè*, ut in cæteris peccatis fieri consuevit: sed *directè* oppugnant: qua ratione igitur poterunt converti?

XXXV. *Verè* hoc respectu dictum ab Apostolo, quòd eis *non ultra pro peccatis reliqua hostia: sed formidabilis expectatio judicij*, &c. Heb. 10.

XXXVI. *Accidens* istius peccati *exitiosissimum est* finalis induratio & impœnitentia.

XXXVII. Quæ, ut ex regula *(d) caritatis* Christianæ non facilè præsumenda: ita & istud horrendum peccati genus nòn facile in aliquo præsumendum, nec, *quo ad personam hanc vel illam in individuo*, de eo judicandum nisi à posteriori, si signa desperationis manifesta apparuerint. (d) *1. Cor. 13, 7.*

Quòd pro eo non orandum.

XXXIX. Deniq; ut ad locum Johanniticum *1. Epist. c. 5.* deveniamus: orthodoxè inibi asseritur, quòd pro ejusmodi peccato non sit orandum.

XXXIX. Oportet enim precationem nostram esse conformem Voluntati Divinæ, quemadmodum in tertia Orationis DOMINICÆ petitione SALVATOR, nec non Johannes, in hoc ipso *capite versu 14.* proximè antecedenti, docent.

XL. Qui verò vellet orare, ut DEUS peccanti in SPIRITUM Sanctum peccatum illud remittere velit: is contra DEI voluntatem oraret, adeoq; impius & insanus foret.

XLI. DEUS enim decrevit & in verbo suo patefecit, quod ijs peccata condonare velit, qui per media à se ordinata eò adspirarint.

XLII. Jam verò media illa non modò negligunt, sed blasphemè rejiciunt & à se furiosè repellunt peccantes in SPIRITUM SANCTUM.

XLIII. Qua mente igitur peti potest; ut DEUS istud peccatum eis condonet.

XLIV. Interim haud inviti largimur: imò omnibus modis hortamur, ut suppliciter oremus, ne DEUS nos & alios in tale peccatum incidere patiatur: utque eis, qui forsan eò inclinant, & Diaboli instinctu feruntur, Spiritus sancti gratia succurrat, ut per auditum verbi & usum Sacramenti, inde eluctentur. Et eò tendit VI. Orationis DOMINICÆ petitio.

PROBLEMA IX.

An simul und & eadem vice remissâ culpâ, pœna etjam tàm temporalis quàm æterna remittatur.

Tractatio. 1. διδασκαλική.

LXVI. Satisfecit Christus Redemptor noster sufficientissimè non tantùm pro culpâ: sed etiam pro pœnis peccatorum tam temporalibus, quàm æternâ.

XLVII. Confirmant hanc assertionem Scripturæ oracula in *utroq;* Testamento memoriæ prodita.

XLVIII. In *Veteri* insigne est istud Propheticum

Disciplina pacis super EVM.

Die Straff liegt auff Jhm.

Esaiæ cap. 53.

XLIX. In *Novo* autem præcipuè excellit illud Apostolicum:

CHRISTVS factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant, à maledicto legis redimeret.

Gal. cap. 3.

L. Ubi maledictionis appellatione non tantùm pœna æterna: sed temporales, & sic universum omnium pœnarum chaos continetur, interprete Scriptura, *Deut. 27. & c. 28.*

LI. Jam verò cum remissio peccatorum constet (d) applicatione meriti CHRISTI per fidem: ecquis unà cum peccatis pœnas etiam tam temporales quàm æternas omnibus verè pœnitentibus simul & semel dimitti negaverit?

(d) *Rom. 4. vers. 6.*

LII. Verè-emphatica sunt & Spiritu Lutherano plena Morlini Φιλολθηεςάτυ Theologi verba. Ideoque facere non possum, quin huc asseribam:

Die Sünde ist nicht der Teuffel oder Pestilentz Seuch oder ander Plag / sondern der gantze Wüst / oder der gantze Sack vol Sünd / Hell / Todt / Teuffel / vnd alles Vbels / Leibs vnd der Seelen: Also heist auch Sünd vergeben / nicht ein Legion Teuffel außtreiben / oder Pestilentz vnd andere Plag weg nemen: Sondern wenn vns Gott die Sünde vergiebt / so nimpt er das gantze Tuch mit allen vier Zippeln / vnd schüttet die Sünd / vnd sampt der Sünd / Hell / Todt / Teuffel vnd alles Vbel / vnd alle Schmach / Plag vnd Vngemach / so von der Sünden herrühret / hinweg / vnd schleuterts miteinander in Abgrund deß Meers.

LIII. Quid verò *hostes Lutheri* & doctrinæ ejus ἄκρονδοι *Romanenses*? Hac etiam in parte antiquum obtinent suum, id est, contrarium sentiunt, contrarium docent, contrarium propugnant. ἔλεγπτικὴ.

LIV. Videamus unum atque alterum duntaxat *Bellarmini* emblema, *in 2. lib. de Indulgentijs.*

Cap. 10.

At similitudo in ipsum retorqueri potest, Nam qui injuriam accepit, & vel in facultate, vel in fama, vel in ipsa persona læsus est, sic potest, ac solet ordinariè offensam dimittere, & in gratiam recipere eum qui læsit, ut tamen detrimentum compensari & resarciri sibi velit. Et quamvis privati homines nullam interdum compensationem injuriæ quærant: Iudex tamen pœnam ab eo, qui injuriam fecit repetere, & vindictam sumere solet. Sic igitur DEVS, qui non solùm pars offensa, sed etiam Iudex est, remittit quidem culpam, cum pœnitentes in gratiam recipit, sed pœnam totam non semper remittit.

Et cap. 13. *Non ſequitur primum incommodum, quoniam* CHRISTVS *quidem integrum precium pro culpis & pœnis omnium hominum obœdientia ſua & paſſione perſolvit : ſed placuit ſapientiæ ejus, precium illud in Baptiſmo applicare pro culpis, & pœnis omnibus expiandis : in reconliatione autem, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ placuit eidem divinæ ſapientiæ idem precium applicare pro culpa & pœna ſempiterna*, non autem pro reatu totius pœnæ temporalis.

Et iterum ibidem :

Sic etiam cum impius reſipiſcit, dicitur DEVS *non recordari amplius peccatorum, quoniam in gratiam ſuam, atque amicitiam eum recipit, ac ſi nunquam peccaſſet*, quamvis temporalem pœnab illo exigat.

LV. Ceterùm, ut ſuum iſtud pſeudodogma conſtabiliat Jeſuita : ſummo usque conatu & boatu urget exemplum Davidis *2. Samuel, cap. 12.*

LVI. Sic enim pergit loco jam allegato :

Sed profectò admiranda eſt Hæreticorum audacia, qui omnes alios ſines flagellorum divinorum admittunt, præter eum, qui, ab ipſo DEO *in Scripturis diſertis verbis exprimitur.* Nam. 2. Reg. 12. cum Deus *per Prophetam* David *dixiſſet* : peccatum ipſius ob ſeriam pœnitentiam *eſſe demiſſum, & tamen flagello mortis filij, eum caſtigare vellet, non ait ad mortificandam carnem, vel admonitionem ad cavenda peccata, vel ad exercitium patientiæ, vel alios fines ejusmodi, ſed ait* : Verumtamen quia blaſphemare feciſti inimicos nomen DOMINI, filius qui natus eſt tibi morte morietur. *Quid clarius ad ſignificandam vindictam divinam pro peccato commiſſo & inde David (ut habetur in eodem capite) jejunavit & flevit, & oravit, ut averteret flagellum illud* DEI, *qui tamen non hoc faceret, ut impediret bonos illos fines, id eſt, mortificationem carnis, exercitia patientiæ & ſimilia; ſed fecit*, ut ſatisfaceret DEO per aliam viam, quam per mortem filij.

LVII. Sed, utquid falſum, quid verum, quid precioſum, quid vile, & manifeſta in luce refulgeat : futilem iſtam Jeſuitæ & dec-

pelticas

μωείαν confutare : & contrà veram ac genuinam interpretationem ex ipsis textus visceribus eruere & astruere moræ & operæ precium.

LVIII. Futilitas ψευδεπιμωείας Jesuiticæ apparet ex *paralogismi finis* : *Non* ideò enim Davides jejunasse, flevisse, orasse narratur, *ut satisfaceret DEO per aliam viam, quam per mortem Filioli : Sed propter alium ac longè diversum finem.*

LIX. Propter quem ergo ? ut DEUS Filiolum eripiat à morte temporali, à qua neminem posse liberari per indulgentias, (De his autem disserit eo loci Jesuita) idem apertè fatetur *lib. 1. de indulgent. cap. 7.* simul igitur τῆς ἐπιεικείας καὶ ἀπιεικοπίας errorem errat.

LX. Arguunt futilitatem istam ista *textus verba*, quæ sic habent :

2. Sam. cap. 12.

Quis est sermo quem fecisti ? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti & flebas : mortuo autem puero surrexisti & comedisti panem. Qui ait : Propter infantem cum adhuc viveret, jejunavi & flevi : dicebam enim : Quis scit MISEREBITVR fortassis mei DOMINVS, & vivet infans.

LXI. Quòd autem mors filioli, sicut & persecutio, quâ Davides, infestatus ab Absolone, propriè non pœnæ rationem habuerint : vel inde evidenter elucet, quòd auditâ concione Davides, mox egit pœnitentiam, & remissionem peccatorum consecutus voce Nathanis : DOMINUS ABSTULIT *peccatum tuum.*

2. Samuel. cap. 12.

LXII. Ubi verò remissio peccatorum : ibi gratia DEI ; ubi gratia DEI : ibi nulla pœnæ ratio :

LXIII. Unde orthodoxè Patres :

Chrysostomus in Psalm. 50.

Vbi misericordia, pœnæ locus non est.

Augustinus in Psalm. 31.

Non tibi DEVS reddit debitam pœnam : sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam ; dat indulgentiam.

LXIV. Et, qui quæso subsistere potest, pœnâ sublatâ, culpa ? & quæ hæc (malum !) est remissio, qua condonatâ culpâ nihilominus irrogatur pœna ?

65. Inte-

LXV. Interim tamen non diffitemur: fidelibus etiam & in statu gratiæ constitutis, & remissionem peccatorum consecutis immitti calamitates.

LXVI. Sed hæ pœnæ aut vindictæ vocabulo ἰδίως, ἀιρεθῶς καὶ εἰδικῶς accepto, rationem non habent: sive *terminum à quo*, sive *terminum ad quem* respexeris.

LXVII. Nam *quoad terminum â quo*. *non* infliguntur à DEO *irato*: sed *placato, non à Iudice: sed à Patre.*

LXIIX. Qua de causa non censendæ sunt πμωρίαι sed (d) *castigationes Paternæ*:

Es sind keine Zornzeichen: sondern Liebzeichen: Nicht Henckers Peitschen: sondern Vaters Ruthen: Nicht Haß oder Feinde streiche: sondern Mutterschläge/ dicit magnus *quidam* Theologus.

(d) *Prov.3,11.12. Heb.11, 6.7.*

LXIX. *Et Pater est DEVS cum blanditur, & cum cædit, etiam Pater* est, ait *Augustinus* in Enarr. Psalm.98.

LXX. Quoad *terminum ad quem*, non ideò certè immittuntur, ut ijs peccata admissa expientur. Istud enim soli solius Filij DEI passioni ac morti unicè acceptum est referendum; sicut dictum & evictum superiùs.

LXXI. Verùm alios ob fines, quorum *tres* potissimùm: 1. (e) ut magnitudo peccati agnoscatur profundiùs (f) 2. ut illud caveatur studiosiùs. 3. (g) ut impij ejusmodi exemplis terreantur graviùs.

(e) *Ierem.10,11.* (f) *Psal.119, 67. 71.*
(g) *Prov.11,31. Ierem.25,29. Luc.c.23.31. 1.Pet.4, 17.18.*

X. PROBLEMA.

An dilectione DEI & proximi, cuius complexu, etiam condonatio offensarum proximi, continetur; mereamur remissionem peccatorum.

LXXII. Cùm, in quinta Orationis Dominicæ petitione, jubeamur petere remissionem peccatorum, *non voto simplici* quemadmodum in ceteris fit petitionibus: sed περιδιορισμῷ condonatio-

nis offensarum proximi *circumscripto*, & quasi *conditionato*: istud, quod jam designavimus, ultro surgit δεύτερμα.

I. *Negativa Lutheranorum eiusq; fundamentum.*

LXXIII. *Negantem* ejus partem profitentur ac tuentur *Lutherani*, *Ajentem* mordicus tenent ac defensitant *PseudoCatholici*.

LXXIIII. *Fundamentum ὀρθοδοξίας Lutheranæ* est authentica Apostoli remissionem peccatorum in solidū adscribentis fidei, *κατ' ἀντιδιαίρεσιν*, exclusis & extrusis indè bonis operibus, quorum omnium metropolis dilectio.

Rom.3,24.25.& c.4.6.7.8.

Affirmativa PseudoCatholicorum.

LXXV. *Fundamenta ψευδοδοξίας PseudoCatholicorum* Romanæ Babylonis Architectus per quam gnavus ac diligens *Bellarminus* jacit tum *quintam* hanc Orationis Dominicæ *petitionem*: tum *alia Scripturæ loca*.

LXXVI. Ad *quintam petitionem* torquet istud *Augustini*:

Merentur enim qui bene operantur, ut DEVS misericorditer indulgeat, si quid manente charitate deliquerint.

In libro de corrupt. & gratia cap. 13.

LXXVII. Inter *alia* Scripturæ *loca* maximè urget istud *Luc.c.7.*

LXXIIX. Sic enim expressè in illud commentatur:

Luc. 7. *Remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hoc loco dilectio, sive contritio ex dilectione, quam lachrymæ testabantur, apertissimè dicitur esse causa remissionis peccatorum: siquidem particula illa QVONIAM, causalis est.*

ἀνασκευὴ Aedificij PseudoCatholicorum.

LXXIX. Nos ædificium istud Turris Babylonicæ machina hac Syllogistica subvertimus:

Quicquid est, 1. effectus remissionis peccatorum, & 2. insuper mancum & imperfectum; addo etiam 3. in se impurum & vitiosum, 4. itemq; debitum, & 5. deniq; non nostrarum virium opus: sed χάρισμα θεόδοτον: eo non possumus mereri remissionem peccatorum,

Atqui dilectio omniaq; bona opera, quæ eius ambitu & complexu continentur: sunt 1. effectus remissionis peccatorum. 2. manca & imperfecta, 3. in se impura ac vitiosa, 4. debita, 5. non nostrarum virium opus: sed χάρισμα θεόδοτον.

Ergo.

XXC. *Major* per se meretur fidem estq; extructa ex προκειμένοις vel conditionibus meriti.

XXCI. *Minoris* singula membra facilè ac nullo negocio probari possunt.

XXCII. 1. Quòd *effectus remissionis peccatorum*, indè planum est, quòd bona opera appellantur fructus pœnitentiæ.

Matth.3, 8. Act.26,20.

XXCIII. 2. Quòd *manca & imperfecta* ex eo provenit, quod Lex Spiritualis est, adeoque Spiritualem omnium virtutum rectitudinem efflagitat: Nos autem carnales sumus.

Matth.22,37. Deut.27,27. Gal.3,10. Rom 7.14. Gal.5, 17.

XXCIV. 3. Quòd *impura & vitiosa*: docent Esaias 64,6. Paulus *Phil.3,8. Syr.c.27,5.*

XXCV. 4. Quòd *debita* hæc Scripturæ loca confirmant:

Luc.c.17, 10. Rom. 8,12. c,13, 8.

XXCVI. 5. Quòd *non nostrarum virium opus sed* χάρισμα θεόδοτον: traditur. *Esa.26,12. Phil.2,13. Iac.1,17.*

XXCVII. At verò, ut non modò *ædificium* illud Jesuiticum, sed *fundamenta* etiam ejus destruamus: in *quinta* quidem petitione hæc additur appendix: SICUT *& nos dimittimus debitoribus nostris.*

XXIIX. Adverbium autem SICUT non est ἀναλογικὸν: multò minus αἰτιολογικὸν: sed κατεπαγγελτικόν, quo cœlesti PATRI, filialis gratitudinis loco, fraternam condonationem spondemus, quemadmodum orthodoxè interpretatur Lutherus, ex Parabola de Servo *Matth 18.*

Fundamenta diruuntur.

XXCIX. Sententia Salvatoris, *Luc. cap.7.* adeò non astruit opinionem & interpretationem Jesuitæ, ut eandem potiùs destruat, id quod demonstrari potest perfacilè: *partim* ex ipsa CHRISTI ad mulierem προσφωνήσει: *partim ex parabola*: è qua προσφώνησις illa ut πόρισμα elicitur.

XC. προσφώνησις CHRISTI, non effertur *in futuro aut præsenti indicativi*, quasi peccata Mulieri multa jam *condonanda*, quia multum dilexerit.

XCI. Neq; etiam *in Imperativo*, uti quidam legerunt: *Remittuntur ei peccata multa.*

XCII. Sed in *præterito perfecto Attico* ἀφέωνται *Remissa sunt* ei peccata multa; & propterea, quoniam ei peccata jam anteà remissa sunt, multum jam dilexit.

XCIII. Particula itaque ὅτι non est αἰτιολογικὴ: sed συμπερασματικὴ & εἰδικὴ, vel, si αἰτιολογικὴν eam appellare libuerit: causam utiq; notat *non rei*: sed *conclusionis*.

XCIV. Ex *parabola* CHRISTI *duo* potissimùm annotamus.

XCV. Verbum χαρίζεσθαι, quod, exclusis omnibus meritis & satisfactionibus, meram DEI gratiam, unicè commendat.

Cum non haberent unde solverent, utrisq; debitum (ἐχαρίσατο) (NB) *ex gratia condonavit.*

XCVI. 2. Verbum ἀγαπήσει *in futuro post verbum* χαρίζεσθαι *in præterito*, quo dilectionem in remissione peccatorum posteriorem esse, ὀφθαλμοφανῶς ostenditur. *Uter horum plus* ἀγαπήσει DILIGET?

XCVII. Et quid multis? Non certè Dilectioni: *Sed Fidei, Fidei* inquam, salus mulieris, ex remissione peccatorum dependens adscribitur: *Fides tua*, (ait ad illam Salvator) *salvam te fecit.*

XCIIX. *Sed* ut ad appendicem illam quintæ petitionis revertamur: monemur nos ea, de fraterna reconciliatione, & placabilitate, quam virtutem DOMINUS etiam nobis commendat oratione hac gravissima, *Matth. cap. 5.*

Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconciliieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. Habeto benevolentiam cum adversario tuo citò dum es in via cum illo.

Duæ quæstiones Colophonis loco ἐπεισαγμάτως explicantur.

XCIX. Ubi *duæ* moventur quæstiones, quas, Colophonis loco, & ὡς ἐν παρόδῳ, uno atq; altero verbulo, delibare allubescit.

C. *Prima* est: *An satis sit fratri veniam postulanti condonare offensas: an verò requiratur etiam, ut adversario veniam non petenti eas condonemus.*

CI. Augustinus diversis in locis diversum sentit.

CII. In Enchiridio enim *c.* 73. priori: in *2. lib. de Serm. Domini in monte, c. 13.* posteriori sententiæ subscribit:

CIII. Nos *posteriorem* amplectimur, ut fidei & caritati Christianæ consentaneam, propter dicta Scripturæ universalia nullaq; sive restrictione, sive determinatione, sive limitatione circumscripta.

CIV. *Altera est : Quid de eorum voce judicandum, qui dicunt : remittam quidem offensas Adversario meo : sed oblivioni eas non tradam.*

CV. R. Vox impia est & secum ipsa pugnat: Posterius enim membrum adversatur priori.

CVI. Vult enim DOMINUS, *ut* EX CORDIBUS *nostris, fratri quisq; suo τὰ παραπτώματα ipsorum remittamus.*
Matth. 18. vers. 35.

CVII. Qua conscientia verò ij, se ex cordibus suis remisisse adversario offensas affirmare possunt : qui eas oblivione se sepulturos negant ?

CVIII. Animum certè non reconciliationis fraternæ : sed hostilis vindictæ cupidum hac ipsa voce produnt.

CIX. Et quamdiu tales extiterint : non pro se sed contra se quintam Orationis Dominicæ petitionem se recitare sciant.

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS TERTIAE

Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. SIMONE SALICHIO

Magdeburgensi.

Ad 27. Aprilis horis locoq; consuetis.

PROBLEMA I.

Virum hæc verba : Et ne nos inducas, intentationem, sed libera nos à malo : *unam vel geminam petitionem constituant.*

Propositio I.

POst quintam Orationis petitionem, de remissione peccatorum, de quâ, in nuperrima velitatione; hæc proximè subsequuntur verba:

Et ne nos inducas in tentationem;
Sed liberanos à malo.

Syriacè

וְלָא תַּעֲלַן לְנִסְיוֹנָא׃
אֶלָּא בַּצַּן מִן בִּישָׁא׃

II. Hic verò mox existit dubitatio; *an verba hæc unam vel geminam constituant petitionem.*

III. Sed antequam ulteriùs nostra provehatur Disputatio, ὡς ἐν παρέργῳ, ὑποθετικῶς prænotandum, quòd numeratio petitionum Orationis Dominicæ per se sit res ἀδιάφορος, & in libertate Ecclesiæ posita. Est enim ἀγεώφον.

IV. Et proindè non adeò multum referre, sive sex sive septem illarum numerentur, modò id non fiat in præjudicium aliorum, nec sub opinione absolutæ necessitatis, & absque infirmiorum scandalo.

Numeratio Lutheri.

V. Utque jam ad rem ipsam accedamus, Lutherus in suâ Catechesi veterem retinens divisionem, *Septem* numerat petitiones.

Calvinianorum.

VI. *Calviniani* contrà, hac etiam in parte, à simplicitate Lutherana commisso schismate, *sex* tantùm constituunt, sextâ & septimâ in unam contractis, sicut videre est, apud (a) *Gualtherum* (b) & *Danæum*, itemq; *Vrsinum*, in *quæst. 127. Catech.* quæ sic habet:

Quæ est sexta petitio?

R. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, hoc est, quoniam adeò debiles & infirmi sumus, &c.*

(a) *in c. 11. Luc.* (b) *in thes. Anno 89. Lugduni impressis.*

Rationes pro septimembri, Lutheri partitione.

VII. Verum enimverò ut ὑποστάσει illi perspiciant & intelligant, quòd nostra septimembris partitio non sit ἀναπολόγητος: ecce tibi rationes præcipuas, quibus illa nititur.

VIII. *Prima* est ἀνησφορὴ, qua tria vota *deprecatoria*, in 5. 6. & 7. petitio-

petitionibus : tribus votis *precatorijs*, in 1. 2. & 3. petitionibus correspondent. Taceo, quod numerus septenarius mysticus, Scripturæ familiarissimus, & à Jobo etjam necessitatibus, à quibus Oratione nos liberari petimus, accomodatus, in hoc : *In sex tribulationibus liberabit te*, & in septima *non tangit te malum*.

IX. *Secunda* est divisionis illius antiquitas, quæ cum novitate non necessaria minimè commutanda.

2. Timoth. cap. 3. vers. 16

X. *Tertia*, caritas Christiana, conjuncta cum studio rudiores ac simpliciores, quibus vetus ista divisio perquam familiaris, non ita temerè perturbandi.

Gal. cap. 5. versu 10.

XI. *Quarta* est distinctio inter postulata sextæ & septimæ petitionis haud obscura.

XII. In *sexta* enim petitione deprecamur proprie Diaboli, Mundi & carnis nostræ tentationes, interprete Luthero.

XIII. In *septima* verò omnia in universum mala tam corporis & animi, quàm animæ.

XIV. Imò septima petitio, est instar *generalis clausulæ universas petitiones collectâ brevitate concludentis*, uti *Cypriani* verbis utamur.

XV. Breviter : *Sexta* petitio rationem *speciei* vel partis : septima verò rationem *generis* vel totius habet.

XVI. Quo respectu *Tertullianus* & *Augustinus* illam per hanc interpretari & explicare solui.

XVII. Quod si ex generalitate septimæ petitionis argumentandum : conficietur eadem ratione : non 6. solummodò : sed insuper etiam, 4. & 5. cum 7. in unam petitionem esse contrahendas.

XVIII. E quibus omnibus non divisim : sed conjunctim sumtis concludimus : Divisionem nostram satis probabilem, esse ; imò longê probabiliorem quàm est νεοπαξία Calvinistica, & haud dubiè, odio Lutheri, κακοδοξίας vitio, excogitata.

XIX. Et proinde non ferendum, ut hæc illi præferatur, eique in gratiam Spiritus Sacramentarij abrogatæ surrogetur.

XX, Quod Conjunctionem Adversativam SED attinet : eo ipso, quia Adversativa, non unam constituit enunciationem :

sed

sed duas planè diversas, sæpe etiam adversas, quarum una affirmativa: altera negativa; una θετικὴ: altera ἀφαιρετικὴ, unâ, σωτὴρ altera: διαιρέσει constans. Exemplum evidens habetur. *Iohan. cap. 17. vers. 15.*

XXII. Cetera, in ipso τῆς προσλαλέξεως actu videbimus.

II. PROBLEMA.

An & quatenus DEUS *nos tentare dicatur.*

τὰ περιπαθητικὰ.

XXII. Τὸ tentare, sacris in literis, assignatur: *1. Diabolo. 2. Hominis. 3.* DEO.

XXIII. *Diabolo* ἐνέργημα istud adeò proprium est, ut is indè, κατ' ἐξοχὴν, ὁ πειράζων nuncupetur. *Matth. 4. v. 3. 1. Thess. 3. vers. 5. Actor. 5. v. 3. 1. Cor. 7. v. 5.*

XXIV. *De Homine* pronunciatur, quòd tentetur à propria concupiscentia ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος. *Iac. 1. v. 14.*

XXV. DEO denique attributum illud assignatur, quando dicitur tentâsse Abrahamum. *Genes. 21. v. 1.*

XXVI. Nec non alibi in distinctis Scripturæ locis, ut:

Exod. 15. vers. 16. 4. Deut. 8. v. 2. cap. 11. vers. 3. 2. Chron. 32. Psal. 26. v. 2.

XXVII. A quibus non abludit, præsens hæc sexta Orationis Dominicæ petitio, in qua ne DEUS in tentationem nos inducat deprecamur.

Explicatio quasi: per distinctionem inter respectus & fines triplicis tentationis.

XXVIII. Interim tamen sententia ἐναντιοφανὴς occurrit, *Iacob. cap. 1.* ubi prohibetur, *ne quis, quando tentatur dicat*: se à DEO tentari.

XXIX. At enimverò ἐναντιφάνεια isthæc facilè ac nullo negocio conciliari potest, per *distinctionem* inter tentationis *fines*.

XXX. Tentandi enim verbum, aliter *de DEO*, aliter *de Homine*, aliter de *Diabolo*, in Scriptura usurpatur.

XXXI. *De Homine* enunciatur, quando à prava nostra concupiscentia inescamur & abducimur, ut concupiscentia pariat peccatum & peccatum pariat mortem.

XXXII. De *Diabolo* autem, quando *vel interiùs* pravis ſuggeſtionibus, *vel exteriùs* objectis, ſive gratis, ſive ingratis, nos vel à bono abducere: vel ad malum adducere ſollicitat.

XXXIII. *Vtrumq;* hoc tentationis genus directum eſt *ad malum culpæ.*

XXXIV. Ideoq; utrumq; etiam deprecamur, in ſexta hac petitione, *non* quidem *quoad inſultum*, vel, ut (*d*) Apoſtolus loquitur, quoad τὸ ἐκπίπτειν τοῖς πειρασμοῖς: ſed *quoad conſenſum* & τὸ ἐμπίπτειν εἰς πειρασμὸν ut (*e*) *Pauli* verbis utamur, vel quoad τὸ εἰσενέγκειν quod Verbum à CHRISTO, in hac ipſa petitione uſurpatum.

(d) *Iacob.c.1,2.* (e) *1.Tim.c.6,9.*

XXXV. Atq; hæc quoq; cauſa eſt, quod utrumq; iſtud tentationis genus, quatenus tendit ad malum culpæ, DEO aſſignatur ſaltem ὡς ἀφ' ἑαυτοῦ id eſt, PERMISSIVE, E. g.

1. Corinth.10. *Fidelis eſt* DEUS, *qui non* SINET *vos tentari ſupra vires.*

Tob.2. *Hanc autem tentationem* PERMISIT DOMINUS *evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ.*

XXXVI. Nequaquam autem ἐνεργητικῶς EFFECTIVE, quo reſpectu quenquam à DEO tentari, in loco ſuperiùs allegato, Jacobus negat, ſicut docent verba hæc ἀπείραστός ἐστι κακῶν.

XXXVII. Tentatio autem, quam Scriptura DEO tribuit, neutiquam ad malum directa eſt: ſed ad fines DEO glorioſos & nobis utiles ad ſalutares.

XXXIIX. Cujuſmodi probatio vel exploratio fidei, ſpei, patientiæ, conſtantiæ, & aliarum virtutum, quæ homine Chriſtiano dignæ, ſicut exempla *Abrahami, Iobi* & *Tobiæ* teſtantur.

XXXIX. Hanc tentationem θεόπεμπτον adeò non deprecamur, ut (*e*) ſanctos etiam eandem ſibi precari, in ea (*f*) gloriari, de ea (*g*) gaudere ſibiq; gratulari, conveniat.

(e) *Pſal.26,2.* (f) *Rom.5,4.* (g) *Iacob.1,2.*

XL. Et de hac tentatione loquuntur Scripturæ teſtimonia paulò ante allegata, quibus DEO tentatio aſſignatur.

III. PROBLEMA.

An de eorum salute desperandum, & quomodo ijs consulendum, qui hac cum tentatione conflictantur, ut quiritentur, se non posse credere, vel se fidem non sentire?

XLI. Acutissimis gravissimarum tentationum telis obnoxios esse, etiam sanctissimos quosque: (i) *Abrahami*, (k) *Davidis*, (l) *Hiskiæ*, (m) *Iobi*, (n) *Ionæ*, (o) *Pauli* exempla Biblica satis superq; comprobant & confirmant.

(i) *Gen. 15. v. 1.* (k) *Psal. 31. v. 23. Psal. 77, 8, 9. 10.* (l) *Esa. 38. v. 10.* (m) *Iob. 7. v. 15. c. 19. v. 6. 22.* (n) *Ion. c. 2, 5.* (o) *2. Cor. 12, 9.*

XLII. In eodem tentationum pelago navigârunt, nostro etiam seculo præstantissimi Theologi, *Matthesius*, *D. VVellerus* & *Hausmannus*, sicut patet ex literis Lutheri eo nomine ad ipsum exaratis.

XLIII. Addè quòd ne Luthero quidem ὁ πανεργέτων ille hac in parte pepercit. Necesse habuit & is in illius cribro sedere, ut etiam, *quoad tentationem*, experientiam sibi Theologicam compararet.

XLIV Non enim lectio tantùm & Oratio requisita sunt Theologi veri & perfecti: sed his etiam accedat oportet tentatio, de qua *Syrac. cap. 34 Qui non est tentatus qualia scit?*

In Præfatione in I. Tom. Islib. Germ.

XLVIII. Quàm acerbum agonem Theander ille eximius, *Anno 1527. circa festum Visitationis Mariæ*, hic Witebergæ sustinuerit: peculiari Scripto testantur summæ autoritatis & eruditionis Theologi *D. Iohannes Bugenhagius Pomeranus*, & *D. Iustus Ionas*.

Tom. 3. Ien Germ. fol. 401.

XLIX. Inter cæteras autem tentationum Diabolicarum machinas, quibus etiam pientissima nonnunquàm pectora adoriri consuevit, præcipua est ea, cujus in Problemate jam proposito mentio facta.

L. Usq; adeò autem de illorum salute, propterea quòd ejusmodi cum tentationum monstris conflictari necessum habeant, non desperandum, ut potiùs indè fieri possit judicium de eorum fide ac pietate, quodq; CAPUT nostrum JESUS CHRISTUS ipsos hac etiam in parte velit fieri *συμμόρφους imagini sui, Rom. 8.*

LI. In cruce enim *sensit* & ipse SALVATOR *dolores derelicti, ideoq; locutus est verba hæc de relicti*, ex Psal. 22.

Matth. 27. אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי׃

LII. Adscribimus huc judicium Lutheri, quod Epistola hac brevi & compendiosa quidem: sed nervosa ac ponderosa admodum, ad Valentinum Hausmannum complexus.

Gnad vnd Fried. Mein lieber Herr vnd Freund / ewer Bruder Er Niclas ist bey mir gewest/ hat angezeiget / wie jhr der Anfechtung / deß Schreckens vnd Vnglaubens noch nicht loß seid. Wie ich euch aber zuvor auch geschrieben/ ist mein trewer Raht/das jhr solche Staupe ja annehmet/ als von GOtt euch auffgelegt/ zu ewrem besten Wie S. Paulus seinen Pfal / in seinem Fleisch tragen muste / vnd dancket Gott/ das jhr solchen Vnglauben vnd Schrecken fülen möget / denn daraus werdet jhr desto mehr gedrungen zu bitten / vnd Hülff zu suchen / vnd mit den Euangelio zu sagen / HErr stercke mir den Glauben.

Wie viel sind jhr wol die weniger Glauben haben? Aber sie fühlens nicht / vnd bleiben drinne. Weils euch aber GOtt zu fühlen giebt/ ist es ein gut Zeichen / er wolle euch endlich herauß helffen / jemehr jhrs fület / je neher es der Besserung ist Haltet GOtt nur stille / er wirds wol machen / Hiemit Gott befohlen / Amen. Gegeben zu Wittenberg / Montag nach Invocavit / Anno etc. xxxij.

LIV. E quo consequitur, quòd istiusmodi tentationes non malum sed bonum potius signum, è quo fides potiùs, quàm infidelitas æstimanda, quandoquidem Deus sanctissimos quosq; ijs exercere consuevit; uti exempla paulò antè annotata docent.

LV. Atq; hinc jubet nos Jacobus *pro summo gaudio ducere, quoties in tentationes inciderimus varias.* Iacob. 1.

LVI. Et angelus ad Tobiam disertè dicit:

Quia acceptus eras DEO, necesse fuit ut tentatio probaret te. Tob. 12.

LVII. *Ceterùm* qua ratione ijs, qui cum ejusmodi tentationum tormentis conflictantur, consulendum: id peculiaribus Scriptis ea de re posteritati relictis, sapienter & eruditè exposuit LUTHERUS.

Admonitio, quo pacto τοῖς πεπραγμένοις consulendum.

LIIX. Summa ad *decem* capita redigi & reduci poteſt.

LIX. 1. Non concedendum, ut tentati ſoli relinquantur. *Ve enim Soli.* Eccleſ. cap. 4, 10.

LX. 2. Inculcandum illis, quòd cogitationes eorum nihil aliud, quàm meræ præſtigiæ & tentationes Diaboli.

LXI. 3. Monendi ſunt, ut cogitationes illas ex animo ejiciant ſuo, male valere juſſo Satana ſuis cum offanijs.

LXII. 4. Verbum DEI ipſis aſſiduè proponatur, ut ἀμωτήριον illud efficaciſſimum, quo ipſe ipſius DEI FILIUS πρῶτος & noſter experientiſſimus in profligando Satanâ, uſus Matth 4.

LXIII. 5. Non multis: ſed multùm: id eſt, unum ſaltem atq; alterum Scripturæ dictum ſæpius repetendo ei occurrendum.

LXIV. 6. Exhortandi itidem ſunt, ut dicta Scripturæ ex ore Miniſtrorum verbi non alio audiant & ſuſcipiant animo, quàm ſi DEUS ipſe αὐτοπροσώπως καὶ αὐτοφώνως cum eis agat; juxta illud Matth. & Luc. c. 10. *Qui vos audit me audit*, & Jerem. cap. 15. *Quaſi* OS MEUM *eris.*

LXV. 7. Verbo Divino adjungantur preces & cantica ſacra, quæ quantoperè averſetur Tentator Stygius ex hiſtoria Saulis notum eſt, *1. Sam. 16.*

LXVI. 8. Fiant pro ijſdem preces etiam publicæ.

LXVII. 9. Exhortationibus præterea aſſiduis excitandi ſunt, ut viriliter agant, data opera ſedulo & diligenter, ut in lucta iſthac victores evadant & triumphent.

LXIIX. X. Si quiritentur: ſe nullam ſentire fidem: 1. reſpondendum illis per diſtinctionem inter fidem parentem & latentem ſub fluctibus & nebulis tentationum. Fides enim vices habet ſuas, ſicut exempla Scripturæ oſtendunt.

LXIX. 2. Exemplum infantum ipſis proponendum, qui omnino veram & ſalvificam in CHRISTUM fidem habent; licet eam non ſentiant.

LXX. 3. Quærendum ex ipſis: An velint credere: & num id in votis habeant.

LXXI. Ad quam quæſtionem abſq; omni dubio affirmativam reſponſionem reddentibus, inculcandum: etiam iſtud τὸ *Velle Credere etiam eſſe fidem, & opus* DEI, juxta illud:

Phil. 2. DEUS *est is, qui operatur in Vobis, &* τὸ VELLE & τὸ *efficere.*

LXXII. Pertinet huc insignis Lutheri sententia, quam Theologus zelo DEI ardentissimo præditus D. Joachimus Morlinus hisce allegat verbis:

Pulcrè & rectè dicebat Lutherus: etiam fides est si optes, & velis, te posse credere firmiter, quia credere est sperare contra spem in spem.

Sup. 2. cap. 2. Epist. ad Tim.

LXXIII. Cetera legantur & huc referantur ex Scriptis de hoc argumento memoriæ proditis.

Tom. VIII. fol. 374. & seqq.

Tom. II. Isleb. fol. 331.

IV. PROBLEMA.

An ij, qui tentationum fluctibus obruti, sibiipsis manus violentas inferunt, excusationem mereantur.

LXXIV. Non desunt, qui αὐτοχειρίαν excusare & pro re licita habere soleant.

LXXV. Quidam eò trahunt exemplum *Samsonis*, qui seipsum interfecit, & tamen sanctis accensetur *Iud. 16. Hebr. 11.*

LXXVI. Et *lib. 2. Maccab. 14.* Rhaziæ αὐτόχειρ factum summè celebratur.

LXXVII. De *Donatistis* legimus, quòd αὐτοχειρίαν probare ausi ex dicto Salvatoris.

Qui odit animam suam, salvabit eam.

August. Epist. 10. ad Bonif.

LXXVIII. Sed nullo planè modo probandam aut excusandam esse αὐτοχειρίαν: hoc evincimus Syllogismo:

Quicquid pugnat, 1. cum Iure Naturæ, 2. cum Iure Divino. 3. cum Iure civili. 4. cum pietate & officio hominis Christiani: id mo. nullo planè modo probandum, aut excusandum.

Sed talis est αὐτοχειρία. Ergo.

LXXIX. 1. Quod pugnet cum *Iure Naturæ* per se patet. Quidvis enim Naturæ instinctu sui conservationem appetit, destructionem verò fugit.

LXXX. 2. Quod adversetur *Iuri divino*: liquet ex V. decalogi præcepto, in quod ita commendatur *Augustinus*:

Non occides à DEO dictum; nec alterum.
Ergo nec te. Neq; aliud occidit, quàm hominem, qui se occidit.
Lib 1. de Civit. DEI.

LXXXI. 3. Quod αὐτοχειρία pugnet cum *Iure Civili*: non modò tritum illud in schola Jureconsultorum testatur: *Nemo est DOMINVS suorum membrorum*: sed rationes insuper aliæ ad jus Civile spectantes.

LXXXII. Qui enim sibiipsi mortem conscisit: is graviter peccat tum in *Politiam*: *tum in Oeconomiam.*

LXXXIII. In *Politia* Rempublicam spoliat cive.

LXXXIV. In *Oeconomia*: vel Parentes sobole, vel sobolem parentibus, vel conjugem conjuge, vel Dominum servo vel servum Domino spoliat.

LXXXV. 4. Quod deniq; alienum sit istud faciunt à *pietate & officio hominis Christiani* alienissimum ex hac plurimarum Rationum congerie evadit planissimum.

LXXXVI. Αὐτόχειρ enim non habet honorem suo corpori; destruit templum Spiritus sancti, impatientia se frangi & tentationibus, è quibus ipsi per patientiam & spem eluctandum, opprimi patitur, Ecclesiam offendit: summè deniq; ingratus & injustus est in DEUM creatorem & Redemptorem ac DOMINUM suum, de quo Augustinus:

Qui fundum aufert ei à quo emptus est & tradit ei, qui nihil juris habet injustus est, & qui seipsum aufert DOMINATORI à quo factus est, & tradit se malignis Spiritibus, injustus est.

LXXXVII. Verum enimverò num & quicorum, qui per omnem vitam verè pij Deiq; amantes visi, & nihilominus tamen in æstu tentationum sibiipsi vitam abrumpunt, in desperatione moriantur, aut qui rursus in eo agone ad gratiam aspirent & salventur: nihil certi quoad singula individua pronunciari potest: sed talis & similes casus rectè referuntur ad Exclamationem Apostolicam.

Rom. cap. 11.

O altitudo divitiarum sapientiæ & cognitionis, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus & quàm impervestigabiles viæ ejus.

Contra autoxeiar.

S. Augustinus Tom. 5.

De ciuitate Dei l. 1. c. 17. p. 18 Nam unq si non licet priuata potestate hominem occidere vel nolentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsū occidit, homicida est. Et tanto fit nocentior, cum se occidendo quanto minus ei ca causa fuit, qua se occidendo putauit. Nam si iuste factum merito detestamur, cum ciuitas iudicat, cum se laqueo suspendit, suffocata illius traditionis auxilio potius, quam incipiat commissum, quoniam dei misericordiam desperando citius arbitrio patiens, nullum sibi salubris penitentiae locum reliquit: quanto magis à sua nece se abstinere debuit, qui tali supplicio, qui si se punial, non habet

L. 6. l. c. 22. p. 22. Et quicunq hoc in seipsis perpetrauerunt animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientia salutate laudandi sunt. Quanquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubiquisq non valendo tolerare vel quaeq aspera, vel aliena peccata, seipsum interemerit. Magis. n. mens infirma deprehenditur, qua ferre non potest, vel duram sui, corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionem. Maiorq animus meriti dicendus est, qui vitam animo fortiori magis potuit ferre, quam fugere ee.

L. 6. l. c. 26. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc nec diuinis eloquiis approbamus, neminem sponte ream mortem sibi inferre debere, vellit fugiendo miserias temporales, ne incidat in perpetuas.

De civit. Dei l. 1. c. 18. p. 19. Crucifica propterea animi permanentis
perquod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori
auferet sanctitatem, violentia libidinis alienæ, quam servat
perseverantia continentiæ suæ.

Nicephorus l. 7. c. 13.

Anthimus Episcopus Nicomediensis. Filia Euphratia
pulcherrimum quidem et casta. virginitatis donum, sed
maius tamen castitatis fidei præceptum. Quo
si permissum non est, ut utrumq; retineas, saltem animam
incontaminatam conserves. Faciendum tibi est Deo, ut scilicet
mente, per fidem confirmata, carnem injuriis et contumeliis
improborum permittas.

Augst. l. 6. de Haeresibus. haeres. 89. p. 16.

Circumcelliones, genus hominum agrestes et fa
rinosissimæ audaciæ, non solum in alios immania
facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana
feritate parcendo: nam per montes varias maximè
precipitiorum et aquarum et ignium saepius ne-
care consuêrunt, cum ipsum furorem, alios
quos poterunt sequaces ubiusq; seducere, aliquem de
se occidentur ab alijs, mortem nisi fecerint comminan.

hier. l. 7. contra L. Gaudentij epistam c. 27. p. 294

Nisi forte arbitramini Ille vos sibi Deum suæ posse
parcere per scelerum vestrorum, qui ipsi vobis modò non
parcitis, unde se etiam quidam sanctimoniales vestræ
per saxa demiserunt, et destillantibus uteris semiviri no-
stri, et stupris sacrata pro dedecore
c. 28. p. 248. cum Concilia faciatis, Episcopos ordinetis
etiam in eorum locum, qui suis ignibus perierunt, item
alios, qui suis ignibus perire parati sunt.

hier. l. 3. in Isaiam. haer. 51. p. 255.

Hinc quam multi ignominiosæ, pereunt laminæ, et misellæ cruciationes et scelera.
Nonnè homicidia, flammis se dederunt, aqueis se præfocant
præcipitijs se collidunt et pereunt. Hoc Christus non docuit
sed Diabolo, præcipitium suggerenti respondit, non tentabis Dominum Deum tuum.

Concilium Autisiodorens. can. 17.

Laicum se propria voluntate in aquam
collo ligato se suspendere, aut de
aut ferro percussum, aut quolibet occasione
morti tradiderit, iterum oblata non recipiantur.

Concil. Bracarense can. 34.

Si fidelis quolibet modo culpabili in semet
metipsum, nulla prorsus illis fiat commemoratio, nec cum
fratribus sepeliantur. Hoc idem observetur in illis, qui
sine fide sectentur furiantur.

August. ep. 7. contra Petilian Gaudentij epist. l. 2. c. 23. p. 240.
Rapias simulare sanctitatem, sed insipientia. Petilij vincentium
non Christi, martyribus, sed Donati Circumcellionis militantis.
C: sed fatemur hos ipsum ipsos non fecisse mutuo inter se,
viriliter, non tamen salubriter, quia non fideliter.
c. 22. p. 239 quoniam nulli fas est, seipsum occidere, manifestum
cum ut possit vivere, possit fugere.

Theodoret. de Haeresib. l. 4. de Donatistis p. 250.

Ii mi hanc quidem cum Arianis communem: sed novum in-
sanie genus excogitarunt, violentam n. mortem, Martyrium
nominant, Qui hanc quidem appellationem assequi volunt,
de longo antè tempore iis, qui idem secum sentiunt, scant.
C: inter Corybantium itaq; furentes C debent sancte
se cruciatu & praecipitio de corpus praecipitant.

Origen. in Iob p. 423. Hi vero, qui semetipsos inter-
ficiunt, & sibimetipsis mortem inferunt, nunquam requi-
em habebunt, ich in infinita secula nunquam requi-
em reficient, sed animae eorum mox, ut de corpore
exierint, in tenebras detrudentur, ubi cum Iuda C
Achitophel perpetuo torquebuntur, & post alias im-
piorum sibimetipsis manus inferentes duri sufferunt.

Aristeles Ethic. l. 5. c. 10.

Ei per iram seipsum jugulat, subens contra rectam Legem
id agit, & lex non permittit, injuriam igitur facit. Sed
cui? an civitati, non sibi: subens enim patitur: nemo vero
subens injuria afficitur. Unde etiam ipsum Civitas mulcto
rig' ignominia quadam irrogatur, qui seipsum necavit, quo
civitatem injuria afficerit.

+

Euseb. l. 8. c. 24. p. 245.

Exquibus nonnulli, priusq' capti irent, & mi manus in
sidiatorum venerant, ne in periculum facerent, ex
alti vidium tabulatis se precipites dejecerunt: sicq'
sua morte, infignite minus prada, quam si illis
afflictandis & capturos sperabant, omnino privare
possent. Inter quos erat mulier quidam Sancta
admirabilis; cerpens figura mulieri q dem, virtute
a. animi, plane vir ee
Apollonia apud Euseb. l. 6. c. 39. seipsam in rogum
injecit, quo absumta fuit.

LXXXVIII. Christiani hominis est, se munire adversus desperationis insultus.

1. ἀναμνήσεως sui Baptismi.
2. ἐλεημνήσεως infinitæ DEI misericordiæ, infiniti meriti CHRISTI, universalium promissionum gratiæ.
3. ἀφεσέως absolutionis.
4. ἀγάπης Cœnæ Dominicæ.

LXXXIX. *Quod superest* respondendum breviter, ad ea quæ è Scriptura in contrarium afferuntur.

Respondetur ad ea, quæ è Scriptura paulò antè in contrariũ allata.

XC. *Exemplum Samsonis* fuit facinus Heroicum, & ex singulari instinctu Divino perfectum, & proinde in communem imitationem minimè trahendum.

XCI. De *facto Rhazia* videatur judicium Herois illius Theologici Lutheri, *in præfatione in II librum Maccabæorum.*

πάντες ψόγοι λόγοι κρείττονες

XCII. *Dictum Salvatoris* agit de persecutione, ubi vita omnino potiùs supplicijs à persecutoribus irrogatis, profundenda, quàm Veritas agnita abneganda.

XCIII. Edidit de αὐτοχειρία peculiarem librum Theologus non in celebris, *Andreas Celichius*, quõ Studiosus Theologiæ remittimus.

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS TERTIAE Problemata IV. V. VI. VII.

RESPONDENTE

FRIDERICO SENGEBAHRO,

Cellensi Saxone.

Ad 4. Martij horis locoq; consuetis.

5. Problema

V. PROBLEMA.

Vtrum in recitatione septimæ petitionis Germanicæ rectiùs dicatur, Erlöse vns vom Böſen / *vel* Erlöſe vns von Vbel.

Propositio I.

ETſi quæstio hæc prima fronte non adeò magni videtur esse momenti: tamen quia ejus explicatio nonnihil lucis affert septimæ Orationis Dominicæ petitioni: nolumus illam sicco pede transilire.

II. Præsertim cùm non desint ἀψίκοροι & φιλόκαινοι qui τῶν εἰωθότων ὑποτέμπαι, odio & invidiâ Lutheri, orandum mordicus contendant: Erlöſe vns vom Böſen.

III. Antequam verò ipsum τὸ πρᾶγμα aggrediamur: ὡς ἐν παιδείᾳ prælibanda ἐξέτασις τοῦ ὀνόματος Böſe/ Græcè τοῦ πονηροῦ.

ἐξετάσις τοῦ ὀνόματος de quo triplex opinio.

IV. Quod num in *Masculino* vel in *Neutro* genere exponendum, dubium est & ambiguum,

masc. 1

V. Sunt, qui illud legunt in *Genere masculino*, adeoque interpretantur de ipso *Satana* qui ὁ πεῖρας vel ὁ πονηρὸς, teste CHRISTO, *Iohan. 8. v. 44.*

VI. Subscribunt huic sententiæ & interpretationi tum *Veteres* tum *Recentes.*

VII. Inter *Veteres* sunt *Patres Græci*, ut Nyssenus Cyrillus, Chrysostomus, Enthymius & Theophylactus, & ex *Latinis*, Ambrosius, Chrysologus, Cassianus.

VIII. Movet eos articulus τοῦ additus nomini πονηροῦ.

IX. Inter *Recentes* præcipuum obtinent locum *Zvvinglio-Calviniani*, è quibus sistimus *Musculum in 6. cap. Matth.*

2. neutr. gen. X. Contrà verò reperiuntur alij, qui nomen illud legunt in *neutro genere*, perq; τὸ πονηρὸν intelligunt omnis generis mala & calamitates tam hujus, quàm futuræ vitæ.

XI. Amplectuntur hanc interpretationem ex *Veteribus* Augustinus, Rupertus, Beda ac pleriq; alij Latini,

Ex

XII. Ex *Recentioribus* non pauci, & inprimis Philippus Melanchthon, in verba illa ἀπὸ τοῦ πονηροῦ hunc in modum commentatur:

A malo æterno & temporali, præsenti & impendenti, particulari & universali.

XIII. *Cæteri* utrumque conjungunt statuentes CHRISTUM una τοῦ πονηροῦ voce complexum esse, & diabolum & mala simul omnia tum culpæ tum pœnæ tam huius quàm futuri ævi.

XIV. Et hæc sanè sententia quàm proximè accedit ad scopum CHRISTI, & Veritatis normam, sicut testantur interpretes summæ celebritatis, tum *Veteres* tum *Recentes*.

XV. *Veterum* omnium instar est & esse debet Cyprianus ἐξηγητής, cujus hæc verba valdè ἀξιομνημόνευτα.

Post ista omnia in consummatione orationis, venit clausula, universas petitiones & preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus, sed libera nos à malo, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus.

XVI. E *Recentibus* περιέργημα meritò tribuimus μεγάλῳ illi πατρὶ θεολόγῳ, *Luthero*, qui, in *Catechesi suâ Majore*, septimam hanc Orationis Dominicæ petitionem, interpretatione isthac splendidissimâ splendidissimè exornat & illustrat:

Im Griechischen lautet das Stücklein also: Erlöse oder behüte vns von dem argen oder boßhafftigen / vnd siehet eben / als rede er vom Teuffel / als wolt er alles auff einen hauffen fassen / das die gantze Summa alles Gebets gehet wider vnsern Hauptfeind / denn er ist der / so solches alles was wir bitten / vnter vns hindert / GOttes Name oder Ehre / Gottes Reich vnd Willen das täglich Brodt frölich gut Gewissen.

Darumb schlagen wir solchs endlich zusammen / vnd sagen: Lieber Vater / hilff doch / daß wir des Vnglücks alles loß werden. Aber nichts desto weniger ist auch mit eingeschlossen / was vns böses wiederfahren mag / vnter des Teuffels Reich / Armut / Schande / Todt / vnd kürtzlich / aller vnsäglicher jammer vnnd hertzleid / so auff Erden vnzehlich viel ist. Denn der Teuffel / weil er nicht allein ein Lügner / sondern auch ein Todtschläger ist / ohn vnterlaß

auch nach vnserm Leben trachtet/ vnd sein Mütlein kület/ wo er vns zu vnfall vnd schaden am Leib bringen kan.

XVII. Lutheri Præceptoris vestigia legit Discipulus ipsius verè γνήσιος Chemnitius, de solida & genuina illius petitionis interpretatione hoc pacto differens:

Positivum igitur malum in hac petitione intelligimus, in Masculino pro ipso Diabolo. Deinde etiam in Neutro intelligimus, & peccatum & quicquid est damnorum, periculorum, adversitatum, quæ vel animam, vel corpus, vel famam & fortunas, sive jam onerant, sive imminent & impendent. in l. 3. Harm. Evang. c. 51. m. f. 443. 444.

XIIX. Chemn. sequitur *Præceptor* olim meus multis nominibus venerandus, quem honoris & gratitudinis ergo non possum non nominare Dominus D. *Zacharias Schilterus*, in ἐξετάσεις & ἐξηγήσεις Catecheseos Lutheri Minoris f. 405.

XIX. Adde quòd *Bullingerus* etiam, Zwinglij aliàs assecla & defensor non-instrenuus, in eandem abit sententiam, laudans ac commendans Cypriani expositionem, eamq; ceteris omnibus inteponens. In Comm. in Matth. cap. 6.

XX. Et proinde petitionem istam simpliciter sic interpretatur:

A diabolo & cunctis malis nos libera.

Explicatio quæstionis per distinctionem.

XXI. Verum enim verò ut tandem ad rem ipsam deveniamus: vocabulum sanè illud Germanicum Böß/ si accipitur, de solo Satana, quem Germani κατ' ἐξοχὴν appellare consueverunt den Bösen: tum utique sensui istius petitionis plenè non satisfiet, apertè & constanter dicendum ac docendum.

NB

XXII. Neq; adeò multum sententiæ istius patronos adjuvat articulus.

XXIII. Eadem namq; vox πονηρὸς in scriptura cum suo articulo, etiam in neutro genere usurpatur, non de Diabolo: sed pro re mala, ut:

Rom. 12. ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ.

Matth. 5. *Sed erit Sermo vester* EST, EST, NON, NON. *Porrò quod ultra hæc adjungitur*, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, *id est*, à malo incredulitatis hominum, interprete Augustino.

XXIV. Quid? Calvinus ipse nihil moratus articulum expressè scribit:

Malum

Malum hîc tam in neutro, quàm in masculino Genere potest accipi.
in Comment. in 6. cap. Matth.

XXV. Viderint illi, qui articulum & masculinum genus tam contentiosè propugnant, quàm commodè ἀντιέρειαν rerum petendarum ex Oratione Dominica stabilire queant.

XXVI. Nobis ἐκ τῆς παλαιότητος suppetit *interpretatio Syriacâ*, quæ habet vocem בִּישָׁא, quo Satanam indigitari nondum animadvertimus.

XXVII. In hac igitur significatione vocabulum Böſen non admittendum esse censemus, maximè cum „καινοτομίας & νεοτεροποιήσεως Anti-Lutheranæ studio, significationem illam odiosè, ut necessariam, & vulgò tritæ longissimè anteferendam, urgeri confingerit.

XXVIIX. Si verò vocabulum illud accipiatur in *neutro genere*, ita, ut simul includat masculinum: tum id omnino recipimus, eoq; nomine litem nemini movebimus.

XXIX. Et sic alicubi in Lutheranis etiam Ecclesijs dici consvevit: Erlös vns vom Böſen.

XXX. Qua in significatione vox Vbel illi alteri συνώνυμος.

XXXI. Discrimen in eo tantùm consistit, quòd vocabulum Vbel magis *Germanismum*, τὸ Böſen autem magis *Latinismum*, vel potius *Græcismum* sapiat.

XXXII. Accedit, quòd illud minùs: hoc magis ὁμώνυμον & ambiguum.

VI. PROBLEMA.

An & quomodo per mortem temporalem omnes pij simul penitùs liberentur tùm à malo culpæ: tùm à malo pœnæ.

XXXIII. Nota ac trita est in Scholis *distinctio Mali in Malum culpæ & pœnæ*, à quorum illo absolutè: ab hoc autem, quatenus saluti nostræ noxium, septima petitione nos liberari, precamur.

XXXIV. *Damascenus* propter regia & egregia dona Chrysoroæ cognomen adeptus istam distinctionem hoc aphorismo memoriâ digno comprehendit:

Διστέμφατον τὸ τῆς κακίας ὄνομα δύο σημαῖνον. ποτὲ μὲν γὰρ τὴ φύσει κακὸν δηλοῖ. ὅπερ ἐναντίον ἐστὶ τῇ ἀρετῇ, καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ θελήσει. ποτὲ δὲ τὸ πρὸς τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν κακὸν καὶ ἐπίπονον, ἡγουμένας θλίψεις καὶ ἐπαγωγὰς, &c.
lib. 4. ὀρθοδ. πίς. cap. 20.

1. *Liberatio à malo culpæ triplex.*

XXXV. *Malum culpæ*, id est, peccatum quod attinet: tollitur illud nosq; ab eo liberamur *trifariam*.

XXXVI. 1. Per regenerationem, quoad *dominium ad Rom. 6, 12.*

XXXVII. 2. Per mortem temporalem quo ad *sensum*. Quo tendit istud alterum:

Qui mortuus est, justificatus, id est, liberatus est à peccato. *Rom. 6, 7.*

XXXIIX. Cum enim sit accidens per se non ἐνεργητικὸν: ideo recedente anima, in corpore exanimi nullam amplius ἐνέργειαν exerere & exercere potest.

XXXIX. 3. Vel *ordinariè* per *extremam cinefactionem* quoad radicem, ut in defunctis fidelibus, vel *extraordinariè* per *subitam ἀλλαγὴν & transmutationem*, ut in Henocho & Elia, ijsq; Christianis pijs ac fidelibus, qui in adventu DOMINI superstites adhuc futuri.
1. Cor. 15, 51.

XL. Tam altas enim radices malum istud σαρκικὸν in natura humana egit, ut non nisi interveniente ejusmodi mutatione penitus evelli & exterminari possit.

XLI. Testantur id exempla eorum, qui licèt miraculosè à mortuis resuscitati: nihilominus tamen altera vice mori necessum habuêre.

2. *De Pœnis contra Romanenses haud exigua.*

XLII. Et tantùm quidem de malo culpæ: *De malo pœnæ*, sicut & de peccatis venialibus, inter nos & Romanenses haud exigua gliscit controversia.

XLIII. Somniant enim isti somniatores: *locum esse, quo post mortem eorum fidelium animæ, quæ vel obstrictæ reatu adhuc alicujus temporalis pœnæ, vel etiam aliquibus peccatis venialibus ex corpore migraverunt, secundum divinæ justitiæ rationem crucientur, quoad penitus ab ejusmodi peccatis expiatæ beatitudinem cœlestem consequi valeant.*

XLIV. Hæc enim sunt *Gregorij de Valentiâ* Jesuitæ Hispani verba αὐτολεξεὶ descripta *ex Tom. IV. controv. p. 2188.*

45. Qui-

XLV. Quibus cum ex asse conveniunt, hæc *Canisii* & *Costeri* emblemata.

Canisius in summa doctrinæ fol. 157.

Purgatorium est ignis & emendatorium, quo pœnæ peccatorum, quas hic pœnitentia perfectè non diluit: defunctis in CHRISTO FIDELIBVS *luendæ sunt & expiandæ.*

Costerus in Enchiridio propos. 4. f. 504.

Qui cum reatu pœnæ temporalis ex hac vita migrant, neque rectà proficiscuntur in cœlum, quo nihil coinquinatum aut immundum ingreditur; neque in infernum, cum non mereantur pœnam æternam. Est igitur locus aliquis medius, in quo peccatis animæ purgantur, quæ jam in gratia DEI *constitutæ, pœnis solum temporalibus peccata sua expiant.*

XLVI. Posset hæc Romanensium fabula pluribus refutari: Sed non est opus, cum ipsa seipsam manifestâ ἀντιφάσει ἐν τῷ προκειμένῳ funditus evertat.

XLVII. Destinant igni καθαρτικῷ animas *fidelium*, quæ vel obstrictæ reatu adhuc alicujus temporalis pœnæ, vel aliquibus peccatis venialibus.

XLVIII. Sed quis adeò vesanus & τὸν νοῦν ἄρρως, qui non videat, hæc sibi invicem ex adverso repugnare?

XLIX. De omnibus enim in universum fidelibus & in CHRISTUM usq; ad extremum vitæ halitum credentibus, contraria planè pronunciata sacræ edunt literæ.

L. Quod ut intelligatur plenius *triplicia* huc afferre libet lubetque.

Triplicia Scripturæ testimonia adversus purgatorium. I.

LI. Ac *Primò* quidem Scriptura luculenter docet & confirmat; quòd omnibus fidelibus, omnia ac singula peccata, quocunque demum nomine venerint, plenissimè remittantur, per & propter JESUM CHRISTUM, (b) qui pro omnibus omnino peccatis plenissimè satisfecit, quam satisfactionem uno actu Fides in CHRISTUM apprehendit.

(b) *Esa. 53. v. 4. 5. 6. Tit. 2. v. 14. 1. Ioh. 1. v. 8.*

LII. Prodeant in medium Spiritus sancti testimonia verè ἀνυπόθυτα καὶ ἀναντίρρητα, quorum omnium epitomen absolutissimâ hoc complexus est aphorismo Apostolorum Princeps PETRUS.

Huic JESU CHRISTO, OMNES PROPHETÆ *testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius,* QUISQUIS *crediderit in eum.*

LIII. Eödem collimant ea Scripturæ loca, in quibus peccatorum remissio, ad præsentis vitæ seculum vocibus perquam emphaticis alligatur, cujusmodi sunt:

Matth. 16. *Quicquid solveritis* IN TERRA: (non sub terra in purgatorio) *erit solutum in cœlo.*

Matth. 18. *Quæcunq; solveritis* SUPER TERRAM: *erunt soluta in cœlo.*

LIV. Unde & Basilius ille non nomine tantum: sed numine etiam verè MAGNUS piè & præclarè:

Τῆς μετανοίας καὶ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, ὁ παρὼν βίος καιρός.

In moral. def. 1. cap. 2.

11. LV. *Secundo* è Scriptura liquet, quòd non tantùm culpa: sed pœnæ etiam temporales, unà cum æternâ, omnibus pariter fidelibus remittantur, itidem sacræ attestantur literæ.

LVI. Hinc est, quòd Salvator ἡ αὐτάληθεια affirmat:

Qui credit in Filium, habet vitam æternam, non judicatur, non venit in judicium.

Iohan 3, 18. 36. cap. 5, 24.

LVII. Hinc est, quòd Gentilium Præco pronunciat:

Nulla nunc est condemnatio his, qui insiti sunt CHRISTO JESU, *qui non juxta carnem versantur: sed juxta Spiritum. Nam lex Spiritualis vitæ per* CHRISTUM JESUM, *liberum me reddidit à jure peccati & mortis.*

LIIX. Si ergo nemo fidelium venit in judicium, nec quicquam in ullo condemnationis: qua fronte quâq; mente Romanenses animas illorum pœnis purgatorij omnium atrocissimis adjudicaverint?

LIX. Purgatorium certè ipsis est locus judicij, quòdque pœnæ purgatorij, judicij & condemnationis ambitu comprehendantur.

LX. Videatur ἐξήγησις Problematis IX. Decadis II. ubi de hoc argumento invenies plura.

61. Nec

LXI. Nec quicquam juvat *Bellarminhum*, quod contra istud ad Rom. 8. excipit: *Paulum velle dicere, justos nihil contrahere peccati ex motibus carnis suæ, lib. 1. de purg. cap. 12.*

LXII. Apostolo namq; sermonem esse non de peccato: sed de condemnatione propter peccatum, ex vocabulo condemnationis meridiano sole clarius elucet. Non enim dicit ὑδὲν ἁμάρτημα: sed: ὑδὲν κατάκριμα.

LXIII. *Tertiò* deniq; ad præsens istud institutum ἐλεγκτικὸν omnium plurimùm faciunt ea θεωρίσματα, quæ apertè docent, omnibus ac singulis fidelibus immediatum patere transitum ex hac vita per mortem in vitam æternam, absque ullo ullius purgatorij interventu. 114.

LXIV. Inter hæc verò Hespero splendidiora sunt hæc duo:

Joh. 5, 24.

Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem (κρίσιν) non venit; sed transivit (μεταβέβηκε) à morte in vitam.

Apoc. 14, 13.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur AMODO: *Etiam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis.*

LXV. *Prius* illud tam firmum ac solidum est, ut conductitius ille Romanæ Aulæ Rabula Bellarminus ne extremo quidem digitulo id attingere ausus. Desperavit nempe prorsus hac in parte de genio & ingenio suo Jesuitico, id est, Sophistico.

LXVI. *Posterius* verò hoc *Apoc 14, 13.* bifariam obscurare & enervare nititur, *in cap. & lib. paulò antè allegato.*

LXVII. Ac *primò* quidem adverbium AMODO referre non erubescit ad extremum judicium, & non ad fidelis cujusq; mortem.

LXVIII. Sed an non hoc est σχοινίον τὰς γραφὰς, & os in cœlum ponere? Vox certè de cœlo ibi audita: ad mortem illud refert: & non ad judicium tandem extremum. Ideoq; per quam emphaticè & considerate loquitur.

LXIX. Non enim ait: Beati mortui, qui in DOMINO *resurrexerunt*, vel qui coram Domino in *judicio extremo bene steterunt.* Non: sed qui in DOMINO MORIUNTUR (in præsenti) *non mortui fuerant* (in plusquamperfecto.)

70. Deindè

LXX. *Deindè* illud restringit ad Viros perfectos, & sanctos martyres.

LXXI. Quid nos? Dilatamus illud nos ad omnes Fideles, sive firmâ sive infirmâ fide, fide modo, præditi, hac ἀποδείξει ἀλαλύτῳ ex ipsis istius textus Apocalyptici visceribus educta:

N.B. *Quicunq; in* DOMINO *moriuntur: illi sunt beati à modò.*
Atqui omnes fideles in DOMINO *moriuntur.*
Ergo omnes fideles sunt beati à modò.

LXXII. Legatur de Purgatorio tractatus longè exquisitissimus Lutheri, cujus ἐπιγραφὴ: **Widerruff vom Fegfewer.**

Tom. V. Jen. m. fol. 160.

LXXIII. Ubi solidè & perspicuè evincit, quod Purgatorium, sit purum putum figmentum, vel (ut Verba ipsius per παρρησίαν elegantissimè enunciata habent) **daß das Fegfewer / ein Feulfewer / oder Lügenfewer.**

LXXIV. Quæ certè παλινῳδία Luthero verè glorioſa, nequaquam autem probroſa, sicut (c) Jesumachi Luthero mastiges calumniosè interpretantur, parùm (d) curantes candidissimam candidissimi pectoris præmonitionem.

(c) *Possevimus in refut. resp. Chyt. p. 288. Alph. Salmer. tom. 14. oper. pag. 216.*

(d) *in Præf. oper. Tom. 1. Ienens. Germ. fol. 2. 3.*

LXXV. Jam transitum facimus ad sequens Problema, quod & ipsum ad septimam Orationis Dominicæ petitionem haud incommodè referri potest.

VII. PROBLEMA.

Quare DEVS Ecclesiæ non præstet libertatem ab omnibus malis: sed tot tamque varijs calamitatibus eam in hac vita exponat?

LXXV. Quoniam in septima Dominicæ Orationis petitione postulamus à DEO liberationem à malo: apparet exinde, quòd Ecclesia in hac vita multis magnisque malis & calamitatibus obnoxia.

LXXVI. Mox igitur quæstio oritur, quî fiat, quòd Deus, (c) qui optimè cupit Ecclesię eamq; summè caram & in delicijs habet, id non intervertat, adeoq; Ecclesiæ libertatem & immunitatem ab omnibus malis præstet.

(c) *Cant.c 7,6. Esa.c.46 3.4. c.62,4 Ierem.31,3 20.*

LXXVII. Id enim & Deo magis glorioſum, & Ecclesiæ magis fructuosum esse, Ratio arbitratur.

LXXIIX. Sed cogitationes Divinæ â cogitationibus humanis tanto distant intervallo, quanto supremum illud cœlum ab infima hac terra, dicente IEHOVA ipso *Esa.c.55,8.9.*

LXXIX. Quæ verò de præsenti hac quæstione cogitationes DEI: sacræ literæ ostendunt vividæ illarum interpretes.

XXC. Hæ quippe non tantùm τὸ ὅτι: sed τὸ διότι etiam istius negocij satis disertè proponunt & explicant.

XXCI. Et de τῷ ὅλῳ quidem plurimâ Scripturæ dicta sermocinantur. Nos βεβαιολογίας studio potissimorum saltem loca annotamus.

Psal.34,19. Cant.c.2,2. Esa.49,14.cap.54,11. Matth.16,24, Iohan. cap. 16,20.21. 22. Act.14,23. Rom 8,29. 2.Tim.3, 12. 1.Pet.4, 17.

XXCII. τὸ διότι autem sibi vendicat consideratio causarum, quæ itidem in Codice Biblico passim enarrantur.

XXCIII. Revocari possunt illæ, ad τάξιας καὶ ὑποκειμένα τὰ ἕνεκα, ad tria præcipuè genera, Quorum 1. DEVM. 2. nos ipsos. 3. alios concernit.

XXCIIII. Sed de his in libellis διδασκαλικοῖς copiosè, sub titulo de cruce & calamitate Ecclesiæ.

XXCV. Nos hoc saltem, Coronidis loco, hic monemus, quòd, si ἀκριβέστερον θεολογεῖν velimus, calamitates Ecclesiæ per se *non in malorum*: sed in *bonorum potius censu* habendæ.

XXCVI. Idque respectu tum *termini â quo*, tum *termini ad quem*.

XXCVII. Nam *respectu termini à quo*, proficiscuntur à DEO, qui summum & perfectissimum bonum. 1.

Iob.1 21. Psal.68,20. Ierem.30,15.

XXCIIX. Respectu *termini ad quem*, ab Apostolo non minùs verè quàm piè asseritur:

Rom. 8. *Scimus quòd his qui diligunt DEVM, omnia cooperantur in BONVM.*

XXCIX. Suffragatur nobis *Damascenus lib. 4. ὀρθ' πίς.* cap. 20. aurea gnome: *αὗται δὲ* (scilicet *θλίψεις.*

τῷ μὲν δοκεῖν, κακαὶ εἰσὶν, ἀλγειναὶ τυγχάνουσαι. τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἀγαθαί. ὑπερορῆς γὰρ καὶ σωτηρίας γίνονται τοῖς σωζομένοις.

XC. Quibus sic explicatis: planum evadit, quòd calamitates Ecclesiæ non iræ: sed gratiæ potius *πατρικαί*: quòdque non *φθαρτικαὶ*: sed *σωτηρικαὶ* & *αὐξητικαὶ*, teste historia tum sacra tum Ecclesiastica.

XCI. Ac proinde non cum indignatione: sed cum gratiarum actione potius calamitates *θεόπεμπτοι* excipiendæ, imò cum gratulatione Davidica. Psal. 116.

Calicem salutaris accipiam, & nomen DOMINI invocabo.

XCII. *Summa*: Quòd Deus Ecclesiæ in hac vita non præstat libertatem ab omnibus malis: sed tot tamq; varijs variarum calamitatum fluctibus eam operit: *non injustæ severitatis: sed paternæ benignitatis* argumentum est.

EX ORATIONE DOMINICA DECADIS TERTIAE Problemata VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. JOHANNE CHEMNITIO,

Pritzwalkensi è Prigniſſa.

Ad 18. Martij horis locoq; consuetis.

IIX. PROBLEMA.

Num hæc verba: *Quia tuum est regnum & potentia, ac gloria in secula seculorum Amen, ad σῶμα* Orationis Dominicæ pertineant nec ne?

THE-

THESIS I.

HActenus *primam* & *secundam* Orationis Dominicæ partem expeditam dedimus: supereſt *tertia* & *quarta*, quarum *illa* iſtius Orationis Orationum *Confirmationem*: μετάβασις. hæc *Concluſionem* complectitur, juxta diſtributionem mox ab initio primæ Diſputationis, præmiſſam.

II. *Vtramq;* hanc partem poſteriorem, in ultimâ hac Διατριβῇ delibare juvat.

III. Ut itaq; abſq; ulteriori præfatione, *priorem* aggrediamur: hiſce illa continetur Verbis:

Quia tuum eſt regnum, & potentia ac gloria in ſecula ſeculorum.

IV. Concinnantur inibi *tria* argumenta βεβαιωτικά, quorum 1. (ut terminis utamur oratorijs) deſumptum ab *honeſto* vel *juſto*. 2. *à facili*, 3. *ab utili*.

V. Sed dubitatur de hac clauſula an ad *σύστασιν* Orationis Dominicæ pertineat, vel non. ὑποθεσις.

VI. *Rationes dubitandi* in promtu ſunt. Omittitur enim illa à Luca, nec reperitur in Exemplaribus Latinis, nec Latini ſcriptores, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, eam interpretati ſunt. λόγοι τῆς ἀποριάς.

VII. Atq; hinc *Bellarminus* in eam deſcendit ſententiam, ut ſcribat:

> *Certum eſt, ea verba non eſſe de textu Evangelico, ſed inſerta fuiſſe à Græcis ex conſuetudine, quam habent ea verba recitandi poſt Orationem Dominicam in ſacrificio Miſſæ. Nam Latini etiam antiquiſſimi, & Græcæ linguæ periti, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, nullam horum verborum mentionem faciunt. Videtur igitur illa eſſe appendix quædam Orationis Dominicæ apud Græcos, ſicut eſt apud Latinos illud, Libera nos quæſumus Domine, &c.*
>
> Lib. 1. de bonis operibus cap. 6.

VIII. At enimverò, ſi dicendum, quod res eſt: videtur utique ſalvo ſaniori judicio, quòd multò probabilius, ſi in *Aſſentem* quàm *Negantem* partem concedatur. *Rationes pro parte Aſſente ſeptem.*

IX. Rationes enim pro illa & plures & graviores, quàm quæ pro hac jam modò in medium productæ.

IX. Notamus tantùm, & strictè quidem notamus, saltem potiores, & ut, Philosophus loquitur, μάλιστα ὑπολαζόντας.

1. X. Prima est, quòd Græca exemplaria singula & universa clausulam istam constanter retinent: Græca autem exemplaria magis authentica esse, quàm Latina, quis ambigat?

2. XI. 2. Extat eadem in exemplaribus Arabicis & Syriacis. Verba hæc sunt:

מֶשׁוּל דִּילַךְ הִי מַלְכוּתָא וְחַיָּלְיָא
וְתֻשְׁבוּחְתָא לְעָלַם עָלְמִין׃

3. XII. 3. Si concedatur verba hæc, uti Jesuita opinatur, à Græcis fuisse interpolata textui Evangelico: annon ingenijs fanaticis ac protervis autoritas sacrarum literarum turpiter prostituetur, ut, quæ οἰκεῖα καὶ οὐσιώδη: ipsis sint ἐμβολιμαῖα καὶ ἀλλότρια.

XIII. Simile quid profectò de *Manichæis* memoriæ proditum legimus. Nam quando autoritate Scripturarum se constrictos essentiebant: textus corruptos esse calumniabantur.

Epiph. hær. 66. Augustin. lib. 32. contra Faust. Manich.

XIV. Et de sui temporis hæreticis scribit (a) *Irenæus* Patrum antiquissimus, excellentissimus:

Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, &c.

(a) *lib. 3. adversus hæres. cap. 2.*

4. XV. 4. Accedit: quòd Gentilium Præco septimam recitans petitionem, de liberatione ab omni malo: clausulam hanc illi nostræ perquam affinem, sine intervallo subjungit:

Servabitq; in regnum suum cœleste cui gloria in secula seculorum, Amen.

2. Timoth. 4. v. 18.

5. XVI. 5. Verba illa non modò fidei sunt ἀνάλογα & τοῖς θείοις λόγοις συνῳδά, ut (b) Basilij phrasi utamur: sed insuper totidem ferè syllabis alibi in Scriptura Ἀλαβρήδλω exarata extant; videlicet;

1. Chronic. cap. 11.

6. XVII. 6. Rationes in contrarium adductæ non adeò validæ sunt, & potest ad singulas responderi.

XIIX. Et ad *primam* quidem; licèt verba illa à Luca sint omissa, nulla tamen necessitas consequentiæ, quòd propterea è textu

Matthæi

Matthæi expungenda; siquidem plura alia non habentur apud Lucam, quæ tamen ab Evangelista Matthæo ceteris omnibus prolixiori literis consignata.

XIX. Ad *secundum*: quanquam non reperiuntur in Exemplaribus Latinis; extant tamen in Exemplaribus Græcis, quæ Latinis εὐθετικώτερα juxta illud Hieronymi:

Multò potior manare credenda est fontis unda, quàm rivi.

Et hoc Augustini lib. 11. cap. 2. contra Faustum Manich.

Confugiendum est ad Exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquiorum, vel linguæ præcedentis; unde hoc in aliam linguam interpretatum est.

XX. Et in Decretis *Distinct. 9. cap. 6.* citatur hæc *Augustini* sententia:

Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: ita novorum, græci sermonis norinam desiderat.

XXI. Ad *tertiam*: Quamvis Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus appendicem illam non interpretati, propter causas nobis non satis exploratas: certum tamen est illam à Chrysostomo, Theophylacto & Euthymio explicari.

XXII. 7. ἐκ τῆς βασιλείας non incommodè superaddi potest ἀποδοξία, ob quam Clausula hæc Orationi Dominicæ meritò & jure optimo adjungenda, & præsertim vox illa finalis, quâ preces usitatè claudantur, Amen. 7.

XXIII. Legatur *Chemnitius* Hierophanta post Lutherum nostro seculo, omnium præstantissimus, in Scriptura versatissimus.

Lib. III. Harm. Evang. c. LII. m. f. 444.

IX. PROBLEMA.

An preces nostræ semper exaudiantur à DEO.

XXIV. Amen Signaculum est Orationis, sicut scitè ab Hieronymo nuncupatur.

XXV Estq; particula hæc βεβαιωτικὴ à CHRISTO haud dubiè desumta ex illa promissione longè amplissimâ:

Joh. 16. *Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo: dabit vobis.*

XXVI. Quo respectu etiam Theander Lutherus illam in Catechesi suâ exponit, de certitudine exauditionis precum eadem confirmandâ.

Ratio dubitandi.

XXVII. Testis verò locuples est non Experientia modò: sed sacra quoq; Scriptura, precibus nostris serio etiam & ardenter ad Deum fusis non semper respondere eventum.

XXIIX. Moses de seipso refert: se quidem omnibus à DOMINO precibus contendisse; ut transire sibi liceret & videre terram optimam trans Jordanem: sed negativam abstulisse responsionem his conceptam verbis:

Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Deut. 3.

XXIX. Cui simile est istud, quod Paulus lectissimum illud misericordiæ divinæ Organon de se commemorat:

Super hoc ter DOMINVM rogavi, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea per infirmitatem efficitur.

2. Cor. 12.

Explicatur dubium istud per 8. aphorismos.

XXX. Atq; hinc illud dubium de exauditione precum; quod ut rectè dextreq; explicetur, rem totam paucis ijsque succinctis ac perspicuis aphorismis complectemur.

XXXI. 1. Deus exauditionem precum in verbo suo passim nobis promisit sanctissimè, (si illæ modò fuerint ἐνεργούμεναι, fiantq; in nomine CHRISTI) maximè in illo non minus καθολικῷ, quam πολυμυθήτῳ, jam modò allegato:

Joh. 16. *Amen, Amen dico vobis, QVICQVID petieritis PATREM, in nomine meo, dabit vobis.*

XXXII. 2. Proindè Deus semper piorum preces exaudit. Quò pertinent ea Scripturæ loca quæ testantur, petitiones & orationes fidelium non vanas esse & irritas.

1. Sam. 7, 8. 1. Reg. 17, 1. 2. Reg. 1, 10. & 4 v. 32. 33 35. & 19, v. 4. 20. Iob. 42, 8. Psal. 3, 5. & 4. v. 2. 4. & 10. 17 & 18, 7 & 22. 25. & 30. 3 & 31, 30 & 34. v. 5. 18. & 38, 16 & 40, 2 & 55, 17 & 69, 34. & 77, v. 2. 3. & 79, 8. & 80, 3 & 88, 6. & 91, 15 & 99, 6 & 102, 18 & 118, 5. & 120, 1. & 138, 3. & 141 1. & 145, 19. Prov. 15, 29 Esa 30, 19. & 37, v 2. 21. & 38, 5. & 49. 8. & 58. 9. & 65., 24. Ier. 29. 12. & 33, 3. Dan. 2, 19. Ioh. 2 3. Zach. 10, 6, & 12, 10. Matt. 7, 8. & 18, 19. & 21, 22 Marc. 11, 24. Luc. 18, 7. Ioh 9, 31. & 14, v. 13. 14. & 15, 7. & 16. Act. 4, 31. & 7, 34. & 10, 4. & 16, v. 25, 26. 1. Pet. 3, 11. Iac 1. 5. & 5. v. 17, 18. 1. Ioh. 3, 22 & 5, v. 14, 15.

XXXIV. 3. Sicut discrimen inter res petendas, quarum *quaedam* Spirituales adeoq; simpliciter & *absq;* ulla *conditione* à Deo postulandæ: *quædam* verò corporales, atq; adeò non nisi (d) *sub conditione* voluntatis â DEO petendæ: ita quoq; discrimen inter exauditione precum necessariò constituendum.

(b) 1. *Ioh. c. 5, 14. Matth. 6, 10. c. 8, 2. cap. 26, 42.*

XXXV. 4. Petitiones *rerum Spiritualium* Deus semper exaudit, quandoquidem hæ τῇ θεσίᾳ bonæ, abusui non obnoxiæ, voluntati Divinæ simpliciter consonæ, *Matth 18, 14. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9.*

XXXVI. 5. Petitiones autem *rerum corporalium* Deus non semper exaudit juxta nostram voluntatem: exaudit tamen eas secundum suam voluntatem & nostram utilitatem.

XXXVII. Causa est, quia res corporales τῇ χρήσει sunt *bonæ & malæ. Bonæ*, si videlicet ijs rectè & legitimè utamur, & hactenus respondent voluntati Divinæ: sæpissimè verò contingit, ut evadant *malæ*, accedente abusu, cui obnoxiæ, quo respectu Voluntati Divinæ adversantur.

XXXIIX. Tradunt & inculcant isthanc distinctionem Patres, quorum unum atq; alterum testimonium, luculentioris doctrinæ gratiâ, huc adscribimus.

Augustinus tractat. 6. Epist. Beati Johannis:

Exauditus est ad salutem, non exauditus ad voluntatem. Quosdam invenimus exauditos ad voluntatem: sed non exauditos ad salutem.

Item.

Non sit quod vis, sed quod tibi expedit.

Et tractatu 72.

Malè usurus eo, quod vult accipere, DEO potius miserante, non accipit.

Et lib. de vera Innocentia.

DEVS cum malè aliquid poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.

Bernh. serm. 5. in quadragesimam.

Vnum è duobus indubitanter sperare possumus: quoniam, aut dabit quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius.

Iterum.

Quod nobis aut omninò non est utile, aut non citò dari necesse est, minimè tribuit, oratio tamen infructuosa non est.

89. Exau-

XXXIX. 6. Exauditionem petitionum rerum corporalium, secundum voluntatem nostram, DEVS sæpenumerò aliquandiu differt, propter rationes, quæ in Compendijs Theologicis passim recensentur.

XL. Potissimas earum maximeq; præcipuas, memoriæ gratiâ, ad terminos hosce μνημονικὰς revocare placet:

1. ἀντίτυπον Φ Θ. talio. *Cant. 4, 2. 3. & seq. Soph. 3, 7. 8.*
2. Fidei & spei probatio, *Syr. cap. 2, 3. Iob. 12, 13. 1. Pet. 1, 7.*
3. Orationis ardentioris exuscitatio; *Esa. c. 26, 16. c. 4, 12.*
4. Auxilij Divini illustratio, *Ioh. 11, 4.*
5. Devotior gratiarum actio, *Psal. 107.*

XLI. 7. Et proinde nefas est, modum & tempus exauditionis DEO præscribere; fas verò auxilium eius patienter expectare & ἀδιαλείπτως orando instare.

Esa. c. 30, 3. Hab. c. 2, 3. Iudith. 8, 13. Luc. c. 18, 1.

XLII. Atq; hæc de piorum precibus, quæ conjunctæ cum vera ac sincera fide, quæ illarum anima.

XLIII. 8. Cum precibus verò impiorum & infidelium longè aliter se res habet. Hæ enim nullo modo exaudiuntur; sed frustrà planè funduntur. Carent enim fide, Unde Ambrosius:

Si fides deficit, oratio perit.

Serm 36.

XLIV. Atque huc pertinent hæc sequentia Scriptūræ loca.

Deuteron. 1, 45. & 31, 18. Iudicum 10, 1. 1. Sam. 8, 18. 4. Esdr 1, 26. Psalm. 18, 42. Prov. 1, 28. & 15, 29. & 21, 13. & 28, 9. Eccles. 34, ver. 29. 31. Esa. 1, 15. Ierem. 7, 16. & 11, ver. 11. 14. & 14, 12. & 15. 2. Ezech. 8, 18. & 14, ver. 16. 20. Mich. 3, 4. Zach. 7, 13. 2. Macc. 9, 13. Iohan. 9, 31. Hebr. 12, 17. Iac. 4, 3.

X. PROBLEMA.

An dubitandum de precum piarum exauditione.

Vera sententia ejusq; κατάληψις.

XLV. Particula אָמֵן est adverbium affirmandi, & jurandi per ipsam Veritatem, & videtur indè suam traxisse Originem Græcum ὁμνύω vel ὄμοσμι, id est, juro.

46. Ex

XLVI. Ex adverso itaq; opponitur dubitationi, eoq; tendit unicè, ut remotâ & explosâ omni ἐποχῇ non dubia assensione suspendantur, sed magna quadam cum πληροφορίᾳ & læto animi ardore credantur & accipiantur ea, quæ petuntur & postulantur à Deo.

XLVII. Atque hoc sibi voluit DOMINUS, dum suam illam promissionem de exauditione precum nostrarum, particulâ illâ βεβαιωλικῇ & ἐπωμοτικῇ bis positâ, obsignare quasi voluit.

Iohan. 16. vers. 23.

XLVIII. De qua gravissima CHRISTI sententia piè & eleganter.

Tertullianus lib. de pœnitentia,

O beatos nos, quorum causa DEVS jurat! O miserrimos, si nec juranti DOMINO credimus. NB.

Et Hieronymus Tom. 1. Epist. 46.

Idcirco jurat DEVS, ut si non credamus promittenti DEO: credamus saltem pro nostra salute juranti.

XLIX. Et quid multis? in Epistola Jacobi dubitatio penitus proscribitur & eliminatur, ex Orationis sacrario, tanquam Hostis ejus infensissima nocentissimaque.

L. Verba Apostoli *cap. 1.* consideratione accuratiori dignissima hæc sunt:

Quod si cui vestrum deest sapientia, postulet à DANTE DEO OMNIBVS SIMPLICITER nec exprobrante, ac dabitur ei. Postulet verò cum FIDVCIA NIHIL HÆSITANS.

LI. Contrà verò Romanenses Dubitationis patrocinium suscipere non verentur. *Romanensium erronea opinio ejusque ἀναστοιχείωσις.*

LII. Sic enim conductitius illorum Rabula Bellarminus,

Illud est proprium hujus loci, ut intelligamus non requiri in oratione fidem, qua certò credamus DEVM absolutè facturum quod petimus, sed solùm ut certò credamus, DEVM esse potentissimum, sapientissimum, benignissimum, fidelissimum, & proinde posse scire, & etiam velle facere, quod petimus, si non sit ex nostra parte defectus.

Item.

Denique nulla est absoluta promissio DEI, qua certi efficiamur nos absolutè quicquid petierimus impetraturos, cum semper intelligatur adjuncta conditio, si bene petierimus: igitur falsa esset fides, aut certè

non esset divina & Catholica fides, si certò crederemus DEVM *absolutè quicquic petierimus esse facturum.*

Lib. I. de bon. operib. c. 9.

LIII. Adversus istud Dubitationis Pontificiæ monstrum nos in aciem producimus hunc Syllogismum, ex ὁπλοθήκῃ SPIRITUS sancti depromtum.

Quicquid pugnat adversa fronte cum immota veritate promissionum divinarum, & præterea cum naturâ fidei ac spei: illud, velut ἀσεβὲς καὶ ἀθεόλογον, *repudiandum & execrandum.*

Sed Dubitatio Pontificia talis est, id est, pugnat, 1. cum immota veritate promissionum Divinarum, & præterea cum natura, 2. fidei, & 3. spei. Ergo.

LIV. *Major* est ἀυτόπτης & ἀναμφισβήτητος. *Minoris*, quæ est κεφάλαιον, *tria* sunt membra, quorum singula ordinè confirmanda veniunt.

LV. *Primum* est de *immota promissionum Divinarum veritate*, quæ tam solida est & inconcussa, ut Apostolus clara ac sonora voce edisserat, quòd QUOTQUOT *sint promissiones* DEI, *per* FILIUM DEI JESUM CHRISTUM *sint* ETIAM & AMEN.

2. Corinth. cap. 1.

LVI. Quid? eo ipso quia promissiones sunt non hominis: sed DEI, DEI inquam promissiones, piaculum est, de illis ullo dubitare modo.

LVII. Ipse enim est (c) ἀυτάληθὴς, (d) ἀψευδὴς, μὴ δυνάμενος ψεύσασθαι ejusque (e) χαρίσματα verbo promissa omnia planè sunt ἀμεταμέλητα, (f) de quibus qui dubitare voluerit, DEUM ipsum mendacij reum agere velle, existimandus.

(c) *Iohan. 14. vers. 6.* (d) *Tit. 1. v. 2.* (e) *Rom. 11. vers. 29.*
(f) *1. Iohan. 5. v. 9. 10.*

LVIII. *Secundum* est de *fide*, quæ non nuda notitia & assensus saltem, sed plena fiducia, quemadmodum pluribus rationum momentis alibi demonstratur.

LIX. Sufficiat jam brevis & summaria repetitio, ut 1. quòd appellatur πληροφορία.

Rom. 4. vers. 21. Coloss. 2. v. 2. Hebr. 6, v. 11.

60, 2. Quòd

LX. 2. Quòd dicitur (g) παῤῥησία, fiducialis ingreſſus in ſanctuarium, (i) filialis acceſſus ad thronum gratiæ, (k) πεποίθησις itemque (l) καύχημα & κάυχησις, in qua ſtamus, & gloriamur, in ſpe gloriæ Filiorum DEI.

(g) *Epheſ. 3. v. 12.* (h) *Hebr. 10. v. 19.* (i) *Hebr. 4. verſ. ult.*
(k) *Eph. 3. v. 12. Phil. 3, 4.* (l) *Rom. 5. v. 2.*

LXI. 3. Quòd definitur ὑπόστασις eorum, quæ ſperantur & ἔλεγχος [hoc eſt, certum & indubitatum argumentum] eorum, quæ non videntur. *Hebr. 11. v. 1.*

LXII. *Tertium* eſt de *natura ſpei*, quæ exprimitur ijs, quibus in Scriptura inſignitur epithetis, ut quòd vocatur (m) *anchora animæ*, ἀσφαλής τε καὶ βεβαία καὶ εἰσερχομένη εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. (m) *Hebr. 6.*

LXIII. Et in eadem Epiſtola Hebræis inſcripta ſeria hæc inſtituitur exhortatio:

κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος [NB] ἀκλινῆ.

LXIV. Qua θεωρητικῆς obſervatione non tam theoretica quàm practicâ omnium digniſſimâ, Colophonem imponimus tum huic Diſputationi: tum toti de Dominica Oratione πραγματείᾳ, hoc ſuccinentes ἐπεισόδιον ὑμνολογικόν:

Δόξα Θεῷ Πατρὶ καὶ υἱῷ Πνεύματι
ἁγίῳ:

QUATUOR DECADES

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM

Partim θεωρητικῶν partim πρακτικῶν,

DE BAPTISMO

IV. Catecheseos Lutheranæ parte,

Duodecim Disputationibus explicatæ & ventilatæ,

In Inclyta Academiâ Wittebergensi,

Autore ac Præside

JOHANNE FÖRSTERO

S S. Theol. Doct. & Professore Ordinario.

Accessit Disputatio ἐπεισαγωγικὴ, εαφ; ἐλεγκτικὴ, de quinq; Sacramentis Papistarum Spurijs.

VVITEBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XIV.

VIRO

Admodum-Reverendo, Magnifico, & Antiqua Generis nobilitate percelebri ac ſtrenuo, Domino

IOACHIM-IOHAN-GEORGIO

von der Schulenburg/ Canonico, Seniori & Cellario Eccleſiæ Cathedralis, quæ eſt Halberſtadij undiquâq; eminentiſsimo, itemq; in rebus Eccleſiaſticis Commiſſario longè digniſſimo &c.

Domino ac Fautori meo plurimum honorando,

Gratiam & bendictionem DEI P.

IN *Apocalypſi Johannis cap. VI.* Vir admodum-reverende, magnifice, ſtrenue & nobiliſſime &c. in Viſione quadam ſecretâ, Apoſtolo & Evangeliſtæ illi Sanctiſſimo, *quatuor* monſtrantur *equi*, quibus quatuor plagarum genera, quibus Deus mortales caſtigare conſuevit, tanquam in tabula quadam Appellæa, depicta exhibentur.

Primus equus dicitur fuiſſe *albus*, quo notantur Tyranni & Magiſtratus impij, qui *corona* majeſtatis ac potentiæ ſuæ, qua ſplendidè redimiti, ad perſequendam & infeſtandam Eccleſiam crudeliſſimè abutuntur, nec ferre poſſunt, ut pace, cujus Symbolon color *albus*, cum alijs ſuaviter ac quietè perfruantur.

Secundus equus erat *ruffus*, quo quid adumbratum, ultro patet: Bella videlicet cruenta, quibus magna vis & copia humani ſanguinis effunditur, ita, ut omnia ferè humano cruore *rubere* videantur.

Tertius

Tertius equus scribitur fuisse *atri* coloris, quo nihil aliud designatum, quàm *atra fames*, ipsa interprete Scriptura loco allegato.

Quartus equus erat *pallidus*, cujus sessor mors pallida, multa hominum millia peste perditura.

Vtinam autem atq; iterum utinam equi illi suis cum sessoribus olim tantùm, Johannis ætate, emissi fuissent! Sed experientia (proh dolor!) testatur, eosdem hoc tempore, justo Dei judicio, simul in Patriam hanc nostram longè dilectissimam ablegatos esse. Ut enim primum & secundum silentio præteream: tertius certè & quartus eques tam graviter hac tempestate Germaniam affligunt & infestant, ut verbis explicari satis nequeat.

Annonæ caritas ejusq; comes individua fames indies ferè invalescit. Pestis ubiq; grassatur immanitate non exigua. Interim tamen non desperandum: sed ad fontes Israëlis, Scripturam Sacrosanctam, recurrendum: indeq; contra pestem & metum, cujus illa parens esse solet, præsidia & ἀλεξιφάρμακα petenda sunt omnium efficacissima.

Inter hæc autem primas sibi vendicat, *paterna Dei providentia*, cujus tanta vis, ut absq; ejus voluntate benignissima, ne unicus quidem capitis nostri pilus deteri possit. *Matth.* 10.

Accedit, quòd plaga ista hæc non tantùm πμωρία, quæ impijs solùm à Deo soleat infligi: sed *castigatio* insuper *paterna*, quæ interdum pij etiam afficiuntur; sicut constat exemplo pientissimi Regis Hiskiæ & uxoris Ezechielis, quorum uterq; tamen contagiosâ lue infecti leguntur *Esa. c.* 38. *Ezechielis c.* 24.

Adhæc metum minuere, & animi magnituidnem in nobis excitare potest ac debet, quòd admirabili Dei *sapientia & benignitate bonis omnia in bonum* tandem concedere oportet, nec quicquam dici potest, aut cogitari, quod nos separare valeat *à dilectione* Dei, quæ est in Jesu Christo, *Rom. c.* 8.

Tandem huc etiam facit, quòd præpotens & immortalis Deus, *Angelos*, cœlestes illos Spiritus, à corporum consortio abjunctos condidit, eosq; Ecclesiæ & membris ejus *Custodes ac vigiles*, præfecit. A quo officio perquam insigni nominibus in Scriptura passim indigitantur suavissimis, quibus non immeritò adscribimus illud πολυθρύλλητον καὶ τρισκάλλιστον *Gen.* 32. ubi vo-

cantur מַחֲנֵה אֱלֹהִים Castra Dei. vel, ut Paraphrastes Chaldaicus reddidit, Castra à facie Dei. Ratio hujus expellationis explicatur *Psal.* 34. hisce verbis maximè ἀξιομνημονεύτοις: *Castra metur* (חֹנֶה) *angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*; in quæ eleganter commentatur Basilius nomine & omine Magnus: Σκόπει δὲ, inquiens, ἡλίκη ἐστὶ τῶν ἀγγέλων ἡ Φύσις, ὅτι ὅλῳ στρατοπέδῳ καὶ παρεμβολῇ πολυανθρώπῳ παρεικάζεται, ὁ εἷς ἄγγελος. Διὰ μὲν οὖν τὸ μέγεθος τῆς Φυλάσσοντός σε παρεμβολήν σοι χαρίζεται ὁ κύριος, διὰ δὲ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀγγέλου, ὁποίαν εἰκὸς χαρίζεσθαι σε πάντοθεν τὴν ἀπ' αὐτοῦ, ἀσφάλειαν. Τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ κύκλῳ ὥσπερ γὰρ οἱ τῶν πόλεων περίβολοι κύκλῳ πάσας περικείμενοι πάντοθεν τὰς τῶν πολεμίων προσβολὰς ἀπείργουσιν· οὕτω καὶ ὁ ἄγγελος, καὶ περιτείχισι, ἐκ τῶν ὄπισθεν, καὶ ὀπισθοφυλακεῖ, καὶ τοῦ κατέρωθεν, ἀφύλακτα καταλείπει.

Satanas Hostis est Ecclesiæ ἄσπονδος, suosq; adversus illàm exercitus, nunquam non in aciem producit; circumiens, *sicut Leo rugiens*; *quærens, quem devoret. 1. Pet. 5.*

Huic verò cœlestis Angelorum Hierarchia masculè se opponit, adeoq; Ecclesiam ejusq; cives singulos & universos, muro quasi aheneo, circummunit, sicut ex historia Iob. c. & Elisæi 2. Reg. 6. notissimum. Et quis est, quem lateat, quòd Zach. 2. Jehovah promisit Ecclesiæ *murum igneum*, quo ipsam undiquaq; circumdaturus, & ab incursionibus hostium præstiturus immunem. Talis autem murus sunt beatissimi illi Spiritus Angeli, qui Psalm. 104. *ignis flammescens* dicuntur, & 2. Reg. 6. specie equorum πυρὸς εἰδῶν apparuisse scribuntur. Istud verò officium suum, diligentiâ, quâ fieri potest, maximâ exercent, pestis etiam tempore, teste Regio Vate *Psalm. 91.* ubi alia inter argumenta, quibus, grassante peste illa commemorabili, 2. *Sam. c. 24* se consolatus: præsidium etjam Exercitus Angelici non ultimo ponit loco.

Et quid quæso testibus opus est, cum rerum adsint testimonia?

Immisit Dominus Mortem equo illi pallido insidentem etiam inclitæ Urbi *Halberstadio*, ubi *Reverend. & Magnif. & Nobil. & Strenu:* sedem suarum fortunarum fixit.

Ausus

Ausus est eques ille domum ejusdem adire: sed mox repulsus est, & indè ex esse jussus. O magnum & memorabile Dei beneficium! quod certè, post ipsum, nemini alij acceptum est referendum, præterquam Exercitui Angelico. Is enim hactenus etiam circa Rev. Magn. & Nobilit. Stren. ejusq; conjugem nobilissimam &c. *castra metatus* est *sua*; utq; deinceps quoq; metetur, Deusq; immortalis R. V. Magnif. & Nobilit. Stren. unà cum conjuge carissima, & liberis nobilissimis, quàm diutissimè salvam & incolumem præstare velit, animitùs precor & opto.

Utq; *istius affectus mei signum erigerem* conspicuum & evidens: hoc equidem Scriptum Theologicum R. V. Magnif. & Nobil. Stren. dedicare volui, imò & debui. Et quidem non saltem ideò, cum publicè constet, quàm propensè illa Doctis faveat, præsertim ijs, qui in propaganda & propugnanda vera & sincera Ecclesiæ Lutheranæ doctrina, fideliter occupantur: verum etiam hanc potissimùm ob causam, quòd Rever. V. Magnif. & Nobil. Stren. Filium suum, regiæ & egregiæ indolis adolescentem, CHRISTOPHORUM VVITEKINDUM huc studiorum gratiâ, ante annum, misit, meæq; inspectioni singulariter commendavit. Ita autem, (dico quod res est) per istud tempus, tum quoad mores & vitam: tum quoad Studia & literas in hac Academia se gessit, ut nullus dubitem, eum laudatissimis R. V. Mag. & Nobil. Stren. vestigijs tenaciter inhæsurum, cumq; Deo & tempore, evasurum *verè* SCHULENBURGIUM, id est, VIRUM fama, dignitate ac meritis in Patriam plurimis maximisq; celebrem. Idq; ut eveniat, faxit unicus noster Salvator Jesus Christus, adeoq; tum *R. V. Magnif. & Nobil. Stren.* tum Filio ejus dilectissimo, totiq; inclytæ SCHULENBURGIORUM Familiæ largâ manu suppeditet omnia, quæ, quà fortunas, quà corpus, quà animum, quà animam usui & emolumento esse possint. Scribebam VVitebergæ VI. Octobris Anno 1611.

R. V. Magnif. & Stren. Nobil.

Colens

Ioh. Försterus

SS. Th. D. & Prof. Ord.

INDEX
PROBLEMATUM THEOLOGICORUM EX IV. LUTHERANÆ CATECHESEOS parte, quæ est DE BAPTISMO.

DECADIS PRIMÆ PROBLEMATA.

I. An vox Sacramenti εἰδικῶς καὶ ἰδίως sic dicti sit ἔτυμος.

II. An omnium Sacramentorum tum Veteris, tum Novi Testamenti eadem sit ratio.

III. Quot sint Novi Testamenti Sacramenta propriè sic dicta.

IV. An Sacramenta Novi Testamenti nihil sint aliud, quam duntaxat signa.

V. An Sacramenta Novi Testamenti ex opere operato conferant gratiam.

VI. An fides, ut pars οὐσιαστικὴ & essentialis, ad substantialem Sacramentorum perfectionem constituendam, requiratur.

VII. An ad Sacramenta necessariò requiratur intentio administrantis.

VIII. An piè & rectè dicatur à Papistis, quod à Sacrificulis ipsorum Sacramenta conficiantur.

IX. Num imprimant Sacramenta signum quoddam & characterem aliquam indelebilem in anima.

X. An Sacramenta sint necessaria ad salutem. & num quis sola fide absq; Sacramentorum usu salvari possit.

DECA-

DECADIS SECUNDÆ
PROBLEMATA.

I. *An unus Baptiſmus, unumq; lavacrum, non quo tolliuntur ſordes corporis: ſed quod nos à peccatis abluat.*

II. *An baptizati ab hæreticis ſint rebaptizandi.*

III. *An aliquis ſeipſum, in caſu neceſſitatis, licitè baptizare poſsit ac debeat,*

IV. *An mulieribus in caſu neceſſitatis, permittendum, ut adminiſtrent, in ædibus privatis, baptiſmum.*

V. *An ſacrificulis in Papatu ad baptiſandum committi debeant, & ſalvâ conſcientia poſsint filioli ab ijs, qui, Papatu malè valere juſſo, Lutheranæ religioni ὁλοψύχως addicti.*

VI. *An mater filiolum, in loco quodam ſolitario, à ſe in lucem editum, imminente vitæ periculo, baptizare poſsit ac debeat.*

VII. *An aliquo alio liquore, præterquam aquâ ad adminiſtrationem Baptiſmi utendum.*

VIII. *An ſangvis Chriſti ad eſſentiam baptiſmi pertineat, nec ne.*

IX. *An Spiritus ſanctus ſit pars baptiſmi eſſentialis.*

X. *Num Hypocritæ verum & integrum, quoad ſubſtantialia, Baptiſmum accipiant.*

DECADIS TERTIÆ
PROBLEMATA.

I. *An ſanctorum vel fidelium pueri ſint ſancti adhuc in utero, ante Baptiſmum.*

II. *An in infantes etiam cadat fides.*

III. *Num infantes ſint Baptizandi nec ne.*

IV. *An & quatenus infantes populorum infidelium, v.g. Turcarum, Iudæorum & ſimilium baptizandi ſint, nec ne.*

V. *An Baptiſmus impertiendus ſit infantibus, parentum hæreticorum, & quidem manifeſtè proteſtantium, ſe illos hæreſi ſua imbuturos.*

VI. *Num monſtra etiam ſacro fonte tingenda vel ſecus.*

VII. *An Baptiſmus iterari poſsit ac debeat.*

VIII. *An fœtus nondum plenè in lucem editi baptizandi ſint nec ne.*

IX. *An mortui etiam baptizandi, & num ex baptismo aliorum aliquid utilitatis ad eos redundet.*

X. *Quomodo Adultos, præsertim virgines, baptizari conveniat.*

DECADIS QUARTÆ PROBLEMATA.

I. *An Apostoli alia baptizandi formula usi, quàm hac à Christo ipsis præscripta: Baptizo te in nomine* Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

II. *An permittendum, ut administrationi Baptismi, tanquam testes, assistant ij, quos publicè constat religioni nostræ non esse addictos.*

III. *Quid sentiendum de Exorcismo, & num abroganda nec ne.*

IV. *Num Baptismus immersione vel aspersione infantuli peragendus, & quoties hæc vel illa fieri debeat.*

V. *Quo loco & tempore conferri deceat ac debeat Baptismus.*

VI. *An Baptismus sit ordinarium, idq; efficacissimum regenerationis medium, quo infantes in ipso Actu Baptismi, ad unum omnes, verè regenerentur ad vitam æternam.*

VII. *Quatenus in & per Baptismum tollatur peccatum.*

IIX. *An per lapsus contra conscientiam Baptismus penitus evacuetur, & irritus reddatur.*

IX. *Quia de salute infantium Christianorum non baptizatorum sentiendum.*

X. *An corpuscula infantium non baptizatorum, absq; usitatis funerum ceremonijs, in obscuro Cœmeterij loco, sepelienda.*

DISPUTATIO ἐπεισαγματική.

De quinq; Sacramentis Papistarum spuriis.

Confirmatione.

Pœnitentia.

Extrema Vnctione.

Ordine.

Matrimonio.

DE BABTISMO,

Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. JOHANNE HERPHARDO
Francofurtensi Marchico.

Ad diem 15. Junij. horis locoq; consuetis.

PROBLEMA I.

An Vox Sacramenti εἰδικῶς καὶ ἰδίως sic dicti sit ἔνδοξος.

PROPOSITIO I.

AUgustinus (*a*) Doctor Ecclesiæ verè augustus, Μετάβασις. eumq; secutus (*b*) Magister sententiarum doctrinam religionis Christianæ partiti sunt: in *res* & *signa*.

(a) *lib. 1. de doctr. Christ. c. 2. & 3.*
(b) *lib. 1. Dist. 1.*

II. Ad quam generalem διχοτμίαν partes Catecheseos Lutheranæ revocari posse, & quidem *tres priores* ad *rerum*: *posteriores* autem *duas* ad *Signorum* vel Sacramentorum classem, quis ambiget?

III. Hactenus *tres priores*, in quibus *res* religionis Christianæ pertractantur, disputando perlustravimus: supersunt *duæ posteriores*, de *Signis* vel Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini.

IV. Ne verò planè ἀπεροδιάτως eò accedamus: placet præmittere *Decadem* Problematum *de Sacramentis in genere*, siquidem juxta Philosophum:

1. Φυσικ. ἀκρ. c. 1.
Ἐκ τῶν καθόλου δεῖ τὰ καθέκαστα δεῖ φερέσθαι,
Et iterum c. 7.

ἐγγνωσις ἐξ ὀνόματος.

ἔστι καὶ φύσιν τὰ κοινὰ πρῶτον εἰπόντας: ὕστατα δὲ ἕκαστον ἴδια θεωρεῖν.

V. Hic autem primo in limine ac lumine occurrit *nomen Sacramenti*, de quo breviter, &, ὡς πρὸς θεωρίαν, differendum, ne statim ἀπὸ τῆς θύρας, quod dicitur, ἁμαρτάνωμεν.

VI. Usus ejus *duplex* est: *Unus* Scriptoribus *extra*: alter ijs, qui *intra Ecclesiam*, *maximè* familiaris.

VII. Scriptores *extra Ecclesiam* vocabulum Sacramenti *bifariam* usurpant.

VIII. 1. Pro *pecuniâ* apud Pontificem à litigantibus depositâ, hoc fine, ut, qui sponsione, seu judicio vicisset, suum depositum integrum reciperet: alterius verò fisco cederet, atq; ita litigandi temeritas coerceretur.

Varro L. 4. de LL.

IX. 2. Pro *jurejurando*, quo milites certo ritu & præscriptis verbis Reipubl. & Magistratui astringebantur. Unde Phrases (c) *dicere Sacramentum* (d) *obligare Sacramento*, &c.

(c) *Horat. lib. II. Carm. Ode 17.*

(d) *Cicero lib. 1. Offic.*

X. *In Ecclesia* vox ista accipitur *trifariam*.

XI. 1. Γενικώτατα pro quavis *re secreta & abscondita*, ut *Daniel. c. 2, 18. 30. 47. cap. 4, 6. Tob. 12, 7. Eph. 1, 9. cap. 3. 35. c. 5, 32. Col. 1, 27. 1. Tim. 3, 3. 16. &c.*

XII. Qua in significatione ei συνώνυμα sunt & ἰσοδυναμοῦντα. Græcum μυστήριον: Hebræorum סוֹד & Chaldæorum רָז & רָזָא, quod legitur *Esaiæ 24.* hoc modo: רָזִי לִי רָזִי לִי Thargum reddidit Secretum.

XIII. Hebræa מְלוּאִים & מִלּוּאִים, quæ Bellarminus interpolare conatur, prorsus sunt ἀλλότρια & ἀπροσδιόνυσα. Ad sacrificia enim pertinent, quæ Sacramentis ἀνυδιαιρέτως. Ratio etiam, quam Jesuita affert, oppidò futilis est & puerilis.

lib. 1. de Sacrament. in gen. c. 8.

XIV. 2. Χριστὸς nomen illud usurpari consuevit *de externis rerum sacrarum & cœlestium signis ac symbolis*, cujusmodi parabolæ de *grano sinapis, de semine, gemma, &c.*

Matth. 13.

XV. Et sic Augustinus Sacramentum accepit pro sacræ rei signo,

Epist. V. ad Marcell. Lib. 10. de C. D, c. 5. lib. 2. contra Petiliani literas c. 104.

XVI. 3. εἰδικῶς & ἰδίως Sacramenta appellantur, actiones sacræ divinitus institutæ, ex elemento visibili & Verbo Elemento visibili addito constantes, quibus bona cœlestia nobis non obsignantur modò, sed etiam exhibentur & conferuntur.

XVII. Ejusmodi in Veteri olim Testamento erant (e) *Circumcisio*, & (f) *Agnus Paschalis.*

(e) Gen. 17. (f) Exod. 12.

XIIX. In *Novo* hodie *Testamento* sunt *Baptismus* & *Cœna Domini*, quorum ille in Circumcisionis: hæc in Agni Paschalis locum successit.

XIX. De *Baptismo* nota est Pauli sententia *Col. 2.* ubi illum vocat περιτομὴν ἀχειροποίητον.

XX. De *Cœna Domini* sic habet Canon Concilij Niceni:

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης μὴ τῷ προχειμένῳ ὄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλὰ ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀδύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον.

XXI. Verùm ut tandem à præcognitis ad Statum Controversiæ nos conferamus: ex Problematis utriq; jam propositi conformatione apparet; quòd *nec de prima nec de secunda*: sed *de tertia* duntaxat Vocis Sacramenti significatione, dimicetur. *Status Controversiæ.*

XXII. Et quidem inter nos & Romanenses, & præcipuè eorum Antesignanum & Protagonistam Bellarminum, qui *Affirmativam* tuetur. Verba ejus hæc sunt:

Apud Catholicos, qui fatentur Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, probamus nomen Sacramenti esse in Scripturis, non solùm in genere, sed etiam in Specie, *id est, ut significat res illas septem, quas propriè Sacramenta vocamus.* l. 2. de Sacram. in gen. c. 7.

XXIII. Nos *Negativam* tenemus, adeoq;, absq; ulla tergiversatione, ultrò subscribimus huic Lutheri sententiæ, in quam Jesuitæ dentem suum stringere volupe:

Non habet universa Scriptura sancta hoc nomen Sacramentum, in ea significatione, qua noster usus, sed in contraria. Vbiq; enim significat non signum rei sacræ, sed rem secretam, & absconditam.

ibidem ex Libro de Captivitate Baby!.

Tom. II. Jen. Lat.

κατακλὴ quadruplex.

XXIV. Inq; hac sententia tamdiu acquiescimus & acquiescemus, donec Jesuita protulerit, vel unicum saltem exemplum, quo affirmativam probaverit suam.

XXV. Adducit quidem dictum Apostoli ad Ephes. 5. ubi de Conjugio tale edit pronunciatum:

Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum sive, (ut habetur græcè) Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

1. XXVI. Sed in hac allegatione ὁ τὲ ἐν δεχῇ λαμβάνῳ. Anteà enim demonstrandum Jesuitæ, quòd Conjugium sit Sacramentum, cum baptismo & cœna Domini, σωωνύμως sic dictum. Id verò non priùs demonstraverit, quàm ad Calendas Græcas.

2. XXVII. Deinde ἑτερεζητήσεως & τῆς ἀγνοίας ἔλεγχον plusquam Jesuiticè, id turpissimè committit. Non enim quæstio est de voce Sacramenti γνωκώτατα sic dicti, quo sensu Conjugium Sacramentum, vel mysterium potius, certa χέσῃ, ab Apostolo nuncupari, nemo iverit inficias: sed de significatione *propria ac speciali.*

3. XXVIII. Addè, quòd Conjugium ab Apostolo mysterij appellatione insignitur, non καθ' ἀυτὸ: sed κατ' ἄλλο *non sui: sed antitypi sui*, id est, Spiritualis illius inter Christum Sponsum & Ecclesiam ipsius Sponsam Conjugij, respectu.

XXIX. Huc enim & non illuc digitum quasi indicem tendit & intendit, dum scribit:

Mysterium hoc magnum est, verum ego lòquor (NB.) De Christo & de Ecclesia:

4. XXX. Et quid multis? Jesuita ipse causæ, cujus patrocinium susceperat, planè diffidit, vi veritatis ad ingenuam hanc adductus & adactus confessionem:

Apud hæreticos autem, qui Matrimonium non admittunt esse Sacramen-

mentum propriè dictum, Non possumus probare ex Scripturis *nomen Sacramenti, ut est nomen* Specificum & Proprium *nostrorum Sacramentorum. Nusquam enim in Scriptura Baptismus, aut Eucharistia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut etiam Confirmatio aut Vnctio, Mysterium vel Sacramentum appellatur.*

XXXI. Cæterùm licèt sacramenti Vox non sit, terminus, κατὰ τὸν λέξιν, ἔγγραφος adeoq; *Biblicus*: est tamen terminus *Ecclesiasticus*, id est, ab Ecclesia in usum receptus publicum, & dudum approbatus. *Occurritur ijs, qui ab usu vocis Sacramenti abhorrent, quia* ἄγραφος.

XXXII. Qua in re Ecclesiam dispensare posse, si modò ipsum τὸ πρᾶγμα, quod terminis indigitatur, sacris in literis fundatum, ἐπαγωγῇ complurium exemplorum, si opus, planum facere possumus quàm facilimè.

XXXIII. Meritò igitur cum Luthero damnamus & explodimus insaniam monstrosi illius Zwinglio-Calvinianorum Patriarchæ Carolostadij; de qua Megalander ille:

Auffs erste/ lieben Kinder/ wie macht sich der Geist so vnnütz/ vber dem Wort vnd Nahmen (Sacrament) da hat die Saw ein Pantzer an/ schande ists/ das man dauon sol handeln. Aber doch/ weil der Geist so herrlich herfehret/ Christus vnd die Aposteln habens nicht so genennet. Er wolle ein Wort aus der Bibel haben. Gott gibt seinen Creaturen Namen/ wir Menschen sollen nicht Nahmen geben Göttlichen dingen. Zu letzt wird er ein Jüde/ vnd heissets Sekerment/ wie die Jüden vns Christen spotten/ vnd heissens Seker-Theminich/ das heist ein falsch gleichnis.

Tom. 3. Jen. G. fol. 62. in lib. contra Cœl. Proph. mox ab initio p. 2.

XXXIV. Sed opponit Jovis illius Tarpeji Vulcanus Lutherum Luthero, hæc è libro ejus de abroganda Missa, non absq; indignatione, verba proferens:

Pia & fidelis conscientia meritò & dignè pavere debet, ne hoc sacrificium appellet, aut credat, quod certissima est apud Deum & in Scripturis non dici sacrificium, & hoc solùm appellet Sacrificium, quod constat à Deo vocari Sacrificium. Quæ enim furentior est temeritas, suum os in cœlum ponere, ut hoc sacrificium, & cultum Dei dicas, quod ille non dicit sacrificium, & cultum Dei.

XXXV. Quid? mox hanc ipse, pro suâ qua valet, in Babylone Romana, autoritate Cardinalitia, hanc superaddit Παρεσιν:

Cum igitur Lutherus affirmet, furentem esse temeritatem uti nominibus in rebus Dei significandis, quibus Deus ipse in Scriptura non utatur: certè colligitur non ei placuisse, ut hoc nomine uteremur.

XXXVI. Verùm λῆρον λήρῳς ἐπεσβόλε. Luthero enim non de Sacramento: sed de Sacrificio termo est, idq; furentem temeritatem appellat, quòd Romanenses Cœnam Domini venditent pro sacrificio, licèt neq; κατ' ὄνομα neque κατὰ πρᾶγμα illud sacris è literis evinci possit.

Conclusio. XXXVII. Concludimus proindè: Vocem Sacramenti quidem ἄχρα φορ esse: ab usu tamen ejus non abhorrendum, quandoquidem res voce hac notari solita ἄχρα φ:

Εἰ τοίνυν τὰ πράγματα ὁμολογοῦμεν·
Τί δήποτε φιλονεικοῦμεν τὰ ὀνόματα?

Inquit Theodor. dial. 2.

PROBLEMA II.

An omnium Sacramentorum tum Veteris, tum Novi Testamenti eadem sit ratio.

Affirmativa Calvinianorũ absoluta. XXXIIX. Calviniani *absolutè* defendunt *Ajentem* istius Problematis partem, sine certè non alio, quàm ut eò securiùs imponant Ecclesiæ, veram & essentialem Corporis & Sanguinis Christi in Cœna præsentiam: in umbratilem & σκιαγραφικὴν repræsentationem, transformando.

XXXIX. Juvat, majoris fidei gratia, ipsos loquentes audire.

Grynæus Vol. 2. Disput. Theol. pag. 125.

Signis Sacramentalibus Dei consilio mutatis, res eadem manst.

Item.

Si unus idemq; crucifixus Christus, Res est utriusq; Testamenti Sacramentis repræsentata: tunc sequitur, abolitis Veterum Sacramentis eandem rem mansisse. Verum est, quod antecedit, ut solidissimè evincit Paulus, quando Patribus nostra, & nobis Patrum Sacramen-

ta tribuens, ostendit communem utriuq; esse Aspersionem sanguinis Christi, almoniam spiritualem, cordis circumcisionem: Et ut numero dicam, Christum. Verum igitur est quod loquitur. Colligimus itaq; & Patres spiritualiter manducasse Christi Iesu Corpus, & bibisse illius sanguinem.

Orthodoxus consensus cap. 3. fol. 129.

Constat ex his, quod non solùm Nullum *inter veteris & novi Testamenti sacramenta discrimen aliquod statuatur, quantum attinet ad res ipsas: sed nec quò ad modum præsentia & conjunctionis rerum cum signis.*

Item.

Non *itaq;* Magis realiter existunt, *& corporali præsentia continentur res in novi, quàm in Veteris* Testamenti Sacramentis: *sed sicut in Manna, ita etiam in pane* Christus *intelligitur, eaq; propter panis & manna, idem Spiritualis cibus esse dicitur.*

XL. Ejusdem fecis & farinæ est istud Bezæ, βωμολόχλυμα, in Dialogo, quem inscripsit χρεωφαγίαν sive, Cyclopem volum. 1. fol. 284.

Idem est utriusq; author, nempe Deus: *idem finis, nempe gloria Dei in salute electorum*: eadem materia, *nempe* Christus, *inquam, non tantùm efficacia tenus, sed etiam* Essentia. Totum *enim oportuit ab initio communicari* Ecclesiæ.

XLI. Ejusdem coloris & odoris floscules legere licet, Apud Anatomicos Marpurgenses. *fol. 40, 41.*

Lutheranorũ Responsio per distinctionem, qua ostenditur Sacramentorũ V. & N. T. ταυτότης quintuplex.

XLII. Nos *nostram* ad quæstionem propositam *Responsionem* expedimus per *distinctionem* inter ea, quæ *omnibus promiscuè Sacramentis utriusq; Testamenti communia*: *interq; ea*, quæ *Sacramentis* Novi Testamenti, præ Sacramentis Testamenti Veteris, *propria.*

XLIII. *Omnibus promiscuè Sacramentis* utriusq; Testamenti *communia* sunt hæc *generalia* numero quinq;.

XLIV. 1. *Causa efficiens*, eaque Deus τρισμέγιστος, cujus solius est Sacramenta instituere, & τὰ θεολατρικὰ sancire; nullius verò Angeli, nedum Papæ aut alterius hominis, cui (f) τὰ τῆ πνεύματος μωρία.

Esa. c. 29, 13. Matth. 15, 9, 13. Gal. 1, 8.

(f) *1. Cor. 2, 14.*

2. XLV. 2. Quod ad cujuſq; Sacramenti σύστασιν requiritur *Verbum* pariter & *Elementum*, juxtà illud vulgò notum Auguſtini:

Accedat Verbum ad Elementum, & fiet Sacramentum.

tractat. 80. in Johan.

3. XLVI. 3. Quod ad ſalutarem cujuſq; Sacramenti perceptionem & uſum accedere oportet *fidem*, de qua in *Auguſtana Confeſſione*:

Vtendum eſt Sacramentis ita, ut Fides *accedat, quæ credat promiſſionibus, quæ per Sacramenta exhibentur.*

Articul. 13.

4. XLVII. 4. *Finis* in hoc conſiſtens, *ut Sacramenta ſint ſigna & teſtimonia Voluntatis Divinæ erga nos ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, propoſita*; ſicut iterum habent verba *Auguſtanæ Confeſſionis* in Articulo, cujus jam facta mentio.

5. XLIIX. 5. *Fructus ſalutaris* conſtans perfruitione beneficiorum Chriſti, cujuſmodi gratia Dei, juſtitia, donatio Spiritus ſancti, &c.

2. Διαφορὰ. XLIX. *Proprium* verò Sacramentis Novi Teſtamenti præ Sacramentis Teſtamenti Veteris eſt *ſpeciale* vel *ſingulare* potius quoddam κεφάλιον.

L. Quale verò illud? Chriſtus non ampliùs ἄσαρκος, ſicut in Veteri olim Teſtamento: ſed ἔνσαρκος, qui Novi Teſtamenti *Subſtantia, Corpus & Viva εἰκών*, cujus Patres typum ſaltem, & tenuem σκιὰν habuerunt.

Confirmatio. LI. Fidem facimus huic noſtræ aſſertioni ὀρθοδοξοτάτῃ partim γνωμικῶς & ἀτέχνως: partim ἀποδεικτικῶς & ἐντέχνως.

LII. Et γνωμικῶς quidem ſolennibus Inſtitutionis Cœnæ verbis, quibus Salvator fœderali illi Veteris Teſtamenti formulæ (g) *Hic eſt ſanguis Teſtamenti*: duas voces κατ' ἔμφασιν, ἀντιθέσεως evidentiſſimæ gratiâ, interſeruit.

Hic, inquiens, *eſt Meus Sanguis Novi Teſtamenti.*

Matth. 26, 28.

(g) *Exod. 24, 8. Hebr. 9, 2.*

LIII. Innuit nempe, imò digito quaſi indice oſtendit: ſe in Novo Teſtamento non ſanguinem quendam typicum, qualis in Veteri olim Teſtam. ſanguis brutorum, nobis bibendum exhibere? ſed Suum, Suum inquam Ipſius ſanguinem, Novi Teſtamenti ſubſtantiam, umbris typiſq; Veteris Teſtamenti, ſaltem præfiguratam.

54. Dum-

LIV. Ἀποδειπτικῶς verò pro confirmatione noſtræ ſententiæ ſic argumentamur:

Si tale eſt diſcrimen inter Vetus & Novum Teſtamentum: quale inter typum & archetypum; *quale* inter σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν: & ipſam εἰκόνα τῶν πραγμάτων: *quale denique* inter figuras & rei præfiguratæ Corpus & ſubſtantiam: *tum ſequitur, quod idem quoque diſcrimen inter Veteris & Novi Teſtamenti Sacramenta.*

Atqui verum prius,

Ergo & poſterius.

LV. Firmitudo nexus in *Copulato* conſtat axiomate hoc Theologico: *Sacramenta imitantur naturâ ejus Teſtamenti, cujus ſunt Sacramenta.*

LVI. Veritatem *Aſſumpti* comprobant & evincunt hæc Scripturæ oracula pondere verborum graviſſima:

Col. 2. *Ne quis Vos judicet, in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut novilunij aut Sabbathorum, quæ ſunt* Umbra *rerum futurarum:* Corpus *autem Chriſti.*

Hebr. 8. *Sacerdotes offerunt juxta legem donaria, qui quidem* Exemplari & Umbræ (ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ) *deſerviunt cæleſtium.*

cap. 10. *Lex* Umbram *obtinens futurorum bonorum:* Non ipſam Imaginem *rerum.*

LVII. His calculum adjiciunt *Patres* Orrhodoxi, tàm *Græci* quàm *Latini:* *Suffragia Orthodoxæ Antiquitatis.*

Chryſoſt. in 5. cap. 2. ad Cor.

Pro manna: habemus Corpus Dominicum, *pro aqua Petræ:* ſanguinem è latere.

Ambroſius de his, qui initiantur myſt. c. 9.

Conſidera uter præſtantior ſit, panis Angelorum, an verò Chriſti Caro, *quæ utique eſt corpus Vitæ: Illis aqua è Petra fluxit: tibi* ſanguis è Chriſto.

LIIX. *Et hactenus ὀρθοδοξίας* noſtræ *Confirmatio:* accingimus nos ad ψευδοδοξίας Sacramentariorum *confutationem*, quam per ἀπαγωγὴν εἰς ἄδυνατα καὶ ἄτοπα, inſtituere allubeſcit. *Confutatio Sacramentariorum per deductionem ad abſurda.*

LIX. Si enim etiam quoad ſubſtantiam Sacramentorum utriuſq; Teſtamenti eadem ratio, tum plurima ex Lerna iſthac, propullulabunt abſurditatum capita.

LX. Sequetur unum & non duo eſſe Teſtamenta, quod abſur-

dum, & Theologiæ (*h*) Christi (i) *Prophetarum* & (k) *Apostolorum* è diametro adversum.

(h) *Matth. 26, 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20.* (i) *Ier. 31, 31.*
(k) *1. Cor. 11, 25. 2. Cor. 3, 6. Gal. 4, 24. Heb. 7, 22. 8, 6. 9, 15. 6. 12, 24.*

LXI. Sequetur insuper Vetus Testamentum nondum esse abro-
2. gatum; quod item absurdum & contrarium doctrinæ Spiritus S.
Ier. 31, 31. Heb. 8, 13.

3. LXII. Sequetur præterea utrumq; Testamentum absolvi umbris & typis, ac proinde parem utriusq; esse obscuritatem, id quod pariter absurdum est, & manifestè pugnat cum locis Scripturæ paulo antè allegatis, quibus consonat illud, quo Vetus Testamentum *Nocti*: Novum autem *Diei* comparatur. *Rom 13, 12.*

4. LXIII. Sequetur deniq; Christum fuisse Verum hominem etiam ante incarnationem (siquidem *omnis relatio* cujusmodi Calvinianis Sacramenta, *vertitur inter simul existentia*) quod iterum perquam absurdum, & ab Apostolo refutatum. *Gal. 4, 4.*

Diluitur argumentulum Calvinisticũ, ostenso duplici paralogismo.

LXIV. Grynæi & aliorum Calvinistarum argumentatiunculam quod attinet: bella sanè est illa: sed planè imbellis. Cornu enim, quo nos ferire debebat, sibiipsi atterit & obtundit *duplici* paralogismo.

LXV. *Vnus* est *Petitio principij*, quia pro concesso arripitur: Christum crucifixum esse rem, utriusq; Testamenti Sacramentis *repræsentatam.*

5. LXVI. In Cœna enim Domini, Christus crucifixus, *non* nudè *repræsentatur*: sed suum ipse corpus pro nobis crucifixum nobis edendum; & suum ipse sanguinem pro nobis in cruce effusum, bibendum porrigit, *non absens sed præsentissimus*, non tantùm quà *Deus*, sed etiam quà *Homo.*

6. LXVII. *Alter* est, *confusio κοινωνίας* beneficiorum Christi, quæ fidelibus utriusq; testamenti communis: cum *κοινωνία* Substantiæ Sacramentis novi Testamenti propria; Breviter: *Bona eadem sunt: Horum verò bonorum media πάρεκτικὰ καὶ Δοδοτικὰ longè diversissima*

Conclusio.

LXIIX. Meritò proinde damnationis calculo notamus impium Gentis Sacramentariæ errorem, quando indistinctè asserunt: *Idololatriam esse: aliam Christi κοινωνίαν in N.T. Sacramentis quærere, quàm quæ fuit in Sacramentis V. T.* Ursinus in Comp. Theol. p. 506.

PRO-

PROBLEMA III.

Quot sint Novi Testamenti Sacramenta propriè sic dicta.

LXIX. *Sacramentis* Numero Paucissimis, *observatione facilimis, significatione præstantißimis, Societatem novi populi colligavit*, inquit illa ὀρθοδοξίας στήλη *Augustinus*; *lib. 3. de Doctr. Christ. c. 9.*

LXX. Quid contrà *Romanenses*, E Sacramentis numero paucissimis, numero plurima gignunt finguntq́; *Romanensium ψευδοδιδασκαλία.*

LXXI. Baptismo enim & Cœnæ Domini, quæ duo sola sunt Sacramenta Novi Testamenti γνήσια, annumerant insuper *quinq́*, alia planè νοθευόμενα, ut *1. Confirmationem, 2. Pœnitentiam, 3. Extremam unctionem, 4. Ordinem & 5. Matrimonium.*

LXXII. Sic enim Væjovis illius Romani Armiger Bellarminus; lib. 2. de Sacram. in gen. c. 24.

Quantum ad secundum sententia Catholicorum una est, ac semper fuit, septem esse Propriè Dicta Sacramenta.

LXXIII. Huic autem commento funditùs evertendo nos adhibemus unicum Arietem Syllogisticum: *Ejusdem Refutatio per Syllogismum cujus 3. μέσον.*

Quæcunq́ ab Ecclesia saltem tradita: in sacris verò literis expressè non fundata; & insuper requisita Sacramentorum Novi Testamenti, Baptismi & Cœnæ Dominicæ, non recipiunt & admittunt, *& denić* Antiquitati Orthodoxæ ignota, *ea in Catalogum Sacramentorum Novi Testamenti adscribi nec debent, nec possunt.*

Atqui talia sunt quinq́ illa Romanensium, Sacramenta fictitia & suppositiitia, *Ergò.*

LXXIV. Cornua hujus arietis *tria* sunt, quæ quomodo singula scopum nobis propositum feriant, ordine dispiciendum.

LXX. I. *Quòd Sacramenta illa non Sacramenta sint traditio Ecclesiæ, & non articulus fidei in Scriptura expressè fundatus*: propriâ Confessione attestantur Antagonistæ ipsi: I.

Gregor. de Val. tom. IV. controv. disp. 3. quæst. 6.

Quod Ecclesia Christi de ratione & numero Sacramentorum tradit, id Quamvis expressè in Scriptura non declaratur, *sine ulla tamen dubitatione credendum est.*

Sed Ecclesia Christi *tradit esse septem Sacramenta novæ legis, neq; bis plura vel pauciora.*

Ergo ita prorsus credendum est.

LXXVI. Corraduntur quidem Scripturæ quædam testimonia & proponuntur à Bellarmino: sed planè ἀπροσκόπως. Extra stadium currunt omnia & sunt λόγοι ἔξω λόγου.

„ LXXVII. *Non* enim quæritur, quid Christus & Apostoli fece-
„ rint: *sed* num mandato & ordinatione certa, tales ritûs institue-
„ rint, qui æquè, ut Baptismus & Cœna Domini, sint Sacramenta
„ verè ac propriè sic dicta.

LXXIIX. II. *Quod Sacramentis Romanensium* ψευδωνύμοις *non competant requisita Sacramentorum Novi Testamenti*, cujusmodi sunt Baptismus & Cœna Domini: abundè docet & demonstrat *Chemnitius*, (l) in Examine Decretorum Concilij Tridentini, ubi VIII. colligit proprietates, quæ requiruntur, ut aliquid sit verè ac propriè Sacramentum Novi Testamenti.

(l) *Disput. de Numero Sacram.*

LXXIX. Jam si coneris requisita illa ad quinq; Romanensium Sacramenta applicare: deprehendes utiq; quod ne uni quidem illa competant singula & universa; id quod tamen ad cujusq; Novi Fœderis Sacramenti σύστασιν omninò necessarium.

LXXX. Et quod diligenter notatum volumus, fatentur Romanenses ipsi, quòd non omnia ipsorum Sacramenta habeant mandatum Dei, quod tamen Sacramentorum cor & anima. *Non omnia Sacramenta, quæ ipsi defendimus, habent nostra sententiâ mandatum Dei* scribit Gregorius de Valent. *tom. 4. Controv. disput. 3. quæst. 6.*

LXXXI. III. *Quod commentum illud Pontificium Orthodoxæ Antiquitati ignotum*; adeò planum est & certum, ut Bellarminus ipse originem numerationis septem Sacramentorum referat, ad tempora Longobardi, vel Magistri sententiarum, quem demum circa annum Christi 1154. Librum sententiarum, in quo alijs & hanc καινο-καὶ κενοδοξίαν intermiscuit, scripsisse constat.

LXXXII. Verba Jesuitæ hæc sunt:

Primum est omnium Theologorum, & proinde totius Ecclesiæ ab annis ut minimum C. D. *Nam Magister sentent. lib. 4. dist. 2. & omnes inde Theologi septem Sacramenta esse tradiderunt.*

Lib. 2. de Sacr. in gen. c. 25. 83. Eidem

LXXXIII. Eidem rei indicio est, quòd mancipia Longobardi Scholastici tam futiles & elumbes pro septenario sacramentorum Novi Testamenti numero consarcinarunt ratiunculas, ut Bellarminum ipsum earum pudeat; ideoq; hac ἀποδιώξει earum recitationem concludit, vel præcidit potiùs:

Sed hæc levia sunt.

lib. II. de Sacr. in gen. c. 26.

LXXXIV. Quare ne & nos leviter agere velle videamur, levia isthæc levibus relinquentes, pedem hîc figimus,

Legatur Lutherus in l. de Capt. Bab, Tom. II. Ien. Lat. f. 259.

DE BAPTISMO,

Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE

M. GEORGIO FLADUNGO

Gotthano Thuringo.

Ad diem 22. Iunij. horis locoq; consuetis.

PROBLEMA IV.

An Sacramenta Novi Testamenti nihil sint aliud, quam duntaxat signa?

PROPOSITIO I.

VThujus Problematis πρῶτον καὶ ἀναγκαιότατον existat ἐξάπλωσις: prima omnium cura & cogitatio suscipienda est, de περιγραφῇ terminorum.

II. Quorum duo 1. διδόμενον: 2. τὸ ζητούμενον designat.

III. Τὸ διδόμενον est, τὸ *Sacramentum*, de cujus vocis significatione, quæ juxta Platonem, δήλωμα καὶ μίμημα τοῦ πράγματος, in nuperâ περιγραφῇ. I. περίγραφις τῶν ὅρων.

IV. Τὸ ζητούμενον verò est, nomen *Signi*, quod *bifariam* accipi consuevit, in præsenti hac doctrina de Sacramentis.

V. 1. ἡγουμένως & *primariò* Sacramenta dicuntur, & sunt signa vel σύμβολα παρεκτικὰ, σφραγίδα, μεταδοτικὰ, *exhibentia, offerentia & conferentia*, & partim etiam *obsignantia*, certo respectu, quo circumcisio ab Apostolo nuncupatur σφραγὶς Rom. 4. 11.

VI. Et in hac significatione signi appellatio vicissim *duobus* usurpatur modis, quemadmodum etiam Sacramenti.

VII. *Uno μερικῶς* pro *parte* saltem Sacramenti & pro *re terrestri* vel *elemento visibili*, cujusmodi *in Sacramento* Cœnæ, *Panis & Vinum*.

IIX. Officium hujus signi est, *semper conferre rem cœlestem, & thesaurum invisibilem*, cum elemento visibili Sacramentaliter unitum, v. g. *in Cœna Domini, corpus Christi cum pane, ejus Sanguinem cum Vino*.

IX. *Altero*, ὁλικῶς, *pro toto Sacramento* constante ex utraq; sua parte σύστατικῇ, *terrestri pariter & cœlesti* Sacramentaliter unitis, ut in Cœna Domini, *ex pane & corpore, itemq; ex vino & sanguine Christi*.

X. Signum hoc spectat *spiritualem* Sacramentorum *fructum*, ut, *in Cœna Domini remissionem peccatorum*.

XI. Estq; officium ejus in *duplici* vicissim differentia, respectu, διχοτομίας eorum, qui Sacramentis utuntur, quorum Quidam *Fideles & Digni*: Quidam *Infideles & Indigni*.

XII. *Fidelibus & Dignis* fructum Sacramentorum *non solùm offert: sed oblatum confert* etiam, *& collatum* insuper *obsignat*.

XIII. *Infidelibus* autem & *Indignis* eundem quoq; *offert* quidem: sed oblatum *neq; confert neq; obsignat*.

XIV. Causa hujus privationis, *non* est *intentio & ordinatio* Christi, cujus quippe respectu (est enim ἀπροσωπολήπτης) fructus Sacramentorum salutaris omnibus & singulis illis utentibus non tantùm offertur: sed etiam conferri debebat.

XV. *Verùm incredulitas Indignorum*, qua intentio & ordinatio Christi, quo ad participationem non substantiæ quidem: sed fructûs Sacramentorum spiritualis, *per accidens*, intervertitur.

XVI. Et tantùm de *priore* acceptione Nominis signi: 2. ἀπομένως & *secundariò* Sacramenta dicuntur Signa σημαντικὰ & σημειωτικὰ *Significativa & Signativa*.

XVII. *Signatum* eorum est *promissio gratiæ* vel *fructus* Sacramentorum *spiritualis*, quem Sacramentalis actio certo modo significat & quadam χέσει adumbrat.

XIIX. Et quanquam sanè Sacramenta ὁλικῶς considerata non incurrunt in oculos, hocq; respectu, pro signis visibilibus & significativis haberi nequeunt: μερικῶς tamen considerata, pro talibus utiq; haberi possunt ac debent.

XIX. Et quidem partim *ratione rerum terrestrium* ut aquæ panis & vini: partim *ratione externæ actionis*, quæ utræq;, tum hæ, tum illæ, visibiles sunt, & oculorum sensui expositæ.

XX. Et sic Sacramenta rectè sunt & dicuntur signa *visibilia*, quamvis res cœlestes in sensus non incurrant; quandoquidem illa Signa non merè σημαντικὰ: sed simul etiam *maximeq; præcipuè* μεταδοτικὰ.

XXI. Quo respectu, accuratioris distinctionis gratiâ, à nonnullis appellantur *Signa mixta*, eò quod partim *visibilia*, ratione videlicet *rerum terrestrium*, & *actionis externæ*: partim autem *invisibilia*, ratione nimirum *rerum cœlestium*.

XXII. Quibus ita, ὡς ἐν παρέργῳ, prædelibatis, facilè intelligitur, quæ nostra sit de proposito Problemate sententia, quam ne συγκεχυμένως tantùm, ijs quę dicta hactenus *involvisse*: sed διωρισμένως etiam *evolvisse* judicemur: en jam exhibemus eam duobus hisce thematibus inclusam.

II. *Theses doctrinæ Lutheranæ.*

XXIII. 1. Sacramenta certa χέσει & modo posse appellari Signa σημαντικὰ, quatenus diverso respectu, vel rem cœlestem, vel promissionem gratiæ, quadantenus significant & adumbrant, non inficiamur.

1.

XXIV. Et nota est *Augustini* definitiuncula, qua *invisibilis gratiæ visibilia signa* dicuntur, annotante etiam (a) *Lombardo* & (b) *Thoma de Aquino*.

(a) *Lib. IV. Dist. 1. lit. B.*
(b) *part. 3. quæst. 6. art. 1.*

XXV. 2. Quòd autem Sacramenta nihil sint præterea, nisi pura puta signa σημαντικὰ, & non simul, & *primatiò* quidem signa μεταδοτικὰ: id illud est, quod modis inficiamur omnibus.

2.

III. *Διάστασις Sacramentariorum.*

XXVI. *Sacramentarios* verò quod attinet: in duo hîc, sicut & in qui-

quibuſdam alijs ſuæ σολιοδοξίας partibus, ſcinduntur agmina, quorum unum *Craſſos*: alterum *Subtiliores* complectitur.

XXVII. *Craſſorum* agmen ducit Zwinglius voce non aſſa, ſed ſupra modum craſſa clamitans:

De peccato Originis:

Signa: (id eſt Sacramenta) *Nihil, Quam externæ res ſunt, quibus Nihil in conſcientia efficitur.*

Idem repetit in Reſp. Secunda ad Confeſſ. Lutheri.

XXVIII. Præcentori huic ſuo, voce æquè craſſa ſuccinunt: *Bucerus, Bullingerus, Zanchius*, & præſertim Gallus ille *Toſſanus*, ſine omni rubore aſſerens:

Falſo à nobis doceri Sacramenta Novi Teſtamenti eſſe à Deo inſtituta, ut ſint Inſtrumenta ſeu Media, per quæ Chriſtum unà cum remiſſione peccatorum accipiamus. Sacramenta enim Novi Teſtamenti non habere reverà & eſſentialiter in ſe theſauros & cœleſtia bona, quaſi per illa nobis donetur remiſſio peccatorum: ſed Tantum *eſſe Signa & Sigilla.*

Contr. D. Marbach. p. 234.

XXIX. Qui *Subtiliores* videri volunt: ſimulant quidem: ſe hanc Sacramentorum extenuationem Zwinglianam improbare: interim tamen hoc agunt, ut, quantum in ſe, tum rem cœleſtem, tum fructum Sacramentorum, ab illis longiſſimo diſgregent intervallo.

XXX. Inter hos præcipui ſunt (c) *Curæus* & *Beza*, quorum ille Carolſtadium, Oecolampadium & Zwinglium Sacramenta nimium extenuaſſe ſcribit: hic opinioni illi, de nuda ſignificatione, verbis hiſce proprijs dicam ſe ſcribere videri cupit:

Sacramenta inſtituta ſunt à Deo, non tantùm ut nos admoneat, ſed etiam ut cœleſtia pignora, id eſt, corpus & ſanguinem Domini, ſingulis det & applicet.

Volum. 1. p. 286.

(c) *in Exegeſi fol. 88.*

XXXI. In eodem tamen Dialogo eò omnes νῦ ἀδοκίμως nervos intendit, ut evincat, corpus & ſanguinem Chriſti in Cœna realiter & eſſentialiter non adeſſe.

XXXII. Hunc enim in modum expreſsè ſcribit:

Volum.

Volum. I. p. 260

Quatenus dicamus Christi corpus & sanguinem abesse jam antea sum testatus, hactenus videlicet, ut sciamus, illa nunc esse in cœlis, & non alibi, sicut verbum Dei docet, nos autem in terris, non alibi; Sed tamen inenarrabili Spiritus Dei *virtute fieri, ut sicut verbo & symbolis panis vini testificatur Deus, illo ipso corpore pro nobis crucifixo, & sanguine pro nobis effuso spiritualiter per fidem pascamur ad vitam æternam; quia fidei est præsentissimum, quod tanto locorum intervallo est disjunctissimum.*

Et iterum p. 270.

Cum pane realiter & essentialiter adesse corpus Christi, & à pijs juxtà & impijs percipi, ubi tandem dixit Christus vel Paulus?

XXXIII. Et quis est, qui non audierit horrendum istius Lupi Genuensis ululatum, quem A.C. 1561. edidit in Gallia in Colloquio Poissiaceno:

Quod ad spacia locorum attinet, corpus Christi tanto locorum intervallo, à pane & vino sacræ Cœnæ distat, quantum cœlum à terra distat.

Osiander Cent. XVI. f. 727.

XXXIV. Et quis insuper est, qui non legerit blasphemam blasphemi illius hominis orationem in Actis Coll. Momp. f. m. 472.

Idem in Baptismo quoq; fit, quem multa millia infantum accipiunt, qui tamen Nunquam *regenerantur, sed in æternum pereunt.*

XXXV. Et quid multis? *Parte II. Ref. ad Coll. Momp. pag. 117.* uno hoc vomitu, quod in pectore clausum gesserat hactenus, egerit:

Neq; Verbo, neq; Sacramentis, Ultra *significationis usum, vel* Tantillum *virtutis tribuendum est.*

XXXVI. Sed, ut paucis nos expediamus, obvertimus Genti Sacramentariæ hunc Syllogismum ἐλεγχτικὸν: IV. ἔλεγχος.

Si Sacramenta tantùm sunt Signa significantia & non simul etiam ac principaliter exhibentia & conferentia, tum tollitur 1. discrimen inter Vetus & Novum Testamentum, 2. intentio Christi in eorum institutione evacuatur, nec 3. dici potest, quòd ea obsignent gratiam Dei.

Atqui posterius ipsa absurditate est absurdius.

Ergò.

XXXVII. *Tria* Corpus istud Syllogisticum in se membra continet, quorum singula jam, instituta quasi Διαρθρώσει, ordinè veniunt consideranda,

1. XXXVIII. *Primum* est, quòd *tollatur discrimen, inter Sacramenta Veteris & novi Testamenti.* Si enim Sacramenta Novi etiam Testamenti significandi solum vim habent: rerumq; cœlestium & fructuum exhibitio ijs negatur: quid aliud supereſt, quàm typorum & figuratum ratio umbratilis?

XXXIX. Atqui hæc ipsa est essentialis differentia inter Vetus & Novum Testamentum, sicut in ἐξηγήσει II. Problematis hujus Decadis accuratiùs explicatiusq; traditum.

2. XL. *Secundum* est, quòd *evacuetur* Atheologiâ τῶν μυστηριομάχων *intentio Christi* in Sacramentorum institutione, quæ certè non eò directa, ut aqua sit signum ablutionis peccatorum: sed ut (d) *ex aqua & Spiritu regeneremur*, & ut lavacro hoc *pleno gratiæ*, sicut *Lutherus* θεολογικώτατα loquitur, (e) *ab ipsis emundemur*, & (f) *salvemur.*

(d) *Ioh. c. 3, 15. Tit. 3, 5.*
(e) *Act. 22, 16. 1. Pet. 3, 21.*

XLI. Pari ratione Cœna Domini non ideò instituta est; ut panis & Vinum sit repræsentatio Corporis & Sanguinis Christi σημαντικῶς: sed ut edamus ac bibamus his mediantibus symbolis, ipsum ipsius Christi corpus & sanguinem in remissionem peccatorum σωματικῶς.

XLII. Summa: ex intentione Christi Sacramenta debent esse: *non Signa significantia*: sed *Media exhibentia.* Exhibitio *finis* est Sacramentorum: Significatio autem, si velimus ἀκριβολογεῖν, saltem *adjunctum.*

3. XLIII. *Tertium* deniq; est, quòd ex Sacramentariorum Pseudodogmate, sequatur, ea ne obsignationem quidem gratiæ Dei præstare, quam tamen illi nunquam non pomposè admodum crepant.

XLIV. Obsignatio enim est rei exhibitæ obsignatio: Jam tolle exhibitionem à Sacramentis: annon eâdem opera tolles quoque obsignationem?

XLV. Sed de hac Controversia suo inferiùs tempore & loco ἐνδικωτέρως: jam hæc χρεῖα, pro re nata, sufficiant.

PRO-

PROBLEMA V.

An Sacramenta Novi Testamenti ex opere operato conferant gratiam?

XLVI. Jam modò cum *Sacramentiperdis*, qui in castra Antichristi *Orientalis* transitum meditantur, dimicavimus: nunc cum Romanensibus, qui sub Antichristo *Occidentali* merent, collatis quasi signis, nobis depugnandum.

XLVII. Docent nostræ Ecclesiæ Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato: sed requiri ad salutarem fructûs eorum perfruitionem, veram fidem, ut ὄργανον ἀνυλληπτικὸν, qua gratia à Deo in Sacramentis oblata, ab utentibus Sacramentis apprehendenda. I. *Doctrina puriorisEcclesiæ.*

XLIIX. Unde Regula, in Ecclesijs Scholisq; Lutheranis, decantatissima: *Sacramenta sine fide non prosunt: sedobsunt Vtentibus.*

XLIX. Romanenses contrà insurgunt suumq; opus operatum ardore summo propugnant.

L. Hinc Canon ille Conciliabuli Tridentini: II. *OpinioRomanæEcclesiæ.*

Sess. 7. Can. 8.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

LI. Hinc disputatio Bellarmini, qua, quòd Sacramenta gratiam conferant, ex opere operato, operosè probare nititur.

Lib II. de effectu Sacramenti c. 3, 4, 5, 6, 7, 8.

LII. Sed operâ planè frustranea. Testimonijs enim Scripturæ, quæ seriè benè longa conglomerat, plus non evincit, quàm quòd Sacramenta ex promissione, ordinatione & institutione Dei, sint media & organa non ἄεργα: sed ἐνεργήσαντα, quibus Deus suam nobis ministret gratiam & operetur in nobis salutem.

LIII. Id quod nos nequaquam negamus; sed adversus, μυσταγωγίαν Zwinglio-Calvinianos intrepidè propugnamus.

LIV. Ubi ergò, quærat aliquis, controversiæ istius cardo vertitur? III. *Cardo Controversiæ.*

Resp. In hoc: An vis & efficacia illa conferendi gratiam & operandi salutem *inhæreat* Sacramentis, ut *accidens* quoddam *Physicum*, veluti

veluti calor igni, conducens ex opere operato, non interveniente fide.

LV. Hoc probandum Jesuitæ, si probus audire voluerit: Hic est scopus ad quem ipsi collimandum.

LVI. Ab hoc verè quia aberrat Archisophistica: operam & oleum omne perdit in tota sua Disputatione, adeoq; non cum Lutheranorum dogmate: sed cum proprio cerebelli sui phantasmate inaniter conflictatur.

IV. *Confirmatio doctrinæ Lutheranæ triplex.*

LVII. Nos nostram munimus doctrinam his, quæ sequuntur, fundamentis, Romanensium idolo ex adverso oppositis.

LVIII. Inter hæc primum tribuimus locum manifestis Scripturæ *dictis*, quibus fides partim (g) *explicitè*, partim (h) *implicitè* requiritur ab ijs, qui fructûs Sacramentorum participes fieri caveant:

1. (g) Marc. 16, *Qui* Crediderit *& baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò* Non Crediderit *condemnabitur.*

(h) Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua*, Invocato *nomine* Jesu. (Quomodo autem invocabunt eum, in quem non crediderunt? *Rom.* 10.

1. Cor. 11. *Qui* Indignè *manducat:* (tales verò sunt qui non agunt pœnitentiam, cujus anima fides, interprete Libro Christianæ Concordiæ) *sibi manducat judicium.*

plura vide: *Act.* 8, 37. *Matth.* 3, 6. *Tit.* 3, 5.

2. LIX. Secundum sibi locum vendicet *Ratio*, quam hujus Syllogismi peplo involvimus:

Ad participationem cujusq; boni doniq; ordinariam requiruntur hæc quatuor: 1. Persona offerens: 2. Medium oblationis: 3. Persona accipiens: 4. Medium vel organon apprehensionis.

Atqui Sacramenta sunt participatio bonorum & donorum Cœlestium, videlicet, gratiæ Dei, remissionis peccatorum, &c.

Ergo requiritur non tantùm: 1. Deus offerens: 2. Sacramenta, *per quæ* offert 3. Christianus accipiens: *sed etiam* 4. Fides apprehendens.

3. LX. Tertiò doniq; loco superaddimus suffragia Romanensium emunctioris nasi, qui crassam Scholasticorum Theologiam commodis interpretationibus attenuare conati, de quibus videatur *E. Chemnitius.*

In Exam. Concil. Trid. in Disp. de opere operato.

In

LXI. Inprimis verò observatione dignum est, quòd *Bonaventura* disertè affirmat: *propriè loquendo gratiam non inesse Sacramentis* essentialiter: *sed* ministerialiter & instrumentaliter.

PROBLEMA VI.

An fides, ut pars συζατικὴ & essentialis, ad substantialem Sacramentorum perfectionem constituendam, requiratur?

LXII. Cum igitur Sacramenta non ex opere operato absq; fide gratiam conferant: mox cognata hæc oritur quæstio: an fides pars sit Sacramentorum essentialis & συζατικὴ.

LXIII. *Sacramentarij Affirmativam* tenent & tuentur, sicut hæc propria eorum effata abundè docent & confirmant. I. *Sacramentariorum ψευδοδοξία.*

Grynæus in Disp. de Sacram. N. T. Probl. 1.

Fidei Sacramenta, Fidelibus *Sacramenta sunt. Ea si quis opinetur & infidelibus Sacramenta esse, sequetur absurdum, videlic. illa & perfidiæ & incredulitatis esse Sacramenta.*

Buccanus 754, 763.

Sacramenta non Nisi Fidelibus *Sacramenta sunt, Infidelibus nequaquam.*

Piscator ad dictata Hoffm. p. 80. 146.

Cum in sumente non est fides, non sumit ille Sacramentum, sed Elementum tantum: Quia Sacramentum, Qua Sacramentum, Non nisi Fide percipitur.

LXIV. Imò eò usq; insaniæ abripiuntur, ut fidem ad *formam* Sacramentorum referre non vereantur:

Keckermannus in Syst. Theol. p. 446.

Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum Formale *Sacramentorum: sed nudum tantùm materiale,*

LXV. Nos, (*k*) ex admonitione Apostoli, per ὀρθοτομίαν, ὀρθοδοξίαν de præsenti Problemate distinctè proponimus & exponimus hoc modo: II. *Lutheranorum* ὀρθοδοξία.

(k) *2. Tim. 2, 25.*

LXVI. Sacramenta considerari possunt *bifariam*: quoad *substantiam*: 2. quo ad *usum.*

LXVII. *Vſus* vel eſt *externus & corporalis*: vel *internus & ſpiritualis fructum* Sacramentorum concernens.

LXIIX. Ad Sacramentorum *ſubſtantiam & Vſum externum*, fides ut pars *συστατικὴ* & eſſentialis, non requiritur.

LXIX. Integra enim ſunt Sacramenta, quo ad ſubſtantiam, tribus partibus eſſentialibus; (l) *elemento, verbo & actione vel uſu externo juxta mandatum & ordinationem Dei*) conſtantem, vi & vigore ordinationis & inſtitutionis Chriſti, quam incredulitas hominum evacuare nequit.

Rom 3, v. 3. 2. Tim. 12.

(l) *Luth. Tom. VI. Ien. f. 280. & ſequentibus.*

LXX. Ad *uſum* verò *internum & ſalutarem* Sacramentorum fides ſalvifica omninò requiritur, ut organon *ἀντιληπτικὸν*, quo, ex ordinatione Dei, fructus ille, per Sacramenta, à Deo oblatus, fiduciliter apprehendendus:

Marc. 16, 16. Act. 8, 37. 1. Cor. 11, 28, 29.

LXXI. Unde Regula Auguſtini: *Non Sacramentum: ſed Fides Sacramenti ſanctificat.*

LXXII. Atq; hinc Chriſtus Sacramentorum Novi Teſtamenti *ἔξαρχος* glorioſus & ter benedictus in eorum inſtitutione, *diſtinctè* præcepit de Subſtantia: *diſtinctè* de fructu illorum; ſicut legi poteſt de Baptiſmi *ſubſtantia Matth. 28, 19.* de *fructu* verò *Marci 16, 16.*

LXXIII. *Illic* nullam: *hîc* diſertam fidei mentionem facit.

LXXIV. Iſtius diſtinctionis operâ negotium illud explicat etiam *Auguſtinus*, autor ejuſdem præcipuus:

Lib. 3. contra Donatiſtas cap. 14.

Nihil intereſt cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, qui id credat & quali fide imbutus ſit ille, qui accepit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti queſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perverſam fidem.

Lib. 5. cont. Parmen. c. 1.

Aliud eſt Sacramentum: aliud uſus Sacramenti.

DE

DE BAPTISMO,

Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE
GODOFREDO STEPHANI
Ottowill. Westriaco.

Ad diem 29. Iunij horis locoq; consuetis.

PROBLEMA VII.

An ad Sacramenta necessariò requiratur intentio administrantis.

PROPOSITIO I.

SAcramenta sunt actiones sanctæ ac seriæ; & proinde illorum etiam administrationem sanctam & seriam esse convenit. I.

Doctrina puri-oris Ecclesiæ.

II. Unde Theander *Lutherus* graviter & seriò monet, ut, circa administrationem baptismi, omnia devotè peragantur, *in præfatione in libellum baptisticum*, cui inter alia hæc etiam verba plena Zeli interserta:

Ich bitte aber / aus Christlicher Trew / alle die jenigen / so da Kinder täuffen / Kinder heben / vnd dabey stehen / wolten zu Hertzen nehmen / das treffliche Werck / vnd den grossen ernst / der hierinnen ist.

Item.

Derhalben es auch wol billich vnd recht ist / das man nicht truncken vnd rohe Pfaffen täuffen lasse / auch nicht lose Leut zu Gefattern nehme / sondern feine / sittige / ernste / fromme Priester vnd Gefattern / zu den man sich versehe / das sie die Sach mit ernst vnd rechtem Glauben handeln.

Tom. II. Ien. Germ. f. 227. 228.

Syco-

III. Sycophantam igitur agit Hostis-Jesu Bellarminus, dum (a) verba Lutheri, quibus mentionem facit, exempli, de quodam Mimo per jocum baptisato, eò ferè interpretatur, ac si actio isthæc sanctissima summeq; seria, jocò aut irrisoriè peragenda. *lib. 1. de Sacram. in gen. c. 27.*

(a (*ex Lib. de capt. Babylon. Tom. II. Ien. Lat. f. 272.*

IV. Quòd autem devotio & *præcipuè intentio* Ministri tàm *necessariò* requiratur ad Sacramenta, *adeò*, ut sive quoad substantiã, sive quoad efficaciam, sive quoad utrumq;, hæc integra non sint, illa si absuerit: id oppidò falsum est & Antichristianum.

V. In Sacramentis enim diligenter discernendæ sunt *Causa Principalis* vel κυρίως *agens*: & *administra*, vel ὀργανικῶς *agens*.

VI. *Principalis causa* est Christus *tùm institutionis*: tùm *Administrationis* respectu.

VII. Quoad *Institutionem*: Baptismum & Cœnam sancijt, eâ *intentione*, ut Medijs hisce à se ordinatis, beneficia passione sua ac morte parta nobis *Ipse* exhibere ac conferre velit: sicut verba institutionis cujusq; Sacramenti liquidissimè ostendunt.

VIII. Quoad *Administrationem* verò *principes* & ipse partes sustinet: in baptismo infantulos sanguine suo abluens à peccatis: in cœna corpore & sanguine suo pascens nos ad vitam æternam:

IX. Atq; huc pertinet ἐμφατικώτατον istud Johannis τῷ δένδείκτῃ, quo, digito indice, Christum monstrans summa devotione ait:

Hic *est, qui baptizat* Spiritù sancto.

Der ist allhie der Täuffer / canit Ecclesia ex eodem loco *Iohan. 1.*

X. *Administra* porrò *causa*, cujus opera in administratione Sacramentorum Christus *ordinariè* utitur, sunt Ministri Ecclesiæ, Θεοῦ συνεργοὶ, quo titulo insigniuntur. *1. Cor. 3.*

XI. Ab his requiritur, ut in administratione modò servent institutionem principalis causæ, id est, Christi, quæ ab *ejus* dependet *intentione*, de qua paulò antè.

XII. Et sic in sacrosancto hoc Θεωρήματι, *non ministri administrantis fides & qualitas: sed Dei instituentis & operantis virtus, & veritas; non illius sed hujus intentio; non illius ministeriũ, sed hujus magisteriũ*, spectanda.

13. Unde

XIII. Unde perquam scitè Augustinus:

Baptismus talis est, in cujus potestate datur, non qualis ille, per cujus ministerium datur. Tractat. V. in Johan.

XIV. Et hæc est purioris Ecclesiæ, de præsenti hoc Problemate, sententia & doctrina, cujus summa, κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν, *tribus* hisce assertionibus comprehendi potest:

XV. 1. Requiritur ad Sacramenta actio *externa* juxta mandatum & institutionem CHRISTI.

XVI. 2. Hæc observanda: sin minus: non administratio fit: sed profanatio Sacramentorum.

XVII. 3. Intentio autem Ministri *interna*, id est, cogitatio in mente, ut faciat, quod facit Ecclesia, neq; ad integritatem, neq; ad efficaciam Sacramentorum est necessaria, nec quicquam eò facit & conducit.

XVIII. Impura Papæ Synagoga quid statuat: interpretes ejus Patres in Conciliabulo Tridentino illegitimè congregati, hoc complexi sunt Canone anathematis armato & animato fulmine: *Opinio impuræ Synagogæ Papæ.*

Sessione VII. Can. XI.

Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit

XIX. Utuntur terminis Scholasticorum haud dubiè simul comprobantes Scholasticorum doctrinam, de intentione, non tam quoad *actum*, quàm quoad *effectum* Sacramentorum, de qua *Chemnitius in Examine Concil. Trid. in disp. de intentione.*

XX. Ita autem hodiè in Papatu doceri negat quidem apertè *Bellarminus*: interim tamen & ipse scribit: necessariò requiri in Ministro, intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, *non generalem modo, sed specialem, & si non actualem: certè Virtualem.*

Lib. 1. de Sacram. in gen. cap 27.

XXI. Adhæc, dum ibidem disputat contra B. Chemnitium, quòd contendit: *non pendere Sacramenti efficaciam* ullo modo *ab intentione Ministri*: annon *tacitè* subinnuit Sacramentorum efficaciam aliquo modo ab intentione Ministri dependere?

XXII. Quid? adeò necessariam putant in Ministro Sacramenta conferente intentionem, *ut hac sine, qui conferret: nullam*

NB

conferret Sacramentum, quæ ſunt Franciſci Toleti verba: *Lib. 2. de inſtruct. Sacerd, c. 2.*

III. XXIII. Sed hæc Papicolarum opinio varijs cum veritate pugnat modis, ſicut graviſſimâ diſputatione evicit *Lutherus in lib. de Miſſa angulari Tom. VI. Ienenſi Germ. fol. 87. & ſeq.*

Refutatio per V. Membra.

XXIV. 1. *Cum Sacramentum integritate & ſubſtantia*, quæ certè

1. non à Miniſtri intentione: ſed à CHRISTI Magiſtri inſtitutione dependet.

2. XXV. 2 *Cum certitudine fidei*, quæ iſthac Papicolarum doctrina non confirmatur; ſed infirmatur; non certa, ſed incerta redditur; id quod naturæ & inſtitutioni Sacramentorum κατὰ διάμετρον adverſatur, cumq; præſentiſſimo ſalutis periculo conjunctum.

3. XXVI. 3. *Cum altero mediorum genere*, quo DEUS beneficia CHRISTI *offert & confert, Verba* nimirum, ad cujus prædicationem (b) ipſo Ieſuita fatente, intentio miniſtri non requiritur.

(b) *lib. 1. de ſacr. 28.*

XXVII. Quòd autem *ad excitandam fidem nulla requiratur efficientia*, ſecundum *Ieſuitam*: id oppidò falſum eſt, & adversâ, quod dicitur, fronte impingit, in illud Apoſtoli, quo Fidem expreſsè appellat ἐνέργειαν τοῦ Θεοῦ *Col. 2, 12.*

4. XXIIX. 4. Cum *Exemplo Ziporæ*, quam filium abſq; ejuſmodi intentione circumcidiſſe, & tamen circumciſionem iſtam ratam fuiſſe habitam à Deo, è circumſtantijs textus rectè colligitur, *Exod. 4.*

5. XXIX. 5. *Secum ipſa.* Ut enim nihil dicamus de *Longobardo*, quem hac in parte, à Pontificiis diſſentire affirmat Chemnitius: negat Bellarminus: non diſſimulandum utiq; quòd hic Ipſe non audet diſficeri *Ambroſium Catharinum*, *ad ſententiam Hæreticorum* (id eſt, Lutheranorum) *proximè acceſsiſſe.*

Lib. II. de Sacr. in gen. c. 27.

XXX. Quanta ſeveritate autem Scriptor iſte Pontificius Papatum propugnârit: Lutherum oppugnârit, id apparet ex Reſponſione Lutheri illi oppoſita.

Tom. II. Ien. Lat. fol. 350.

IV. Διαδιώξις. XXXI. Iam ad argumenta Ieſuitæ, quibus ſuam ſententiam

proba-

probare nititur respondendum: Sed quia non ex Verbi divinitus parefacti scrinio: sed ex Rationis potiùs Scrutinio petita, & maximam partem laborant vitio ἐπεξηγητήσεως, falsæq; hypotheseos, & distinctione inter instrumenta facilè solvi possunt. labore isto, ἐν τῷ παρόντι, supersedemus.

Legatur Lutherus Tom. VI. Ien. fol. 87. & seq.

PROBLEMA VIII.

An piè & rectè dicatur à Papistis, quod è Sacrificulis ipsorum Sacramenta conficiantur?

XXXII. *Qui semel honestatis fines transilierit, eum gnaviter oportet esse impudentem*, ait eloquentiæ Magister.

XXXIII. Istud nos, levicula mutatione, facere possumus tralatitium, & istam ad faciem quasi παρῳδεῖν: *Qui semel veritatis limites transilierit: eum graviter errare oportet.* //

XXXIV. Exemplo sunt Romanenses, qui, in doctrina de Sacramentis, tam longo à veritatis tramite intervallo aberrant, ut *Sacrificulos etiam suos Sacramenta conficere asseverent.*

XXXV. Quod ne quis ex affectu a nobis dictum fictumve arbitretur: en præsto est *Canisius* Catecheta in Regno Antichristi occidentalis facilè primarius, hunc in tabula quasi exhibens aphorismum:

Sacerdotibus & Episcopis incumbit, ac divinitus injunctum est, Sacramenta conficere.

In Enchir. pag. 110.

XXXVI. Et quid norius est, quid frequentius in scriptis Papistarum phrasi ista: *conficere Sacramentum?*

Catech: ex Decreto Concil:

Trident. ad Parochos:

Non minus ministrorum officio, quàm materiâ & forma, ad Sacramenta CONFICIENDA *opus esse, perpetua sanctorum Patrum traditione confirmandum est. Atqui hi quidem ministri, quoniam in sacra functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut sive boni, sive mali sint, modò ea forma & materia utantur, quàm ex Christi instituto semper Ecclesia Catholica*

ſervavit, idq; facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, verè Sacramenta CONFICIANT *& conferant*, p. 169. Ibidem.

Sed inprimis cognoſcenda eſt à Paſtoribus hujus Sacramenti materia: tum ut ipſi ritè illud poſſint conficere. p. 241.

II. Ἔλεγχος *per Syllogiſmum τρίμεσον.*

XXXVII. Nos contra iſtud *conficere* Papiſticum hoc conficimus ἀλεξιτήριον Syllogiſticum:

Quicquid 1. nititur falſa hypotheſi, 2. authoritate Scripturæ deſtituitur, 3. quoq; CHRISTO autori Sacramentorum contumelia inuritur: *id utiq;, ἄτοπον ἄγραφον & ἄθεον meritò rejicitur & damnatur.*

Atqui commentum iſtud, quo à ſacrificulis Sacramenta confici aſſeritur, tale eſt, id eſt, I. Nititur falſa hypotheſi. II. Autoritate Scripturæ deſtituitur. III. Eodem CHRISTO autori Sacramentorum contumelia inuritur. *Ergo.*

1. XXXIX. I. *Falſa hypotheſis, qua nituntur*, eſt partim Chriſma ordinationis, partim delirium de transſubſtantiatione, quo ex pane & vino corpus & ſanguinem CHRISTI à Sacrificulis confici opinantur.

2. XXXIX. II. *Autoritas Scripturæ* uſq; adeò eos deſtituit ut neceſſum habeant confugere ad illud: HOC FACITE, *quaſi dixiſſet* CHRISTUS: *Hoc ſcilicet corpus meum conficite.*

XL. Sed è contextu ὀφθαλμοφανῶς elucet, quod illud, τοῦτο ποιεῖτε referatur ad actionem CHRISTI, quæ non in confectione: Sed in *exhibitione & acceptione* corporis ipſius conſiſtebat.

3. XLI. III. *Contumelia in* CHRISTUM *redundat*, dum id, quod ipſi ſoli competit: Sacrificuli tranſcribere non verentur:

Credite inquit Chryſoſtomus, *omnes, quia etiam nunc illa cœna celebratur*, in qua Chriſtus recumbebat.

Nihil quippè interest inter hanc & illam, Non enim hæc ab homine, illa ab Ipſo conficitur: Sed & hanc & illam ipſe efficit.

homil. 52. in Matth.

XLII. Sed *quid neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt?*

Hieronymus contra Cteſiphontem.

XLIII. Adſcribimus ſaltem, Colophonis loco, hos ex *Lutheро*, pro-

pographos, quorum medullam in hoc exprimimus axioma.

Sacramenta non à Sacrificulis conficiuntur; Sed CHRISTI *institutione confecta saltem administrantur.*

Tom. VI. Ien. Germ. f. 99.

Darumb so mercke vnnd wisse/ das solche Lehre/ des Grewels Lehre ist/das ein Priester aus krafft des Chresems oder weihe/das Brodt wandele in den Leib Christi/als ex opere operato, durch jhr sprechen oder thun/ es ist alles so garstig erlogen vnd erstuncken/ als der Chresem selbst ist.

Item:

Also der Teuffer macht keine Tauffe/ Sondern Christus hat sie zuvor gemacht/ der Teuffer reicht vnd gibt sie allein.

Item:

Also auch/das Brodt vnd Wein Christus Leib vnd Blut werde/ ist nicht vnsers thuns/ sprechens noch wercks/ viel weniger des Chresems oder Weyhe schuld/Sondern es ist Christus Ordnung/Befehl vnd Einsetzung schuld.

PROBLEMA IX.

Num imprimant Sacramenta signum quoddam & characterem aliquem indelebilem in anima.

XLV. Nondum finis est errorum & abominationum, quæ ex puteo abyssi humanarum traditionum, tanquam fumus quidam piceus obscurans cœlestis Doctrinæ Solem, in Papatu ascenderunt. Apoc. c. 9. 2.

XLVI. Præter eos enim, de quibus ὡς ἐν τύπῳ, hactenus, hunc quoq; Errones Romani errorem errant, *imprimi in Sacramentis characterem quandam in anima indelebilem,* I. Error Romanensium.

XLVII. Sed non in omnibus singulisq; Sacramentis: Verùm solùm in quibusdam, & nominatim in his tribus: 1. *Baptismo,* 2. *Confirmatione.* 3. *Ordine.*

XLIIIX. Ita enim habet Canon Concilij Tridentini, de isthoc Charactere confectus & confictus:

Sess. VII. Can. 9.

Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, confirmatione

& Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam Spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

LIX. Quæ characteris illius Virtus sit & efficacia, & alia. (si diis placet) ἀξιοθέατα scire qui avet: is legendo perlustret *c. 19. Lib. II. de effectu Sacramentorum.*

II. *Erroris istius Refutatio per Syllogismum cujus, IV. Modus.*

L. At enimverò quamvis Character iste ab Hominibus illis, quibus, justo Dei judicio (d) ἐνέργειας πλάνης immissa fingatur indelebilis: totus tamen vel una hac litura deleri potest facilimè.

Quicquid omni caret Scripturæ fundamento. 2. Suffragiis Orthodoxæ Antiquitatis destituitur. 3. efficaciæ Baptismi certitudinem incertam reddit, & 4. deniq; Sacramenta, quoad finem & fructum invicem discriminari innuit: *id, sub anathematis fulmine Ecclesiæ impiè pariter & furore plusquam Antichristiano obtruditur.*

Atque verum illud,

Ergo & istud. (d) 2. Thes. 2, 11.

LI. *Quatuor* sunt illius lituræ quasi ductus, qui singuli ordine contemplandi.

LII. 1. *Characterem* Papisticum *carere fundamento Scripturæ* haud obscurè indicat Jesuita iple, hac sibi cavens περιεργείᾳ.

OBSERVANDVM est, non esse mirandum, si non inveniantur tot testimonia, & tam expressa de charactere, ut inveniuntur de gratia.

Lib. 2. de effect. Sacr. c. 20.

LIII. Interim tamen corradit paucula quædam, ubi mentio fit, vel *obsignationis* vel *signi.*

LIV. Dicta Scripturæ de *obsignatione*, 2. Cor. 1, 22. Eph. 1, 13. Eph. 4, 30. loquuntur de dono SPIRITUS SANCTI, quo, tanquam arrah vel pignore, hæreditas vitæ æternæ credentibus obsignatur & confirmatur.

LV. Ideo Apostolus *non* utitur *signandi* verbo à *signo*: sed *obsignandi*, à SIGILLO, quod Græcis σφραγὶς; quo nomine etiam (d) Circumcisionis Sacramentum, eodem respectu insignitur, quod tamen nullum in anima characterem impressit, ipsomet Jesuitâ ultro largiente.

Lib.

Lib. 2. de effect. Sacram. cap. 19.

(d) *Rom. 4, 11.*

LVI. *Vaticinium Esaiæ 66, 19.* ubi meminit, *signi* INTER GENTES *ponendi*, agit de prædicatione Evangelij de CHRISTO, quæ mox in eodem versu appellatur: ANNUNCIATIO GLORIÆ DEI INTER GENTES. Consimili phrasi de eadem re idem Sanctissimus DEI Vates utitur, 6, 11, 10.

LVII, Ad *figuras*, quas ex *Exod. 12, 7. & Ezech. 9, 4.* tragematum quasi loco apponit: nos reponimus crambem, id est, Regulam Thomæ in Scholis valdè tritam:

Theologia Symbolica non est argumentativa.

Opusc. 70.

Nec non istud ipsius Iesuitæ axioma Lib, 3. de Verbo Scripto cap. 3.

Ex solo sensu literali non mystico argumenta sunt efficacia.

LVIIX. Admiratione digna res est, quòd silentio involvit, loca *Apocal. c. 13 c. 14 c 15. c. 16. c. 19. 20.* ubi diserta non signi aut signaculi saltem: sed *characteris* vel χαραγματος fit mentio.

LIX. sed noluit suam illam bestiam Romanam prodere, cujus characterem & ipse in dextera & fronte sua accepit.

LX. II. Characterem illum ἀχαραξτήριστον destitui *suffragijs Orthodoxæ Antiquitatis*, B. Chemnitius probat ex *Biele*, qui inter alia expressè scribit:

Nec rationem necessariam demonstrare, nec evidentem authoritatem Patrum probare, ponendum esse talem characterem, in

Exam. Concil. Trident. disp. de Charactere.

LXI. Atq; hæc sanè assertio tantæ est firmitudinis; ut ne unoquidem verbulo (*quod diligenter notari velim*) eandem tangere ausus Iesuita.

LXII. Allegat quidem nonnulla Patrum testimonia: sed interpretatione plane contorta & à scopo aliena; siquidem non de Charactere illo Papistico loquuntur: sed partim de *spirituali signaculo*, quod est SPIRITUS sancti donum: partim *de Symbolo ceremoniali*, quale in Baptismo adhiberi solebat.

LXIII. III. Commento hoc *Baptismi certitudinem incertam* redde-

reddi, exindè patet, quòd efficaciæ baptiſmi, immotis Scripturæ fundamentis ſuperſtructæ, ſubſtituitur character, qui mera traditio humana.

LXIV. IV. *Diſcriminari* hac traditione futili & inutili, *Sacramenta à ſe invicem quoad finem & fructum* quis ambiget, niſi is, cui regula in Scholis Theologorum notiſſima, ignota: *Sacramentorum quo ad finem & fructum eadem ratio.*

LXV. De Charactere Sacerdotum legatur *Lutherus*: *Tom. II. Ien. German. f.* 17. *Tom. VI fol.* 94.

PROBLEMA X.

An Sacramenta ſint neceſſaria ad ſalutem, & num quis ſola fide abſq; Sacramentorum uſu ſalvari poſſit?

I. *Quæſtionis cauſa προκαταρκτική.*

LXVI. Explicatio hujus ζητήματος utilis pariter eſt tum propter *Alios*, qui ſe, ſolâ fide, abſq; uſu Sacramenti cœnæ ſalvari poſſe ſuſpicantur: tùm potiſſimùm propter *Sacramentarios*, qui efficaciam Sacramentorum extenuare: Imò, quantum in ſe, virtute ſalvificâ privare, non verentur.

LXVII. De *Sacramento Baptiſmi* hæc ſpargunt paradoxa auditu horrenda:

1 Urſinus, in Comp. Theol. f. 528.

Regeneratio & ſalus non pendet à Baptiſmo.

2 Beza in Colloq. Mompelg. p. 434.

Salutem noſtram hactenus à Baptiſmo ſuſpendimus, ut nec ipſius ſalutis fundamentum ab eo incœmus.

3 Antonius Sadeel in Reſponſ. ad fidei profeſs. Burdegal. art. 11. ſcribit:

Se fateri non eſſe ſuam & ſociorum ſententiam, ſi quis dicat, baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium.

LXVIII. De *Sacramento Baptiſmi* & Cœnæ ita diſputat infelix Diſputator Keckermannus.

Lib. 1. Syſtem. Logic. c. 12. p. 117.

Terminus vel fructus relationis non eſt aſſigendus relato. E. g. Communio cum ſubſtantiâ & beneficijs CHRISTI *non eſt aſſigenda pani, & vino Euchariſtico, ſicut nec ablatio peccatorum aquæ Baptiſmi.*

69. Nos

LXIX. Nos explicationem breviter expedimus inter *Ordinem* & *Casum Necessitatis*. II. *Explicatio per Distinctionē.*

LXX. Quoad *Ordinem* divinitus sancitum Sacramenta omnino necessaria sunt non tantùm *propter Mandatum Dei & institutionem* Christi, id quod Sacramentarij etiam largiuntur: *sed* etiam Ad Salutem *propter Sacramentorum finem & fructum.* I.

LXXI. Posset jam id accuratiùs tractari: sed sufficiat in præsentia, *de uno quoque Sacramento*, unicum saltem Scripturæ testimonium.

LXXII. De *Baptismo* cum religiosa attestatione affirmat Salvator:

Joh. 3. *Nisi quis renatus fuerit, ex aquâ* & Spiritu, *non potest ingredi in Regnum Cœlorum.*

LXXIII. De Cœna Domini nota sunt institutionis verba non tantùm ὁριστικὰ sed etiam προσφωνητικὰ, & τὸ τέλος σημαντικὰ:

Edite, Bibite: *Hoc est Corpus meum: quod pro vobis datur: hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.*
Hoc Facite, &c.

LXXIV. De *Casu* autem *necessitatis* tenendum, quod Dominus nos quidem (f) *populum pascuæ suæ* ad Sacramenta alligatos esse velit. Ipsum verò non ita illis se astrinxisse, ut absque ijs, *extra ordinem*, hominem salvare non possit, virtute immediata, modo suæ Sapientiæ & omnipotentiæ optimè noto, cum sit agens Liberrimum, *Psalm. 115, 3.* II.

(f) *Psalm. 95, 7. 100, 2.*

LXXV. Sic filiolos Christianorum, in casu privationis *Baptismi*, propter mortem repentinam, *extraordinariè* à Deo salvari, rectè pieque credimus.

LXXVI. Similiter si contingat, ut quis inter Pontificios & Calvinianos, vel etiam tempore pestis domi suæ, vel in loco solitario, &c. nequeat uti frui *Cœna Domini*: is consoletur se passione ac morte Christi, quâ corpus suum pro nobis tradidit, & sanguinem suum pro peccatis nostris effudit.

LXXVII. Et sic spiritualiter per fidem comedet carnem Christi, & bibet sanguinem Christi ad vitam æternam.

Iohan. cap. 6.

458

LXXIIX. Et in his casibus valet Celebre istud Augustini: *Crede & manducasti.*

LXXIX. Sed de hoc argumento suo tempore & loco extricatius. Jam finimus. *I. Decadem*, quæ Problematum de Sacramentis *in genere* promaconda.

DE BAPTISMO,

DECADIS SECUNDAE.

Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. JOHANNE CHEMNITIO

Prizwalckcensi.

Ad diem 13. Julij. horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

An unus Baptismus, unumq; lavacrum, non quo tollantur sordes corporis: sed quod nos à peccatis abluat?

PROPOSITIO I.

Μετάβασις. HActenus de Sacramentis γνωικῶς: deinceps ξυῶ πρὸς Θεῷ, prælucente Verbi Divinitus patefacti pharo, *de Baptismo*, εἰδικῶς nobis differendum.

II. Baptismi Vox Græca est, quam nonnulli sic flectam dictamq; arbitrantur, quòd βάπτισμα, ἐν ᾧ βάλλεται ἤγουν πίπτει τὸ πλύσμα, *Phavorino* interprete.

I. Ἐτυμολογία

III. Sed *allusione* hac missâ: tenenda utique vera ac genuina Etymologia, è sono vocis, quo patet, quòd βαπτισμὸς vel βάπτισμα sit verbale à βαπτίζειν, quod verbum non tantùm *immergere vel intingere* significat, sicut (a) Calviniani contendunt: sed

in genere, *ablaere*, sive id fiat *immergendo in aquam*: sive *aquam duntaxat aspergendo.*

(a) *Cal. lib. 4. instit. c. 15 § 19. Beza Epist. 2.*

IV. Præterquam enim, quòd τὸ βάπτειν, à quo τὸ βαπτίζειν, apud profanos etiam Scriptores non nullibi *aspersionem* vel *tinctionem* notat: in sacris certè literis significatio isthæc, qua tam aspersio: quàm immersio comprehenditur, non est inusitata.

Marc. 7, 3. Hebr. 9, 10.

V. Sed ut ab ἐτυμολογία, ad ὁμωνυμίαν vocis istius enucleandam progrediamur: Usus sanè ejus, generali distinctione, vel *generalis* est vel *specialis.* II. ὁμωνυμία

VI. *Generalis* iterum est vel *proprius* vel *Tropicus.*

VII. *Proprius* est stricta significatio, qua baptismus idem est, quod *immersio & intinctio.*

VIII. *Tropicus* figuratus est, vel *1. Metalepsi*: vel *2. Metaphora*, vel *3. Synechdoche partis.*

IX. 1. Μεταληπτικῶς Baptismus significat quaslibet lotiones & lavacra, sive aquæ aspersione sive intinctione in aquam fiat.

Marc. 7. 4. Luc. 11, 38. Heb. 9, 10.

X. 2. Μεταφορικῶς *in triplici* accipitur significatione.

XI. Ac *primò* quidem pro passione & morte Christi à nemine præterquam ipso solo obeundis.

Matth. 20, 23. Marc. 10, 38. Luc. 12, 50.

XII. Quò pertinet *Baptismus sanguinis*, quo termino Scholastici indigitarunt martyrion Catechumenorum, id est, Christianorum νεοφύτων, ante initiationem Baptismi, ad effusionem sanguinis raptorum, de quibus Basilius: ἐν ἰδίῳ αἵματι διὰ τῆς οἰκείας πίστεως ἐβαπτίσθησαν.

In homil. 40. martyr.

XIII. *Secundò* pro *Baptismo fluminis*, quo nomine Scholastici appellarunt visibilem illam charismatum Spiritus sancti, miraculorum præsertim & in oculos incurrentium, effusionem, de qua *Act. 1, 5. c. 11, 16. c. 19, 5. 6.*

XIV. *Tertiò* pro *Baptismo maris & nubis*, id est, pro transitu Israelitarum per mare rubrum, itemque pro protectione & eductione illa

E 2

illa populi miraculosa per nubem, quod utrumque beneficium extitit typus Baptismi.

1. Corinth. 10, 2.

XV. Ideoq; etiam ibidem addit Apostolus, κατ' ἐπιβολὴν quasi: *Hæc autem figuræ* (NB. τύποι) illis *contigerunt.*

XVI. Quemadmodum etiam in precatiuncula ante administrationem Baptismi recitari solita typus ille de transitu Israelitarum per mare rubrum ad baptismum, tanquam ad suum antitypum, accommodatur.

XVII. Συνεκδοχικῶς vocabulum illud sumitur pro toto Johannis Baptistæ ministerio.

Matth. 21, 25. Luc. 20, 4. Act. 18, 25. c. 19, 3.

XVIII. *Significatio specialis est*, quâ nomen Baptismi usurpatur de Sacramento initiationis: cujus acceptionis exempla in Euangelica historia, scriptisq; Apostolorum passim sunt obvia.

III. συνωνυμία:

XIX. Atq; hæc lanè significatio disputationi huic de themate proposito propria est, in qua ipsi synonyma sunt:

XX. 1. *In nostra vernacula* Tauff vnd täuffen, quæ ab Hebræo טָבַע id est, in *aquam immergi*, originem suam trahere videntur.

XXI. 2. *In Scriptura*: 1. (f) τὸ λουτρὸν παλιγγενεσίας (g) ἕν ὕδατι ἐν ῥήματι. 2. (h) ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς. 3. (i) περιτομὴ ἀχειροποίητος.

(f) *Tit. 3, 5.* (g) *Eph. 5, 26.*
(h) *1. Petr. 3, 21.* (i) *Colloss. 2, 11.*

XXII. Quæritur autem: An Baptismus, vocabulo in hac speciali significatione accepto: unus sit vel triplex.

IV. *Doctrina Lutheranorum ejusq; δείξεις.*

XXIII. *Lutherani* docent, quòd Baptismus, ἰδίως καὶ συνωνύμως sic dictus, non sit multiplex, sed unus specie, qui unâ & eâdem indivisâ actione, unoque & eodem tempore simul & semel perficiatur.

XXIV. Δείξεις hujus unitatis baptismi hæ sunt:

XXV. 1. *Pronunciatum Apostoli* summæ σὺν θεοῦ Ephes. 4. *Vnus* Dominus, *una fides*, Unum *Baptisma.*

XXVI. 2. *Vnitas* τῆς οὐσίας *baptismi* per Sacramentalem partium συστατικῶν unionem. Hæc enim illæ tam arctè inter se coeunt &

cohæ-

coalescunt, ut speciem baptismi non geminam, sed unam & eandem constituant.

XXVII. 3. *Vnitas dispensationis* vel οἰκονομίας. Etsi enim aqua & Spiritus sanctus toto genere à se invicem differunt: in baptismo tamen nexu indissolubili sibi invicem sunt copulata, ut una simul & eadem indivisâ actione, *infantulis*, τοῖς βαπτιζομένοις, dispensentur à ministris Ecclesiæ.

XXVIII. Qui propterea appellantur (k) σωεργοὶ Θεοῦ. Item (l) οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων. Et ministerium novi Testamenti definitur (m) Διακονία Πνεύματος.

(k) 1. Corinth. 3. (l) 1. Corinth. 4.

(m) 2. Corinth 3.

XXIX. 4. Idem confirmat *unitas efficaciæ* vel τῆς ἐνεργείας in usu salutari. Baptismus enim ὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου: ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν. 1. Petr. 3.

XXX. 5. Idipsum liquet ex *unitate usus legitimi*, vel τῆς ὀρθοχρησίας. Baptismus quippe iterandus non est. Sicut enim una est γένεσις σαρκικὴ: ita una ex Aqua & Spiritu παλιγγενεσία πνευματικὴ.

XXXI. 6. Nec circumcisio repetita fuit, nec ullum iterationis exemplum in universâ reperitur Scripturâ.

XXXII. 7. Accedit autoritas τῆς ὁμοψηφίας Ecclesiæ. Subscribunt enim huic sententiæ:

Symbolum Nicenum:

Credo Unum *baptisma in remissionem peccatorum.*

Articuli Visitatio: Saxonicæ thes. 1. de Baptismo.

Unus *est Baptismus & lavacrum, non quod sordes corporis tollere solet, sed quod à peccatis abluit.*

Lutherus tom. 2. Jen. Lat. in Lib. de capt. Babyl. fol. 271.

Ex his perspicuè discernere possumus, quid inter ministrum hominem, & autorem Deum *intersit in baptisando.* Homo enim baptisat & non baptisat; Baptisat, quia perficit opus, dum mergit baptisandum, Non baptisat, quia non fungitur in eo opere suæ autoritate, sed vice Dei, *Vnde oportet nos baptismum de manu hominis* Non aliter suscipere, *quàm si* Ipse Christus, imo

imo ipse Deus nos suis proprijs manibus baptisaret. *Non enim hominis est, sed* Christi & Dei *baptismus, quem recipimus per manum hominis. Sicut quælibet alia creatura, qua utimur per manum alterius, non est nisi Dei. Cave ergo, sic discernas baptismum,* Ut externum Homini, internum Deo tribuas, utrumque soli Deo tribue, *nec conferentis personam aliam, quam instrumentum vicarium Dei accipe, per quod* Dominus *in cœlo sedens, te in aquam suis manibus proprijs mergit. Et remissionem peccatorum promittit in terris, voce hominis tibi loquens per os ministri sui.*

V. λύσις ἀνθυπάτων.

XXXIII. Distinguunt quidem nonnulli inter externum & internum baptismum. Atqui aliud est *distinguere* & aliud *divellere.*

XXXIV. *Non divellunt* illi internam abluitionem ab externâ: sed illam per hanc uno & eodem baptizandi opere perfici docent.

XXXV. *Distinguunt* autem solummodò *externam ministrorum* Ecclesiæ Διακονίαν & internam Dei δύναμιν & ἐξουσίαν.

XXXVI. Planè ut Johannes personam & officium suum à persona & officio Messiæ discernit,

Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16.

XXXVII. *Vnum* est ἀποτέλεσμα: sed *duæ* ad istius σύλληψιν concurrunt ἐνέργειαι: *una* Ministri aquam cum pronunciatione verborum aspergentis: *altera* Christi simul, mediante istiusmodi aquæ aspersione, efficaciter operantis.

XXXVIII. Quæ ἐνέργειαι etsi *principij* respectu, diversæ & discrepantes, ad unum tamen commune ἀποτέλεσμα, vi & vigore institutionis Christi, mysticè conspirant.

XXXIX. Ad *distinctionem* (n) *Scholasticorum* respondemus: Baptismum *Flaminis & sanguinis*, non ἰδίως καὶ συνωνύμως: sed μεταφορικῶς & ὁμωνύμως saltem sic appellari, & esse tantùm distinctionem nominis.

(n) *Lomb. lib. 4. Dist. 6. 4.*

VI. *Sacramentarium error.*

XL. Cæterùm sicut nos duntaxat unam baptismi speciem statuimus: sic contrà *Zvvinglio-Calviniani* ex uno indiviso baptismo duas (*non partes*) *sed species* ejusdem faciunt.

XLI. Easque non solùm appellatione: sed definitione etiam invicem secernunt. Imò temporis intervallo, adde etiam, cau-

sæ

sæ dispensantis, objecti, finis & effecti diversitate, invicem disjungunt.

XLII. *Altera* species illis appeliari consuevit baptismus *aquæ*, item baptismus *exterior, literalis*, aut *elementaris: altera* verò baptismus *Spiritus* vel *Interior.*

XLIII. *Illum* definiunt *aspersione solius aquæ*, externas saltem corporis sordes tollentis à ministro in baptisterio facta.

XLIV. *Hunc* autem *emundatione animæ* à Spiritu sancto, sanguine Christi per fidem, non semper in ipsa solenni baptismi actione, sed sæpe in adultâ demum ætate perfici solita.

XLV. Testes impij hujus erroris sunt Calvinianorum libri:

Calv. in 1. Cor. 12. Colloq. Mompelg. à pagin. 432. usq; ad pagin. 478. Compend. Theol. Vrsin. pag. 524. Catech. Heidelbergensis & Bibentinus. Tossanus thes. 1. neg. disp. oppos. artic. Visitationis.

VII.

Erroris Sacramentariorum condemnatio propter IV. causas.

XLVI. Sed hæc unius baptismi in *duos* divulsio damnatur meritò, ob causas ordinè subsequentes:

XLVII. 1. Qui enervat efficaciam aquæ baptismi contra auctoritatem (o) sacræ Scripturæ diserte affirmantis: aquam illam non ad externam ablutionem: sed ad internam emundationem à peccatis, ordinatione divina esse consecratam, ut ὄργανον Spiritus sancti non σημαντικὸν: sed παρεκτικὸν regenerationis.

(o 1. Pet. 3. *Cujus* (aquæ) *figuræ respondens* baptismus, *nos quoq; salvos reddit, quo* Non *carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit: ut conscientia benè respondeat apud Deum.*

Ephes. 5. Christus *dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam* LAVACRO AQUÆ *per verbum.*

Quibus σύμφωνα reperire licet Psalm. 29, 11. Ezech. 36, 25. Zach. 14, 1.

XLIIX. 2. Quia parit confusionem substantiæ & fructus baptismi, quæ accuratis limitibus invicem discernenda, hortatore *Augustino* contra *Donatistas lib. 5. c. 1. & exemplo Lutheri in Catech.*

XLIX. 3. Quia stabilit deliria Anabaptistarum, Enthusiastarum, & Schwenckfeldianorum somniantium, Deum non agere nobiscum per media corporalia.

L. 4. Pseudodogma illud planè est ἀφιλόσοφον. τὸ σωμάτιον enim

enim non dividitur in ſpecies ejusdem nominis cum toto, ut infinitis exemplis ἐπαγωγῶς oſtendi poteſt.

LI. Neq; eſt, ut objiciant *exemplum hominis*, qui unus, licet è duobus, corpore nimirum, & anima componatur; quaſi baptiſmus ſemper ſit & maneat unus, licet κατὰ μέρη duplex ſit & geminus, quæ Sophiſtica *Bezæ* exceptio.

LII. Inſignis enim & evidens in iſthoc exemplo eſt diverſitas, in eo, ut cætera ſilentio involvamus præcipuè conſiſtens, quòd unus ſaltem homo anima & corpore conſtans: non verò ratione geminæ iſtius partis geminus, quæ falſa Spiritus Calviniſtici hypotheſis.

IX. *Concluſio.*

LIII. Concludimus igitur, quòd unus tantùm baptiſmus, quo omnes, qui illo dignè utuntur, veriſſimè renaſcuntur ad vitam æternam.

LIV. Faceſſat proinde ab Eccleſijs & Scholis noſtris iſthæc Calvinianorum σχολιοδοξία, quam Viſitatio Saxonica jam olim inde exploſit & extruſit:

Baptiſmus eſt externum lavacrum aquæ, quo interna emundatio à peccatis ſolummodò ſignificatur.

II. PROBLEMA.

An baptizati ab hæreticis ſint rebaptizandi?

LV. *Vnicum & optimum genus docendi eſt bene dividere & bene definire,* monente Luthero:

Tom. III. Ienen. Lat. f. 352.

Explicatio per Διαίρεσιν *&* ὑπὸ Διαιρέσεις.

LVI. Proinde hujus moniti ductum ſecuti, Problema iſtud, adhibito diſtinctionis Inſtrumento, brevitate ac claritate, qua fieri poteſt maxima enodare annitemur.

LVII. Et principiò quidem diſtinguimus inter hæreticos: Quorum *quidam* Inſtitutionem Chriſti quoad ſubſtantialia non obſervant: *Quidam* verò eandem obſervant.

LIIX. Inſtitutionem Chriſti quoad ſubſtantialia non obſervabant olim: *1. Seleuciani & Hermiani*, qui non aquâ ſed igni baptizandum contendebant.

LIX. 2. *Iacobita*, qui, aquæ baptiſmatis loco, frontibus candenti ferro figuram crucis imprimere aſſolebant.

LX. 3. *Manichæi*, qui uſum aquæ in baptiſmo damnabant, eò quòd illa, ut res cæteræ corporales, non à Deo: ſed à Diabolo, procreata.

Auguſtinus de hæreſibus c. 46.

LXI. 4. *Pauliciani*, qui loco naturalis aquæ iſta ſubſtituebant verba:

Joh. 4 *Ego ſum aqua viva.*

LXII. 5. *Chriſtiani*, qui Judæum, trina vice arena aſperſiſſe ſcribuntur.

Niceph. lib. 3. cap. 37.

LXIII. 6. *Crudeles* illi, qui non aqua ſed ſanguine proprio, eoque flagellis excuſſo, baptizabant.

LXIV. Ab his & ſimilibus hæreticis, qui baptizati, meritò rebaptizantur, imò, (*ut veriùs loquar*) legitimè & verè baptizantur: cum prior ille baptiſmus non fuerit juxta inſtitutionem Chriſti inſtituta Baptiſatio: ſed nihil aliud quàm impia inſtitutionis Chriſti profanatio.

LXV. *Cæterùm* Hæretici, qui inſtitutionem Chriſti obſervant *duûm* viciſſim ſunt generum.

LXVI. Quidam *verbotenus* ſaltem inſtitutionem Chriſti obſervant: *reipſa* verò blaſphemant, evertentes Chriſtianæ religionis fundamentum impugnando myſterium ſacroſanctæ atque individuæ Trinitatis, cujuſmodi Ariani & Antitrinitarij tùm *Veteres* tùm *Recentes*.

LXVII. Et hi vel *opertè latent in Eccleſia*: vel *apertè docent extra Eccleſiam*, in Antitrinitariorum conventiculis, ubi publicè ſonat eorum hæreſis eaque à miniſtris ſimul & auditoribus approbatur.

LXIIX. Quando in *aliqua Eccleſia*, quæ *de Trinitate rectè ſentit*, Antitrinitarius *opertè latens* baptiſmum diſpenſat: nequaquam hæretica impietas Miniſtri cedit in fraudem infanti, propter rationes, quas *B. Hunnius* hiſce Verbis complexus:

Quandoquidem Baptiſmus non eſt miniſtri, ſed Eccleſiæ Bonum,

que

quæ est quasi materfamiliâs in domo Dei viventis; quæ etiam suas preces in actione Baptismi conjungit. Et principalis baptizans est Christus, cui baptizandi offeruntur & commendantur.

In Loco de Sacram. fol. m. 278. cap. XIII. de personis baptizantibus.

LXIX. *In conventiculis verò Antitrinitariorum*, qui administratur baptismus, non verus imò planè nullus est baptismus.

LXX. Nam 1. Conventiculis illis, in quibus quippe Sacrosancta Trinitas blasphemijs perquam horrendis proscinditur, ne nomen quidem Ecclesiæ competit: sed nihil sunt aliud, quàm Synagoga Satanæ.

LXXI. Baptismus verò est κεφάλαιον Ecclesiæ, extra quam neque salus neq; salutis Media.

LXXII. 2. Adde quod Antitrinitarij in ipsam Baptismi substantiam, suis in sacrosanctam Trinitatem blasphemijs, adversa fronte impingunt, adeoq; institutionem Christi nequaquam servant integram, in qua quippe non nudus verborum sonus: sed sensus Ecclesiæ à Deo attenditur.

LXXIII. Et proinde in Antitrinitariorum conventiculis baptizati, omninò sunt rebaptizandi, vel potiùs baptizandi, cum prior ille baptismus planè nullus extiterit.

LXXIV. Atq; huc pertinet aphorismus memoria dignus Damasceni lib. 4. ὀρθ. πίς. c. 5.

Ὅσοι μὴ εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν·
τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι.

LXXV. Et tantùm de hæreticis: qui de baptismi substantia non rectè sentiunt, adeoq; in substantialibus institutionem Christi *vere* tantùm observant, *quales Antitrinitarij.*

LXXVI. Præter hos: sunt *Quidam* qui etsi in multis fidei articulis graviter errant: *fundamentum* tamen, *Mysterium* puta *Sacrosanctæ Trinitatis, non impugnant, deq; substantia Baptismi rectè sentientes, in substantialibus* Christi institutionem *reipsa* servant, adeoque verum administrant baptismum, cujusmodi hodie *Pontificij* & *Zvinglio-Calvinistæ.*

LXXVII. Idcoque ab istis baptizati, si quando ad nos transeant, non rebaptizantur: sed rectiùs instituuntur, inque vera fide confirmantur.

LXXVIII. Et huc facit præclarum istud Bedæ:

Sive hæreticus sive Schismaticus, sive facinorosus quisq; *in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est à nobis Catholicis rebaptisari, ne confessio & Trinitatis invocatio annullari videatur.*

Homil. 36. in Matth. citante Longobardo Lib. 4. dist. 6.

LXXIX. Lapsi igitur sunt *Cyprianus & Concilij Carthaginensis Episcopi*, dum Baptismum ab Hæreticis administratum indiscriminatim inefficacem proclamarunt.

Euseb. lib. 7. c. 3.

Hist. Magdeb. Cent. III. p. 187.

LXXX. Refutavit hunc errorem solidè (p) *Augustinus*: dissertè de eodem gravirer (q) *Lutherus*.

(p) *Contra Donatistas lib. 1. c. 8. 12. 13. Lib. 3. cap. 10. & 19. Lib. 4. c. 15. Lib. 5 c. 13. & 15. De doctrina Christ. Lib. IV. c. 17. De Vnico Baptismo c. 6. De unit. Eccles. c. 18.*

(q) *Tom. VI. Ien. f. 80.*

PROBLEMA III.

An aliquis seipsum, in casu necessitatis, licitè baptizare possit ac debeat?

LXXXI. Ut status & scopus hujus quæstionis evidentiùs conspiciatur, proponamus casum. *Formatio ca-*

LXXXII. Sit Judæus vel Turca, qui velit Christianus fieri & *sus.* Sacramentum initiationis suscipere.

LXXXIII. Eò autem non admittitur, nisi aliquandiù fuerit Catechumenus, &, in doctrina religionis Christianæ, anteà rectè institutus.

LXXXIV. Contingere potest, ut is, dum ad baptismum se præ-

parat, interea temporis, in loco quodam solitario, lethali quodam morbo, subitò corripiatur.

LXXXV. Quæritur jam, quid in hoc mortis præsentissimæ periculo, faciendum, num ipsi absq; baptismo, moriendum: an verò liceat, ut, si possit, ipse seipsum baptizet.

II. Decisio. 1. LXXXVI. Sed facilis est responsio, ex institutione Christi, *Matth.* 28. qua duas ad baptismum distinctas personas omninò requirit: βαπτίζοντα unam: βαπτιζομένην alteram.

2. LXXXVII. Adde quòd in tali baptismo usitata baptismi formula: Ego baptizo TE, cum hac altera absurdè permutanda; Ego baptizo me.

3. LXXXIIX. Adjiciunt Scholastici hanc rationem ab absurdo, quod nimirum æquè absurdum, si quis seipsum regenerare: ac si quis seipsum generare dicatur.

4. LXXXIX. Et quid multis? Nullum vel in sacra vel Ecclesiastica Historia talis Baptismi exemplum nobis commendatum reperire licet.

III. περιλήψις. XC. Neque verò privatio Baptismi ejusmodi Catechumenis, in casu necessitatis, salutis consequendæ viam absolutè præcludit, modò per fidem se consolentur merito Christi, cum hic ipse Autor & (r) Dominus Baptismi casum necessitatis tacitè excepit, substituta clementissima dispensatione, de qua Bernhardus:

Voluntas pro facto imputatur: ubi factum excludit necessitas
Epist. 77.

(r) *Marc. 16, 16.*

XCI. Et sic quamplurimi è Catechumenis, in primitiva olim Ecclesia, absq; baptismo, fuere salvati, de quibus piè & eleganter Basilius:

ἐν ἰδίῳ αἵματι διὰ τὴν οἰκείαν πίστεως ἐβαπτίσθησαν,
in homil. de 40. martyribus.

DE

DE BAPTISMO
DECADIS SECUNDÆ.
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
NICOLAO ROLMANNO
Tremonienſi Weſtphalo,

Ad diem 20. Iulij, horis locoq; conſuetis

PROBLEMA IV.

An mulieribus, in caſu neceſſitatis, permittendum, ut adminiſtrent, in ædibus privatis, baptiſmum?

THEMATION I.

ADminiſtri Baptiſmi *duplices* ſunt: *Ordinarij & Extraordinarij.*

II. *Ordinarij* Baptiſmi adminiſtri ſunt omnes Verbi præcones, ad docendum Evangelion & adminiſtrandum Sacramenta legitimè vocati. *Matth. 28, 19, 1. Cor. 4, 1. 6. 14, 40. &c.*

I. ἀφαίρεσις τῦ ἀναμφισβητήτῦ.

III. Apud hos ſolos reſidet jus baptizandi *publicè & ordinariè*, ſecluſis indè mulieribus, autoritate Apoſtolica. *1. Cor. 14, 33. 1. Tim. 2, 12.*

IV. In quam non leviter impegerunt *Marcion*, ejuſq; *Sectatores*, qui mulieribus etiam in *publicis* cœtibus, extra caſum neceſſitatis, baptizare permiſerunt. *II. Cent. Magd. pag. 96.*

V. Ordinarij baptiſmatos Adminiſtri fuerunt *ante Aſcenſionem* Chriſti in Cœlos: Johannes κατ' ἐξοχὴν Baptiſta cognominari meritus.

Matth. 3, 1. Marc. 1. 5. & seq. Luc. 3, 3. & seq.
Iohan. c. 1, 33. c. 3. 23.

VI. (a) *Ante &* (b) *post Christi Ascensionem* Discipuli Christi.

(a) *Ioh. 3, 22. 26. c. 4, 2.* (b) *Matt. 28, 19. & passim in Act. Apost.*

VII. *Post Christi Ascensionem* sunt hodieq; omnes Ecclesiæ Ministri ritè vocati, sive pij sint sive impij, si modò institutionem Christi, in substantialibus, ritè sequantur & observent.

II. Θέσις τῶν ἀμφισβητουμένων.

VIIX. Et de his Ordinarijs Baptismi Administris nullum inter nos & Sacramentarios certamen fervet.

IX. *Controversia* autem omnis est, de Administris Sacramenti illius sanctissimi *extraordinarijs*, quales apud nos Mulieres, quibus permittitur, administrare baptismum privatum.

X. Hunc Sacramentarij non tantùm invidiosè appellant γυναικοβαπτισμὸν: sed illum etiam ἄλως καὶ ἀπλῶς improbant, sicut ipsorum Scripta luculentissimè attestantur.

Calv. in Epist. fol. 99. & lib. 4. inst. c. 15. sect. 20. 21. 22. Simlerus de bapt. th. 99. 109. Beza in Colloq. Mompelg. f. 499 500.

XI. Immò (b) iste sectæ Calviniſticæ Coriphæus scribere non veretur: se malle à Diabolo in ministerij cathedra sedente baptizari, quàm à fœmina Christiana.

(b) *Beza Quæst. 144.*

XII. In nostris verò Ecclesijs Augustanam confessionem amplectentibus, permittitur mulieribus, in casu necessitatis, quando infantes de vitâ extremè periclitantur; nec tamen vel Ministri verbi, vel alicujus honesti viri copia haberi potest, ut illos baptizent in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.

XIII. Et ad hanc rem à pastoribus suis informantur, & num ritè baptismum administrârint, examinantur, juxta præscriptum, *Agendæ Ecclesiasticæ in Constit. Eccles. Elect. Saxon. Anno 80. editâ. fol. 22. 23. 24. 25.*

III. *Rationes instituti nostri* VIII. 1.

XIV. Hujus instituti rationes habemus maximi momenti, quas brevissimè percensere juvat.

XV. 1. Quia necessitas non habet legem. Meritò igitur externæ circumstantiæ personarum & loci cedunt baptismo, qui est Dei ter optimi maximi institutio.

16. Deus

XVI. Deus enim illis non est alligatus: sed ubicunq; duo vel tres congregati sunt in nomine ipsius, ibi in medio eorum est, juxta promissionem Christi, Matth. 18.

XVII. 2. Quia mulieres quoq; sunt βασιλικὸν(c) ἱεράτευμα, ad sancta officia Deo præstanda, à Spiritu sancto, virtute sanguinis Christi consecratæ. 2.

(e) *1. Pet. 2, 5. Apoc. 1, 6. c. 5, 9. Ioel. 2, 28 & 29. leg. Luth. Tom. 1. Germ. Ien. fol. 369, 370.*

XIIX. Unde & non solùm domi, sed etiam interdum publicè docendi munus sustinuisse leguntur, ut (d) *Eunica* mater & *Lois* avia Timothei; (e) *Debora* (f) *Hulda*, & (g) *Anna* Prophetissa (h) *Priscilla* Pauli adjutrix

(d) *2. Tim. 5.* (e) *Iudic. 4. 4.* (f) *2. Reg. 22, 14.* (g) *Luc. 2. 36.* (h) *Act. 18, 26. Rom. 16, 3.*

XIX. 3. Quia apud Deum nulla προσωπολημψία, adeoque nec mas, nec fœmina in Iesu Christo, *Gal. 3.* 3.

XX. 4. Fœminæ nonnullæ veram interdum circumcisionem administrásse leguntur, ut (i) *Zipora* Moisis uxor, & (k) *matres* piæ tempore persecutionis Antiochenæ. 4.

(i) *Exod. 4, 25.* (k) *1. Maccab. 1, 63. 2. Maccab. 6, 10.*

XXI. Si itaq; hoc præstare potuerunt fœminæ in Veteri Testamento ceremonijs & circumstantijs magis astrictô *incircumcisæ*: quantò magis in Novo Testamento fœminæ nostræ, quæ ipsæ quoq; *baptizatæ* sunt, verum poterunt dispensare baptismum, qui circumcisioni successit? *Colos. 2, 11.*

XXII. 5. Si, ex sententia (l) *Calvini* & (m) *Bezæ*, à Solis legitimè vocatis baptismus administrari potest: cur à Romanensibus baptizatos non rebaptizant? aut quid impedit, quin sacrificulos, Antichristi Occidentalis mancipia, legitimè vocatos asserant? 5.

(l) *Lib. IV. Inst. c. 20, 21. 22.* (m) *Colloq. Mompel. f. 435, 436.*

XXIII. 6. Et cum (n) Beza, licet sacrilegè, in casu necessitatis, *aquam*, Christi institutione, solam baptismo destinatam, cum alio quovis liquore rectè permutari posse, scriptitet: quæ obsecro ἰδιογνωμοσύνη & παράφορα ταῦτα: nolle concedere, quòd, in præ-

sentissimo mortis periculo, quo ad *personam* ordinariam possit dispensari?

(n) *Epist.* 2.

XXIV. 7. Accedit quòd *Ambrosius* refert, olim etiam Laicos baptismum administrasse, propter paucitatem ministrorum.

In Comment. ad Ephes. c 4.

XXV. 8. Adjungit suum quoq; calculum Reverendus Pater *Lutherus*, de γυναικοβαπτισμῷ hunc in modum docens:

Tom. VIII. Ien. fol. 45.

Wenn sich so geschwinde noth begibt / daß das Kindlein / so bald es zur Welt kömpt/so gar Kranck vnd Schwach/daß zu besorgen/es möchte sterben / ehe es zur öffentlichen Tauffe in die Kirchen könte gebracht werden / So ist den Weibern zugelassen/ daß sie es selbst Teuffen/mit den gebreuchlichen Worten/Als nemlich/Ich teuffe dich im Namen des Vaters/des Sohns/vnd des H. Geistes / Amen. In diesem Fall sol man nachfolgende Vnterscheid mit vleiß mercken/ Nemlich/ Daß allezeit die Mutter des Kindes sol auffs wenigste zwey oder drey Weiber oder Personen zu solcher Noth erfoddern lassen/die da können Zeugnis geben/daß das Kind getaufft sey/ wie denn vns die heilige Schrifft lehret/ Im Munde zweyer oder dreyer Zeugen soll alle Sache bestehen/ Deut. 19.

Darnach aber/so das Kind lebendig bleibt/sollen sie es in die Kirche für den Pfarrherrn oder Caplan bringen/Demselben anzeigen/ daß das Kindlein von jhnen in der Noth getaufft sey worden/ vnd sollen bitten / das er wolle solche jhre Nohtauff durch auffiegung der Hände auff des Kindleins Häupt / bestetigen vnd bekrefftigen/ welches nicht derhalben geschicht / Als ob die geschehene Tauff von den Weibern solt Vnrecht vnd Vnkräfftig sein. Denn es ist einmahl an jhr selbs die rechte Tauffe/ Doch muß es auch ein öffentlich Zeugnis haben/ welches dermassen/wie jtzt gemelt/ durch den Kirchendiener geschicht.

XXVI. E quo ultimo sanè paragrapho liquidissimè apparet, quòd, licet pueruli a mulieribus baptizati, si supervixerint, intem-

templum apud nos deportentur, precibusq; Ecclesiæ Deo commendentur: id tamen non pro baptismi iteratione, aut baptismi *aliàs irriti* confirmatione: sed publica tantùm testificatione habendum.

XXVII. Proindè nec volumus nec possumus Cacoethes illud Papicolarum probare, quo puerulos, in casu periculi vitæ, privatim baptizatos, ideò rebaptizant, quòd Mulier unam atque alteram ceremoniam omiserit, vel non rectè adhibuerit.

XXIIX. Multò minùs probari potest ac debet formula isthæc baptizandi, qua, in ejusmodi baptismi repetitione, uti consueverunt:

Si baptizatus es: te iterum non baptizo. Si verò nondum baptizatus es: Ego baptizo in nomine PATRIS & FILII & SPIRITUS SANCTI.

Catech. Rom. ad Parochos fol. 211.

XXIX. Audet istam baptizandi formulam propugnare (*l*) Iesuita *Gretserus*, falsè deridens Lutherum, quòd baptismum istum conditionalem manifestò oppugnavit, verbis hisce, malitiosè à Iesuita præteritis, ut eò securiùs & licentiùs mentiretur: *Lutherum nullam phantasiæ suæ causam adduxisse:*

Hie sollen sich auch die Priester hüten / daß sie nicht cum conditione, si tu non es baptizatus, Teuffen / Denn es ist ein vnleidlicher Mißbrauch gewest / damit vngewiß wird / beyde die erste vnd die andere Tauffe / vnd heist nicht mehr denn also / Ist die erste Tauffe recht / So ist diese vnrecht / sol diese recht sein vnd gelten / welche ists denn? Ich weis nicht. Wir lassens geschehen / Daß Gott vns / vnd denen / die also getaufft sind / solchen Mißbrauch zu gut halte / aber nu der Warheit so helle am Tage ist / wollen wirs machen nach Christus Befehl / wie gesagt / Damit vnser Glaube könne bestehen. *Tom. V.III. Ien. pag. 46.*

(l) In Luthero Academico fol. 86.

XXX. Quòd si fortè contingat, ut Mulierculæ, vel dubitent, vel trepidantes affirment, se nescire, quid, præ subita animi consternatione, in actu tam sancto egerint, quâ materia, qua verbo-

rum forma usæ fuerint: tum sequendum est Lutheri consilium, quod sic habet:

Wirds aber anders befunden/Daß das Kind nicht recht getaufft ist/ oder daß die Leute nichts gewisses können berichten/So teuffe es der Priester frewdig/Denn es ist war/ wie Augustinus sagt: Non potest dici iteratum, quod ita nescitur esse factum. Wir müssen von dem Sacrament/ als von Gottes Wort gewiß sein.

Tom. VIII. Ien. fol. 45. 46.

PROBLEMA V.

An sacrificulis in Papatu ad baptisandum committi debeant, & salvâ conscientiâ possint filioli ab ijs, qui, Papatu malè valere jusso, Lutheranæ religioni ὁλοψυχως addicti?

XXXI. Vi & vigore Pacis Religioni datæ, in Comitiis Augustanis, *Anno 1555.* in Germania sparsim simul degunt Lutherani & Pontificij.

XXXII. Utinam Lutheranis, vi & vigore ejusdem Sanctionis sanctissimæ, ubiq; locorum publicum etiam Rellgionis exercitium, & Sacramentorum usus liberè concederetur.

XXXIII. Non opus esset hujus quæstionis ventilatione; nec querelis, quæ passim audiuntur in omnibus vitæ ordinibus.

XXXIV. Sed non patitur id Draco ille Stygius. Quapropter & huic tabulæ manus nobis admovenda.

Responsio duplex per distinctionem.

XXXV. Primam igitur ut ducamus lineam: Distinguendum utiq; est, inter *duplicem Lutheranorum Statum.*

XXXVI. *Aliquibus* datur copia & potestas *liberè* utendi opera Ministri Lutherani: *alij* verò tyrannide Pontificiorum *pressi* non alius, quàm Sacrificuli ministerio uti coguntur.

Responsio Negativa.

XXXVII. *Quibus copia datur & potestas liberè* utendi opera Ministri Lutherani: parvulos suos sacrificulis, ad baptizandum, salva conscientia nec possunt nec debent offerre.

38. Ob-

XXXIIX. Obstant enim partim *interdictorum* Dei fulmina: partim gravissima *Rationum* pondera.

XXXIX. *Interdicta* Dei iterum vel sunt *Generalia* vel *Specialia*. *Fundamen-*

XL. Inter *Generalia* facilè primas tenent, hæc *duo*. *ta.*

XLI. 1. *E Veteri Testamento* primum Decalogi Præceptum, cæterorum omnium fons & caput:

Non habebis Deos alienos coram me.

Exod. 20. Deut. 5.

XLII. 2. *E Novo Testamento*, serium Christi Salvatoris nostri ἀπαγόρευμα.

Matth. 7. *Cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium: sed intrinsecus sunt lupi rapaces.*

XLIII. *Speciale* est vox illa ἀρχαιόπρεπτος, quâ seriò jubemur, ne quid, cum Babylone Romanâ, commercij habeamus:

Apoc. 18. *Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus, ne accipiatis. Quoniam pervenerunt peccata ejus, usq; ad cœlum.*

XLIV. *Rationum* pondera valida sunt & varia, sed lanci nostræ ἐν τῷ παρόντι, imponimus tantùm hæc *quatuor*.

XLV. 1. Est necessitas non offendendi infirmiores.

Rom. 14. 1. Cor. 8.

XLVI. 2. Studium vitandi suspicionem collusionis cum satellitibus Romani Antichristi, siquidem Sacramenta, inter alia, etiam Symbola & tesseræ confessionis. *2. Cor. 6.*

XLVII. 3. Prudentia cavendi, ne cuiquam præbeatur causa vel ansa dubitandi, de veritate & efficacia baptismi, in infantia à sacrificulo suscepti; quo tentationis telo μυελοπάχυλον illum infernalem perturbatas conscientias nonnunquam adoriri solere, praxi Ministeriali constat.

XLIIX. 4. Periculum, ne οἱ βαπτιζόμενοι defraudentur procibus Baptistarum.

XLIX. Et tantùm de Christianis, qui in *statu libero* versantur: eos porrò, qui tyrannide Pontificiorum *pressi coguntur* parvulos suos non alijs, quam sacrificulis ad baptizandum committere, quod attinet: aliter se res habet. *Responsio affirmativa eaq; Conditionalis.*

30. Sua-

L. Suadendum illis ut clàm alant ministrum Lutheranum, quemadmodum alicubi fieri accepimus, dluq; fieri animitùs optamus, & ab hoc, si fieri possit, filiolos suos baptizari curent.

LI. Quòd si Ministri Lutherani, in eo, quo habitant loco, copia ipsis fieri nequeat; vel παροικεὶ aliò transmigrent; (quod omnium consultissimum) vel saltem cum uxore gravida, ante partum.

LII. Quòd si neutrum facere liceat, committant potiùs parvulos suos sacrificulis baptizandos, quàm prorsus baptismo defraudent, præmissa tamen *protestatione*, quòd hoc actu nolint confirmare superstitiones & abominationes Pontificias, cum expresso Dei Verbo ἀνηφαλιτῶς pugnantes.

mi aliam alij cum sententiam

Ejus fundamentum.

LIII. *Fundamentum* hujus sententiæ præcipuum est, quòd singulari Dei gratia, baptismus, quoad substantialia, integer & incorruptus ad hunc usq; diem in Papatu conservatus.

LIV. Quod certè immensum Dei beneficium, quòd Theander *Lutherus* isthac δοξολογία sibi celebrandum duxit:

Tom. II. Ien. Lat. in Libr. de capt. Babyl. fol. 270.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum divitias misericordiæ suæ saltem hoc unicum Sacramentum servavit in Ecclesia sua illibatum *& incontaminatum à constitutionibus hominum, liberumq; fecit omnibus gentibus, omniumq; hominum ordinibus. Nec passus est, & ipsum teterrimis quæstus & impiissimis superstitionum portentis opprimi, Eo scilicet consilio usus, quod parvulos, qui avaritiæ & superstitionis capaces non sunt, eo voluit initiari, & simplicissima fide verbi sui sanctificari, quibus & potissimum hodiè prodest baptismus.*

LV. Etsi enim Papicolæ varia traditionum humanarum inquinamenta baptismo aspergere consueverunt: accurato tamen studio inter *hunc* & *illa* distinguendum.

LVI. Baptismus per se, quandoquidem institutio Christi servatur integra, purus manet & incontaminatus.

LVII. Inquinamenta verò traditionum humanarum hærent

partim

partim in ijs rebus, quæ, circa baptiſmum, ſuperſtitioſo ſacrificulorum abuſui ſubſervire coguntur, *partim* in ipſis ſacrificulis ſuperſtitionum illarum magiſtris & adminiſtris, & *partim* deniq; in ijs, qui ejusmodi ſuperſtitionibus συνδοκῶσι *Rom. 1. v. ult.*

LIIX. Solet diſtinctio hæc à Theologis explicari exemplo τῶν εἰδωλοθύτων, de quo 1. *Cor.* 10.

LIX. Aliqui huc etiam accommodant, & quidem παναρμονόσως, ex Hiſtoria Evangelica, judicium Chriſti Salvatoris de Phariſæis.

LX. Etenim *Matth. 16,* ſeriò jubet *cavere à fermento* eorum, id eſt, Chriſto ipſomet interprete, à *doctrina* ipſorum.

LXI. Veruntamen *Matth. 23.* idem præcipit diſcipulis ſuis, ut omnia ſervent, quæcunq; præceperint ipſis Phariſæi, quatenus in Cathedra Moſis ſedeant, & doctrinam legis ex Moſe proponant: Verba ejus ἀξιοθέατα hæc ſunt:

In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæ juſſerint vos ſervare, ſervate & facite.

LXII. Pari ratione in omnibus ferè religionis Chriſtianæ articulis graves fovent & propugnant errores Pontificij, à quo ipſorum fermento deteſtabili meritò cavendum, nec quicquam cum illis commercij habendum.

LXIII. Interim tamen, quia baptiſmus, ſingulari gratiâ Dei quoad *ſubſtantialia*, manſit integer, & à fermento errorum immunis, ſervatâ Chriſti inſtitutione: *in ſtatu coactionis & caſu neceſſitatis*, à Lutheranis concedi poteſt, ut filioli ipſorum à ſacrificulis baptiſmatis ſacro initientur.

NB.

LXIV. Quibus ſic à ſacrificulis baptiſmo initiatis, ubi ad annos diſcretionis pervenerint, proponenda & inconculcanda ſunt ea, quæ hactenus de baptiſmo in Papatu, dicta adductaq; ſunt; ut maturè ſe muniant adverſùs dubitationem de veritate & efficacia baptiſmi à ſacrificulo ſibi collati.

LXV. Quæ omnia cum recto incedant talo, vereq; ſic ſe habeant: non poſſumus utiq; in *Bezæ* ire ſententiam, quam gemi-

Conclusio na hac quæstione comprehendit, absolutè & indiscretè defen-
porismatica. dens *Negativam.*

Rectè igitur censes eos facere, qui purum Christianismum ejurato Papatu amplexi, baptizandos suos liberos sacrificulis offerunt?

Resp. Nequaquam.

At tu tamen inquis verum hunc esse Baptismum? Resp. Illud tamen ex hoc non consequitur. Nam etiamsi valet quod datur, tamen non sequitur, peccato carere eum, quid perierit. Quum enim multa sunt in baptismi ritibus Papisticis impura, non est expers peccati, qui eorum exercendorum causam præbet: ut taceam, sic in adulterina sua vocatione foveri, quos potiùs ex Dei domo expelli ab ijs oportuit, quos id curare imprimis docebat, Christi exemplo.

Volum. III. fol. 348.

PROBLEMA VI.

An mater filiolum, in loco quodam solitario, à se in lucem editum, imminente vitæ periculo, baptizare possit ac debeat?

LXVI. Varij, circa baptismum, sese offerunt casus, inter quos & hic est, quem in proposita hac perstrinximus quæstione.

I. *Lutheri Consilium.*

LXVII. Quid Lutherus sentiat perspicuè & distinctè exponit *Tom. VIII. Ien. fol. 45.* ubi sic perscriptum legitur:

Ists aber sache/ daß ein Weib mit der Geburt so gar vnversehens vbereilet würde/ vnd das Kind so schwach were/ daß es verscheiden möcht/ ehe sie jemand dazu kunten ruffen/ In diesem Fall mag sie das Kind allein teuffen/ Stirbt es als denn/ So ist es wol gestorben/ vnnd hat die rechte Tauffe empfangen/ welches die Mutter in keinem zweiffel stellen sol.

So aber das Kindlein am Leben bleibt/ Sol die Mutter von solcher jhrer Tauffe keinem Menschen nichts vermelden/ sondern

sondern still schweigen/vnd nachmals das Kind nach Christlicher ordnung vnd gebrauch zur öffentlichen Tauffe bringen. Vnd diese ander Tauffe sol vnd kan für keine Widertauff gerechnet werden/ Wie auch oben von Findelkindern gesagt ist. Denn sie allein darumb geschicht/ Daß der Mutter/ als einer einigen Person sonderlich vmb solcher wichtigen Sach/ daran der Seelen Seligkeit gelegen/ gar nicht gegleubet mag werden. Vnd solche jhre Tauffe kein Zeugnis hat/ darumb der öffentliche Tauffe hoch von nöhten.

LXIIX. *Duæ* sunt Consilij istius partes: In *priori* affirmat Lutherus, posse ac debere Matrem, in tali casu, imminente præsentissimo mortis periculo, filiolum suum baptizare. II. *Consilij Lutheri analysis.*

LXIIX. Et si contingat infantulum mox à baptismo mori: certò statuendum esse & nullatenus dubitandum: illum, vi & efficacia baptismi hujus, salvatum esse.

LXX. In *posteriori* autem parte, suadet Lutherus, si infans clàm baptizatus supervivat: tum debere matrem, de baptismate istosilere, & curare, ut, more & ritu Christiano, publice baptizetur.

LXXI. *Fundamentum* hujus consilij in dè peir, quod baptizatos certos esse oporteat, de baptismi in infantia suscepti veritate.

LXXII. Veritas autem consistit in ore *non unius, sed duorum vel trium testium*, secundum authenticam Iehovæ: Mater verò una saltem testis est baptismi.

Deut. 6, 17, 6. c. 19, 15. Matth. 18, 16. Iohan. 8, 17.
2. Cor. 13, 1. Hebr. 10, 28.

LXXIII. Ne baptizato ansa præbeatur de baptismo dubitandi, quem esse convenit extra omnem dubitationis aleam positum, tanquam fundamentum salutis, adversus omnes inferorum portas, firmum & inconcussum.

LXXIV. Neq; propterea Anabaptistici furoris insimulandus est Lutherus, quasi iterationem baptismi calculo probârit suo.

LXXV. Anabaptistæ enim *non* Baptismo clàm, in casu singulari

lari, à matre ſolitaria collato: *ſed* baptiſmo publicè, & ſolenniter, à miniſtris Eccleſiæ, præſentibus eò invitatis teſtibus adminiſtrato, ſuum Anabaptiſmum opponunt.

III. *Antéλεγχος Gretſeri.*

LXXVI. Sycophantæ igitur & Stellionis perſonam agit in publico Orbis Chriſtiani Theatro, Hiſtrio Ingolſtadienſis *Gretſerus*, dum non veretur, Anabaptiſticæ impietatis notam inurere, *Luthero* ex hac ipſa poſteriore hujus Conſilij parte, mutilatè ac depravatè allegatâ.

In Luth. Acad. fol. 86.

LXXVII. Omittit enim fundamentum, cui ſuum iſtud Conſilium Lutherus ſuperſtruxit.

LXXIIX. Silentio involvit θεοδεράπειαν Lutheri, quâ Calvinianam Jeſuitæ, de Anabaptiſmo, quaſi Spiritu eandem prævidens, jam olim antevertit.

LXXIX. Mentionem baptiſmi infantum expoſititiorum duntaxat arripere, & à ſcopo Lutheri abripere conatur.

LXXX. Sed conatu planè irrito. Quæ enim de baptiſmo conditionali oggerit, frivola ſunt, & ſuperiuſculè confutata.

IV. *Quid faciendum cum infantibus inventitijs.*

LXXXI. In noſtris Eccleſijs infantes inventitij, quos vocant abſolutè & abſq; ulla conditione baptizantur, ſi maximè ſchedula quædam adjecta teſtetur, eos eſſe baptizatos: nulla tamen loci Baptiſtæ & teſtium addita mentione, ut, inſtitutâ inquiſitione, an illi verè baptizati ſint, nec ne, explorari queat.

LXXXII. Qua in parte, iterum ſequimur Conſilium *Lutheri* ex eodem, quo prius, fundamento eductum:

Tom. VIII. Jen. fol. 45.

Darumb/ wenn man jrgend ein Kind auff der Gaſſen/oder ſonſt an einem Ort findet/ vnd nicht weiß wem es zugehörig/ Ob es getaufft ſey oder nicht/ wenn es ſchon getaufft were. Doch dieweil kein öffentlich Zeugnis fürhanden/ſol mans noch einmahl in der Kirchen laſſen teuffen/ vnd mag ſolche Tauffe für keine Widertauff geacht werden/ Denn die Widerteuffer fechten allein an die öffentliche Kindertauff/ &c.

DE

DE BAPTISMO,

DECADIS SECUNDAE.

Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

EVERHARDO WITTGERO

Esseno ex Westphalis inferioribus.

Ad diem 3. Augusti horis locoq; consuetis.

VII. PROBLEMA.

An aliquo alio liquore, præterquam aquâ, ad administrationem baptismi, utendum?

PROPOSITIO I.

QUod *præcipio tibi hoc* Tantùm *facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas*, ait Jehovah. *Deuteronom. 12.* I. *Sacramentariorum ψευδοδοξία.*

II. Utinam atq; iterum utinam Gens Sacramentaria Universale istud Jehovæ mandatum debitâ animi reverentiâ & observantiâ, circa augustissimam, de Baptismo, doctrinam prosequeretur!

III. Quàm contemtim autem istud abilla habeatur, partemque maximam negligatur: cum alia numero non pauca: tum vel maximè præsens istud Problema haud obscurè arguit.

IV. Destinavit Christus institutione suâ religiosissimè observanda, non aliud Elementum, præter quàm solam aquam, ad Baptismum tam Extraordinarium & privatum: quàm Ordinarium & publicum uniçè adhibendam.

V. Quid verò Sacramentiperdæ? Præceptum Domini partim addendo: partim minuendo temerè violant: ordinatio-

nem Christi pedibus quasi conculcant: in defectu aquæ, alio quovis liquore, ritè baptizari posse publicitus asseverant.

VI. Si quis ambigit: is modò intueatur Emblema illud, quod Artifex ille Calvinianus in secundâ suspendit Epistolâ ad Thomam Tilium Symmistam suum perscriptâ:

Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit nec debeat: ego certè Quovis alio liquore non minus ritè, *quàm aqua baptizârim.*

Vol. III. f. 196.

VII. Eôdem ungue scabit se Calvinus dum ἀξίωμα Christi καθολικὸν non minus quàm πολυθρύλητον Ioh 3, 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* hac ψελλοδεξμυλεία sacrilegè pervertit & depravat:

Postquam enim naturæ corruptionem Nicodemo exposuit Christus, ac renasci oportere docuit: quia ille renascentiam corporalem somniabat, modum hic indicat, quo regenerat nos Deus, nempe per aquam & Spiritum; quasi diceret, per Spiritum, qui purgando & irrigando, fideles animas, vice aquæ fungitur. Aquam ergo & Spiritum, simpliciter accipio pro Spiritu, quia aqua est. Neq; *hæc nova est locutio: prorsus enim cum illa, quæ tertio Matthæi capite habetur, convenit. Qui sequitur me, ille est, qui baptizat in* Spiritu *sancto & igni. Quemadmodum ergo* Spiritu *sancto & igni baptizare, est* Spiritum *sanctum conferre, qui in regeneratione ignis officium naturamq; habet: ita renasci aqua &* Spiritu *nihil aliud est, quàm vim illam* Spiritus *recipere, quæ in anima id facit, quod aqua in corpore.* lib 4. Inst. cap. 16. §. 25.

VIII. Calvini in eâdem κυβείᾳ socij & sectatores sunt (a) *Petrus Martyr,* (x) *Bullingerus,* (c) *Gualtherus.*

(a) *in Epist. ad Corinth. p. 179. in Comment. in 1. Reg. c. 8.*
(b) *in Ioh. p. 29;* (c) *in Comment. in eundem locum.*

IX. Omisit & *Beza*: sed sacrilegè omisit, notionem aquæ, *in suis notis ad Novum Testamentum,* assignatâ regeneratione tantùm Spiritui sancto, nulla vel aquæ vel Baptismi facta mentione.

II. ὀξοδοδιδασκαλία *Lutheranorum, confirmatur Syllogismo* τετραμέσῳ.

X. Nos nostram, hac etiam in parte, ὀξοδοδιδασκαλίαν, adversus Spiritus Sacramentarij σκολιοδοξίαν, hoc munimus & defendimus σκεπαστηρίῳ Syllogistico.

Quicquid pugnat, cum mandato & institutione Dei; cum Bapti-

ptiſmo Chriſti, cum Exemplis Johannis Baptiſtæ & Apoſtolorum, cum rationibus Fidei analogis: *id falſum eſt & impium, ac proinde meritò rejiciendum & damnandum.*

Atqui talis eſt σκολιοδοξία *Spiritus Sacramentarij, quòd alio quovis liquore non minus vitè, quàm aqua baptizari poſſit.*

Ergò.

XI. σκεπασθὲν iſtud *quatuor* quaſi articulis ſibi invicem concatenatis conſtat; quæ ſingula ſeorſim jam diſpicienda.

XII. 1. *Mandatum & inſtitutio Dei* ante oculos interque manus noſtras verſatur:

Johan. cap. 1. *Qui miſit me baptizare in* Aqua: *ille mihi dixit.*

Johan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex* Aqua & Spiritu.

Eph. 5. *Chriſtus mundat Eccleſiam lavacro* Aquæ *in verbo.*

1. Joh. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra:* Spiritus & Aqua & *ſanguis.*

Item: *Hic eſt, qui venit per* Aquam & *ſanguinem, Ieſus Chriſtus.*

XIII. 2. *Baptiſmus Chriſti* non alio utiq; elemento peractus legitur, quàm aqua (*d*) Jordanis, hocq; ſuo baptiſmate Chriſtus tum aquam Jordanis, tum alias aquas omnes & has ſolas conſecravit, in (*e*) ſacratiſſimam baptiſmi materiam; quemadmodum Lutherus piè ſentit, ſimulq; devotè loquitur Eccleſia in precatiuncula βαπτισικὴν altera.

(d) *Matth. & Luc. 3.*

(e) *Tom VI. Ienenſ. fol. 28*

XIV. 3. *Exempla Iohannis Baptiſtæ & Apoſtolorum* literis conſignata extant.

Ioh. cap. 1, 26. 31. cap. 3, 23. Act. 8, 47. 38. 6. 10.

XV. 4. *Rationes analogæ fidei* complures adduci poſſent: ſed ſufficiant, pro re nata, hæ duntaxat *duæ*:

XVI. *Priorem* hanc urget Lutherus:

Id duntaxat Elementum eſt in baptiſmo adhibendum, quod verbo Dei incluſum & verbo Dei comprehenſum.

Atqui nullus, præter aquam, liquor verbo Dei incluſus & verbo Dei comprehenſus: ſed, ſola aqua comprehenditur verbo Dei, & verbum Dei ſolam aquam comprehendit,

Ergò

XVII. Posteriorem sic proponimus:

Communis lavacrorum materia est aqua. Atqui baptismus est commune lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto.

Ergò.

III. *Refutatio exceptionis.*

XIIX. Neq; ullius hili pilive est exceptio casus Necessitatis, in quo quidem dispensari potest quoad *circumstantialia* Sacramentorum: quoad *substantialia* vero minimè. Aqua autem non est, affectio quædam σχεσιτικὴ vel *circumstantialis*: sed pars συστατικὴ & *substantialis*.

XIX. Ἀπαράλακτον τυφλόπεργον oportet esse eum, qui non vel ex hac una Sacramentariæ κακοδοξίας parte pervideat, quòd Beza vertiginis spiritu agitetur.

XX. Negat, in casu necessitatis, quoad externas loci & temporis circumstantias dispensari posse.

XXI. Asserit contrà, in eodem casu, quoad partem Baptismi internam & substantialem licitè posse dispensari Κόναπ ὁδιυλίζοντες καμήλ καταπόντες, *Matth. 23.*

IV. *Vindicatio dicti Salvatoris à ψευδοδοξία Calvinistica.*

XXII. Calvini & Asseclarum ejus ψευδεμφυσεῖαν, circa vocem, Aquæ, in illustri illo Salvatoris oraculo *Ioh. 3, 3. Nisi quis, &c.* quod attiner; impingit illa in στοιχεῖον istud Theologicum, ex ἐπαγωγῇ omnium Sacramentorum, firmissimè extructum:

Sacramentorum materialia simpliciter & sine ullo tropo, κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda sunt.

XXIII. Et quid multis? Habemus optimum interpretem verborum Christi, organon puta ipsius electissimum *Tit. 3.* ubi clarâ & sonorâ voce Baptismum *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, &c.* appellat.

XXIV. Hac ipsâ scilicet ἐξηγήσει ostendit renasci ex aqua & Spiritu idem esse, quod, per aquam Baptismi, virtute Spiritus sancti, *verè abluì* à peccatis.

XXV. Qua phrasi etiam usus est Ananias in hac ad Paulum πρὸς Φωνήσει: *Exurge & baptizare, & ablue peccata,* Act. 22.

XXVI. Idq; adeo verum est, ut idem Apostolus loco nuper allegato, *Tit. 3.* non dubitet affirmare: *Deum nos salvos facere per lavacrum hoc regenerationis.*

XXVII. Quod ad illud Johannis *Matth. 3. Qui sequitur me, &c.*

con-

confugit: planè ἀπροσωπόπως agit: siquidem ibi *non de baptismo fluminis*, sed Flaminis agitur: adeoq; vocabulo *Ignis non Spiritus sancti* operatio κατ' ἐξήγησιν: *sed symbolon exhibitionis*, κατὰ μετωνυμίαν, notatur.

XXVIII. Quibus sic explicatis: ultro patet, quòd nullo alio liquore, præterquam aqua, ad administrationem Baptismi utendum. ὃ ἔδει δεῖξαι.

XXIX. Ac proindè, si contingat, ut vel lacte vel cerevisia vel vino, vel alio quodam liquore, infans in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti aspergatur, non dispensatur: sed profanatur Baptismus.

XXX. Ideoq; omnes, qui hoc modo aspersi, quia non baptizati, baptizandi sunt aquâ, quæ sola baptismi Sacramento Christi institutione destinata.

PROBLEMA VIII.

An sanguis Christi ad essentiam baptismi pertineat nec ne?

XXXI. Partes συστατικὰ vel essentiales Baptismi *duæ* in Scriptura *expressè* designantur: *Elementum & Verbum.* I. τὸ ὁμολογούμενον.

XXXII. Elementum est, aqua, quæ ratione τῆς ὑσίας quidem est *elementaris*, ratione verò τῆς δυνάμεως παλιγγενητικῆς, quam per verbum Dei instituentis acquirit, (l) *spiritualis* est & *divina*.

(l) *Luth. Tom. 6. fol 283.*

XXXIII. Vox itaq; verè est diabolica, qua insanus & profanus ille Carolostadius cum grege suo Anabaptistico æquè insano & profano, baptismum aqua constantem *lavacrum, canum, porcorum, &c.* non absq; horribili blasphemia appellitare solitus.

Lutherus Tom. VI. Ien. 253.

VVestphal. de Baptismo fol. 201.

XXXIV. Et hactenus quidem omnia in vado & ex voto. Jam quæstio proposita sese ingerit, Δύσις in Δύσιν convertens. II. τὸ δύσις ὕδατος.

XXXV. Eucharistiæ Sacramentum *re non simplici* sed *duplici* constat: *1. terrestri & visibili*, pane nimirum & vino, *cœlesti & invisibili*, corpore puta & sanguine Christi, juxta illud celebratissimum Irenæi:

Irenæus

Quemadmodum qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Lib. 4. adversus hæres. cap. 34.

XXXVI. Quæritur igitur num sanguis Christi sit res cœlestis, quæ (sicut corpus Christi, pani & sanguis ejus vino) Sacramentaliter unita aquæ, σύφασιν ὑλικῶν αἰτίων ingrediatur & absolvat.

III. *Sacramentariorum præstigia.*

XXXVII. *Calviniani & Beza* præsertim, sanguinem Christi ad baptismi substantiam, tanquam partem alteram, cœlestem nempe, requiri clamitant. Verba Bezæ in Colloq. Mompelgard. hæc sunt:

Sed cur præteritis sanguinem Christi, qui est substantialis pars Sacramenti Baptismi, sine quo nulla fit ablutio à peccatis, quam aspersio aquæ Baptismi repræsentat & offert? fol. 448.

XXXIIX. At verò ἀναμφίδοξον est & παναληθὲς: fucum tantùm facere simplicioribus & fumos vendere Sacramentarios, quicquid tandem de sanguinis Christi in Baptismo præsentia per quam speciosè crepant strepuntq;.

XXXIX. Non enim veram & realem intelligunt *præsentiam*, multo minùs Sacramentalem sanguinis cum aqua unionem, cujus vi, una & eâdem dispensationis actione, infans, mediante aqua, Christi sanguine aspergatur & abluatur: sed nudam & puram duntaxat sanguinis Christi à baptismo longissimè *absentis, repræsentationem.*

IV. *Lutheranorũ sententia.*

XL. Quæ verò nostra, de sanguine Christi, in baptismo, sententia: per ἀπόφασιν & κατάφασιν *distinctè* edisseremus.

1. κατ' ἀπόφασιν.

XLI. ἀπόφασις eò concernit, quòd nullibi sacris in literis *apertè* & *diserte* tradatur: quòd Sanguis Christi partem substantialem eamq; cœlestem, ὑλικῶς, in Sacramento initiationis, constituat.

1.

2.

XLII. Imò nulla planè ejus, in *verbis institutionis* baptismi, è quibus solis de substantia ejus judicandum, fit mentio, sicut in verbis institutionis Cœnæ.

XLIII. Atqui nos tenemur omnes ἔχειν ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, ea verò quæ ab hac discrepant, tota mente averlari.

2. Timoth. 1, 13.

XLIV. Cui astipulantur hæc Chrysostomi verè χρύσεια:

Hom.

Christianos volentes accipere firmitatem fidei, ad nullam rem confugere decet, quàm S. Scripturam.

Item in Homil. de profectu Evangelij.

Error est, quicquid contra Scripturam decernitur.

XLV. 3. Neq; etiam in Scriptis *B. Lutheri* aut Antiquiorum Patrum uspiam tales occurrunt sententiæ, quibus sanguis Christi, pro parte baptismi ὑλικῇ, venditetur. 3.

XLVI. Cæterùm ut ab ἀπφάσι ad κατάφασιν transitum faciamus: sciendum, quòd Sanguis Christi considerari possit ac debeat bifariam: 1. ratione *substantiæ*. 2. ratione *meriti & efficaciæ*. II. κατὰ κατάφασιν.

XLVII. *Ratione substantiæ* sanguis Christi utique præsto est in baptismo.

XLVIII. Adest enim totus Θεάνθρωπος non tantùm secundùm Divinam: sed etiam juxta *humanam naturam*, quæ (l) *substantia* Novi Testamenti, (m) τῷ Λόγῳ ἀΔιαιρέτως καὶ ἀΔιαιτάς unita, (n) & exaltata ad dexteram Majestatis Divinæ in Cœlis.

(l) *Col. 2, 17.* (m) *Ioh. 1. 1, 14.*

(n) *Luc. 21, 69. &c.*

XLIX. Adest proindè Christus baptismo: non ἄσαρκος, uti Sacris in Veteri olim Testamento: sed ἔνσαρκος, id est, *in carne & cum carne* sua, per quam ad dexteram Dei evectam, in N. jam T. potentissimè dominatur & operatur gratiosè in Ecclesia Universa, &, ex consequenti, etiam in Baptismo.

L. *Ratione meriti & efficaciæ*, sanguis Christi itidem verè præsto est in baptismo.

LI. Definitur enim baptismus (o) lavacrum regenerationis. Regenerationem autem, aspersione sanguinis, id est, applicatione meriti Christi, effusione sanguinis Christi, in ara crucis passi, fieri necessum est.

Iohan 1. 1, 12. 13. Gal. 3, 27.

(o) *Tit. 3, 5.*

LII. Et hac sanè sanguinis Christi aspersione, vel, κατ' ἐξήγησιν, meriti ejus per fidem applicatione, abluuntur & emundantur à peccatorum sordibus, omnes, qui baptizantur, *infantuli. Eph. 5, 26. Rom. 6, 1. 3. Gal. 3, 27. Apoc. 1. 1, 7.*

LIII. Quo respectu orthodoxè canimus de *nostro* baptismate, verbis (p) Augustini:

Vnd ist vor jhm ein rothe fluch/
Mit Christi Blut geferbet/
Die allen schaden heilen thut etc.

(p) *Tractat. 11. in Iohan.*

LIV. *Praxis* nimirum attenditur Ecclesiæ, præsertim in Germania, ubi ferè omnes qui baptizantur, sunt infantuli, quorum singuli & universi, beneficij regenerationis, sanguine Christi parti & parati, in baptismo reddontur participes, fide, per baptismum virtute Christi, per carnem assumptam, Patri & Spiritui sancto efficaciter cooperantibus, accensa.

LV. Atque huc tendunt Θεολογήματα Lutheri perquam ἐιοθέατα:

Tom 7. Jen. fol. 405.

Das Blut vnd desselben Verdienst vnd Krafft/ hat er in die Tauffe gelegt/ das man es darin erlangen soll. Denn welcher die Tauffe empfehet im Glauben/ das ist eben/ als würde er sichtiglich mit dem Blut Christi gewaschen/ vnd von Sünden gereiniget.

Item:

Dahin hat S. Johannes gesehen/ da er Wasser vnnd Blut zusammen menget/ Denn es ist doch darin das jenige/ So durch das Blut erworben ist. Vnd scherzet also S. Johannes den Menschen/ so getaufft wird/ in dem Blut Christi gebadet.

Ibidem.

Vnd heist also/ hie getaufft werden/ nichts anders/ denn in demselben rosenfarben Blut Christi/ gebadet vnd gereiniget werden. Daher auch S. Petrus saget/ 1 Petr. 1. Das die/ so getaufft sind/ besprenget werden/ mit dem vnschüldigen Blut Christi.

PROBLEMA IX.

An Spiritus Sanctus sit pars baptismi substantialis?

I. LVI. Spiritum sanctum ad Initiationis Sacramentum pertinere, τὸ ὅτι ἀναμφισβήτητον. nemo nisi planè ἄθεος negaverit.

57. Di-

LVII. Diserta enim & expressa ejus fit mentio in verbis institutionis, *Matth. c. 28, 19.* I.

LIIX. Addè quòd *Salvator* illum cum aquâ Baptismi arctissimo nexu copulat atq; conjungit, in suâ illâ Maximâ, duplici juramento religiosissimè assertâ. *Ioh. 3, 5.* II.

LIX. Accedit insuper memorabilis *B. Ambrosij* sententia:

Idcò legis, quòd tres testes in Baptismo, unum sunt, aqua, sanguis & spiritus, quia, si unum horum detrahas, non stat baptismatis Sacramentum.

in libr. de his, qui init. myst. c. 4.

LX. Extra omnem itaq; dubitationis aleam positum est τὸ ὅτι: cardo autem totius controversiæ volvitur in quæstione τὸ πῶς; *quanimirum ratione & quo respectu* Spiritus sanctus ad Baptismi Sacramentum concurrat. II: τὸ πῶς ἁμφισβητήσιμον.

LXI. Et, ut explicatiùs dicamus, quod res est; Quæritur: an Spiritus sanctus vel *ad substantiam vel ad fructum Baptismi* pertineat & requiratur.

LXII. Hîc verò breviter sed distinctè respondemus: Pertinere Spiritum sanctum *ad utrumq;* id est, tùm *ad substantiam*, tùm *ad fructum* Baptismi: sed secundùm *diversos* respectus. III. ἐξήγησις ζητουμένου.

LXIII. Ad *substantiam Baptismi* pertinet Spiritus sanctus, *non* quidem propriè, ut pars ὑλικὴ cœlestis, ἑνώσει Sacramentali unita aquæ.

LXIV. Quæ enim pars illa vel res cœlestis Baptismi, in sacra Scriptura, non disertè definitum est. Ideoq; *malumus* cautam ignorantiam *confiteri, quam falsam scientiã profiteri*, monitore Augustino *Ep. 78.*

LXV. *Verùm alia ratione*, eaq; *duplici*, unâ *communi*: *singulari* alterâ.

LXVI. Et *communi* quidem ratione, quatenus Baptismus in nomine Sacrosanctæ Trinitatis dispensatur, interq; hujus personas, quarum *tertia* Spiritus sanctus, & eos, qui baptizantur, fœdus sancitur, quod ex Sacrosanctæ Trinitatis parte semper manet ἀμεταμέλητον & ἀμεταχίνητον. *Secundum formulam Matth. 28, 19.*

Rom. 3, 3. cap. 11, 29. 2. Tim. 2, 13.

Lutherus Tom. IV. Ien. Germ. fol. 284.

LXVII. *Speciali* autem *ratione* ut σφραγὶς pignus & arrha ἐμφατική; quam fœdus in omni Baptismo semper *adjunctam* habet & *reti-*

net, quo ad præsentiam: licèt ab illis, qui hypocritæ baptizantur, *in præsenti* non percipiatur quoad *fructum & efficaciam.*

2. Corinth. 1, 22. Eph. 1, 14.

LXIIX. Cæterùm *ad fructum Baptismi* pertinet Spiritus sanctus, quatenus est causa efficaciter operans, vel *ad judicium*, ut in *hypocritis*, vel *regenerationem & salutem*, ut in *infantulis & credentibus.*

Tit 3, 5.

LXIX. Et huc spectat assertio Christi, *Ioh.* 3, 5 in quam piè & orthodoxè Doctor verè Augustus Ecclesiæ *Augustinus*:

In Colloquio cum Nicodemo habito Christus aquam intellexit de Baptismo, cum distinctè aqua per se, & Spiritus itidem sit nominatus. Spiritus quidem ut Autor & Effector regenerationis. Aqua verò ut Organum, per quod regenerat Spiritus sanctus.

Super Epist. Can. Tract. 6.

IV. Ὕσις ἐλεγκτικὸς.

LXX. Quæ omnia ex adverso opponenda Spiritui Calvinistico, qui Baptismum, quantum in se, Spiritu sancto ejusque operatione evacuare non reformidat:

Colloq. Mompelg. pag. 433, 435. 469.
In 2. part. Resp. ad Act. Coll. Mompel. 115. 116. 118.

PROBLEMA X.

Num Hypocritæ verum & integrum, quoad substantialia, Baptismum accipiant?

LXXI. Duæ sunt classes τῶν βαπτιζομένων. Prior est *infantum*: posterior *adultorum.*

LXXII. De his Ecclesiæ Augustano Symbolo ὁλοψύχως addictæ hanc profitentur doctrinam:

LXXIII. 1. Illis absq; baptismo extra castra Ecclesiæ tantisper manendum, donec Catechumeni facti, & per Evangelium de vera fide edocti, externa confessione assensum suum testatum faciant, & Ecclesiæ se inseri petant; juxta praxin Apostolorum, eorumq; successorum in primitiva Ecclesia, observatione mandati Salvatoris Matth. 28, 19.

LXXIV. 2. Si adulti *verè pœnitentes* baptizantur: non modò integrum.

tegrum, quoad *substantialia*, baptismum percipiunt, sed etiam *fructum* ejus salutarem.

LXXV. 3. Sin verò sunt *hypocritæ*; & cor eorum non est rectum: verum etiam & integrum ratione *substantiæ*, baptismum suscipiunt.

LXXVI. Veritas enim Baptismi quoad substantialia, non dependet à veritate fidei utentis: sed à veritate Dei instituentis, viq; & vigore suæ institutionis, absq; προσωποληψία, Sacramentum integrum dispensantis.

LXXVII. 4. *Fructum* verò quod attinet, is sanè hypocritis non *confertur, non* quidem ex absoluto Dei odio, quod Calviniana propugnat ἀθεολογία: *sed* διὰ τὸ ἐμπόδιον τῆς ἀπιστίας.

LXXIIX. 5. Interim tamen fructus ille hypocritis etiam seriò à Deo *offertur*, ijsdem ex intentione ipsius, etiam verè *conferendus*.

LXXIX. Atq; hoc respectu Hypocritarum etiam Baptismus reverà est ἀκίνητον καὶ ἀμεταμέλητον fœdus *ex parte Dei*, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι ἀλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Jacob. 1.

XXC. Ac proin vi & vigore istius fœderis semel in Baptismo initi, Dominus gratiam suam Hypocritis baptizatis semper ita vult expositam, ut, quamprimum per pœnitentiam revertantur, protinus eis salutaris incipiat esse Baptismus, quantumvis olim in hypocrisi, & sine fine acceptus, ut *D. Hunnij verbis* utamur *lib. de Sacr. fol. 171.*

XXCI. Huc pertinent hæc Scripturæ testimonia:

Roman. 3. *Incredulitas nostra* Fidem Dei *non* Evacuat, *quin potius Deus sit verax, & omnis homo mendax*, Romanor. 11. *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα, 2. Timoth 2. *Si nos negaverimus: ipse* Fidelis *manet; negare semetipsum non potest*, Hebr. 10. *Autor promissionum* Fidelis *est.*

Vide Lutherum Tom. 6. Ien. fol. 283. 296.

492

DE BAPTISMO

DECADIS TERTIAE.

Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

JOHANNE COTZIBUVIO

Magdeburgensi Saxone.

Ad diem 3. Augusti horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA.

An sanctorum vel fidelium pueri sancti sint ab utero, ante Baptismum?

THEMATION I.

IN enodandâ hac quæstione verè classicâ, ut verum à falso, precioſum à vili, ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον, discernatur: ἀντιπαραθέσιν Θέσεως Lutheranæ & ἀνθέσεως AntiLutheranæ, ὡς ἐν τύπῳ, oculis subjicere juvat.

II. Et quidem, ad exemplum Patrum *Visitationis Saxonicæ*, qui, in Loco *de Baptismo tertio Visitationis Articulo*, controversiam isthanc eâdem methodo evolverunt ἀντιπαραθέσει sextâ & postremâ.

III. *Thesis Lutheranorum* est:

Quicquid natum est ex carne caro est. Et naturâ omnes sumus filij iræ Dei. Nam in iniquitate omnes nascimur, & in peccatis omnes concipimur.

IV. Docetur in hac thesi; *de immunditia corruptionis originalis*, infantibus ad unum omnibus à primo conceptionis momento congenitâ.

V. Id quod confirmant testimonia Scripturæ planè ἀμεταπτωτα καὶ ἀνένστατα. quæ partim *in thesi* allegantur, partim *alibi in sacris literis* extant.

6. Te-

VI. Testimonia ἔλεγχα, quibus *in thesi* præsenti affirmatur, infantulos omnes in peccatis conceptos & natos esse, sunt hæc *tria* accuratâ considerationè digna.

VII. 1. Legitur *Iohan. 3.* ubi Salvator Baptismi necessitatem demonstraturus, Nicodemum *ex Dei populo* ortum sic alloquitur: Quicquid *natum est ex carne*, Caro *est*, id est, veneno labis originalis tàm sæpè infectum & corruptum, ut nisi regeneretur, per regenerationis lavacrum, in regnum Dei non possit introire.

IIX. 2. Desumtum est ex Epist. *ad Ephes. 2.* quo in loco Apostolus *seipsum ex* (a) *semine Abrahami progenitum includens* Δλαρρήδλω profitetur: *Eramus* (ἠμὲν) naturâ *Filij iræ*, quemadmodum & cæteri. Non dicit *Sumus*, sed *Eramus*, eoq; distinguit inter tempus *ante & post* regenerationem, itemq; inter statum *iræ & gratiæ*.

(a) *2. Cor. 11, 21. Phil. 3, 5.*

IX. 3. Est confessio Davidis *è sanctis parentibus nati* ex *Psalm. 51. Ecce in iniquitatibus* Natus *sum* (חֹולָלְתִּי) & *in peccatis* Concepit *me mater mea.* (יְחָמַתְנִי)

X. Quibus verbis *non* parentum suorum libidinem, vel flammas inordinatas accusat: *sed*, ut scopus totius Psalmi ostendit, sua peccata confitetur, adeoq; diserte affirmat: se in primo conceptionis momento labem originalem contraxisse, atq; in ea, & cum ea, non absq; ὠδῖσι exquisitissimis, in hanc lucem editum fuisse, uti indicat emphasis verborum in lingua sancta.

XI. Ex his *tribus* Scripturæ dictis Thesis nostra constat. Quibus *& alia* Spiritus sancti oracula addi possunt:

Job. 14. *Quis dabit mundum ab immundo* (*Nec* quidem *Vnus* dabitur.)

Et cap. 15. *Quanto magis abominabilis & graveolens homo* Plenis ingurgitans faucibus (שֹׁתֶה) *peccatum Esa. 48. Transgressorem* Ex utero *vocavi te.*

XII. Ex quibus omnibus planissimum evadit: infantes singulos & universos, in peccatis concipi & nasci, nihilq; sanctitatis à parentibus suis obtinere.

XIII. Cui doctrinæ ὁμόψηφοι καὶ ὁμόστοιχοι sunt Augustana confessio *artic. 2.* Lutherus in *utroq;* Catechismo, & tota *Antiquitas* orthodoxa.

Tertull. in Apolog. adversus Gentes c. 7.
Hieronymus ad Lætam.
Augustinus lib. 2. de pecc. merit. c. 12. & lib. 3. c. 60.
Optatus lib. IV. contra Donatistas.
Cyprianus ad Pompejum.
Leo M. Epist. 93.

Antithesis Sacramentariorum.

XIV. Et hactenus *Lutheranorum thesis* suâ cum κατασκ&ῆ: *Antithesis AntiLutheranorum* vel *Sacramentariorum* à Patribus Visitationi Saxonicæ hisce concepta verbis exhibetur:

Christianorum liberos sanctos esse ante baptismum, immò adhuc utero conclusos materno in fœdere vitæ æternæ. Nam alioquin baptismum ipsis conferri non posse.

XV. Communis nempe, apud Sacramentarios, error est liberos è sanctis naros parentibus, etiam sine baptismo sanctos esse, & hæredes vitæ æternæ.

XVI. Hæc enim sunt expressa verba *Bezæ* (b) *Fidelium pueri ex fœderis formula sancti sunt.* Et alibi idem asserit: *infantes fidelium & sanctorum Parentum Deo gratos & acceptos esse, etiamsi non baptizentur.*

(b) *in Creophag. f. 176.*

XVII. Huic adstipulantur alij calvæ cohortis fraterculi: (d) *Petrus Martyr*, (e) *Iohannes de Lasco*, & ipsemet eorum Patriarcha (f) *Calvinus.*

(d) *in Genes. f. 69.* (e) *contra VVestphal. 120* (f) *lib. 4. Inst. c. 15. sect. 22. & c. 16. sect. 24. Item ad Rom. 11.*

ἀνατκ&ή.

XVIII. Etsi verò error ille de liberorum sanctitate maximè est communis; summè tamen est perniciosus & impius. Scatet enim multis abominationibus, & in fundamenta Theologiæ non pauca adversa fronte impingit.

XIX. Et enim I. cum *Pelagianis* extenuat peccatum originale contra clarissimum Jehovæ pronunciatum: *Gen. 8, 21.*

XX. 2. Cum *Anabaptistis* pessundat necessitatem pædobaptismi, contra assertionem Salvatoris duplici juramento confirmatam *Ioh 3, 5.*

XXI. 3. Astruit vanam opinionem *Iudeorum* se sanctos Dei filios esse (g) gloriantium, propter carnalem originem à sancto Abrahamo, (h) refutatam ab Apostolo.

(g) *Ioh. 8, 43.* (h) *Rom. 9.* 22. 4. Car-

XXII. 4. Carnalis nativitas *non* sit *secundùm Spiritum*: sed *secundùm carnem*, in qua nihil (*i*) boni habitat. Unde Adam Secundum suam imaginem *filium genuisse* scribitur.. Itaq; omne (*k*) *natum ex carne* Caro *est*.

(h) *Rom. 7, 19.* (i) *Genes. 5, 3.* (k) *Ioh. 3, 6.*

XXIII. 5. Exemplum & communis experientia contestantur, sæpissimè ex pijs parentibus impios nasci filios, ut ex *Isaaco* pio natus fuit impius *Esau*; & ex *Hiskia Manasses*. Contrà ex impijs parentibus non raro pij procreantur filij, ut ex *Ieroboamo Abias, super quo juventus* (l) *sermo à Domino bonus*, Item ex *Achaso Hiskias*.

(l) *1. Reg. c. 14, 13.*

XXIV. 6. Error iste Calvinistarum non aliunde, quàm ex impio absolutæ prædestinationis commento, originem trahit.

XXV. 7. Antagonistæ seipsos tetræ & fœdæ contradictioni implicant. *Fidem* enim *negant* infantibus, & tamen eos *sanctos* & in *filios Dei adoptatos statuunt*. Quomodo verò hæc simul stare queunt.

XXVI. Sic enim planè ἀναλλέκτως argumentari licet:

Qui non sunt præditi fide, illi neq; sancti sunt, neq; in filios Dei adopta-ti. (m) Utrumq; enim dependet à fide.

Sed Calviniani negant infantibus fidem. Ergò.

(m) Act. 26. *Vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui* Sanctificati sunt per Fidem, quæ est erga me. *Ioh. 1, 12 Gal. 3, 26.*

XXVII. 8. Illam Sacramentariorum opinionem *Augustinus* jamdudum in *Pelagianis* ex Scriptura damnavit, sicut & alij Theologi orthodoxi, inter quos eminet *D. Lutherus*.

XXIIX. Tot igitur rationibus refutati Calvinistæ desinant denig; infantum, sine baptismo, jactitare sanctitatem, adeoq; nobiscum ὁμοψύχως sentiantur, *ideò* baptismum infantulorum necessariam esse, ut, per hoc ordinarium sanctificationis ὄργανον, mediante fide, sanctitatis fiant participes, cujus ante baptismum, & sine baptismo, expertes.

XXIX. Neque est, (*n*) ut illas fœderis formulas obtendant, ἀπροσωπόπως enim agunt, quicquid hac in parte agunt. Illæ enim *nequaquam* sunt *absolutæ*: sed *limitatæ & determinatæ* ad Sacramenta, quæ legitima illius fœderis media & organa. προσωπο-ληψις.

(n) *Gen. 17. 7. 8. 10. & seq. Act. 2, 29.* 30. Le-

XXX. Legatur *Lutherus* de regeneratione, qua ex filijs iræ filij Dei renascimur.

Tom. 7. Ien. f. 149. 327. 328. 329.

PROBLEMA II.

An in infantes etiam cadat fides?

XXXI. *Veteres* exclamabant olim: ἐρρέϕ τὰ καλὰ *Perierunt bona.*

XXXII. Multò verius nobis hodie in re Sacramentaria exclamandum: ἐρρέϕ τὰ ἀληθῆ *perierunt vera.*

XXXIII. Et, ne extra oleas evagemur, vel ex hujus saltem quæstionis de fide infantium consideratione: id sano cuivis ad oculum patet.

I. *Tres Zvvinglio-Calviniani præsertim Bezæ opiniones.*

XXXIV. De hac enim unâ *tres* fovent Zwinglio-Calviniani opiniones, quæ tamen omnes & singulæ, à veritate, plusquam διὰ πασῶν discrepant.

XXXV. Et, quod vertiginis Calvinisticæ indicium est haud obscurum, Senatûs ille Sacramentarij Dictator *Beza*, omnes ac singulas tres calculo comprobat suo.

1. XXXVI. 1. Cum *Anabaptistis* contendit, infantulos planè carere omni fide, eò quòd auditus verbi non sint capaces.

In Quæst. & Respons. III. Volum. Oper. f. 345. quæst. 124.

Sed cur addis in adultis? Respon. *quia infantium priùs morientium quàm doceantur, alia ratio est, cum fides sit ordinario quidem modo ex auditu: extra ordinem verò ex solo intrinseco* Spiritus sancti *motu, quorum vel alterum infantibus competere, ex nullo Scripturæ loco, neq; ullâ levissima conjecturâ collegeris. Fides enim (sive ex auditu, sive extra ordinem oriatur) necessariò præsupponit noticiam gratuitæ in Christo promissionis, quam is qui credit, sibi applicat.* Quod nullo modo in infantes cadit.

2. XXXVII. 2. *Cum Papistis* nugatur: infantes non in propriam: sed in *parentum & Ecclesiæ* fidem baptizari.

In Colloq. Mompel. fol. 491.

In infantibus in Ecclesiâ Dei baptizandis fidem Ecclesiæ præsupponimus, in qua baptizantur, non autem propriam fidem, quam propter defectum actualis intellectus habere non possunt, quæ per solum auditum verbi Dei datur.

XXXIIX. 3. Vi veritatis victus concedit, infantes habere fidem τῇ δυνάμει: sed per hanc δύναμιν non intelligit *actum primum* fidei jam per baptismum *acquisitæ*, sed *potentiam remotissimam* ejus aliquando, ex auditu verbi, *acquirendæ*. 3.

In Colloq. Mompelg. fol 435.

Etsi, propria fide, præsertim Actuali *carent infantes (utpote quæ sit ex prædicati verbi auditu*, Rom. 10.) *tamen ex formula fœderis: Ero Deus tibi, & semini tuo*, Gen. 17, v. 7. *à parentibus ipsorum sibi & suis liberis per fidem apprehensi, (qua etiam ratione sancti vocantur*, 1. Cor. 7. v. 14.) *meritò baptizantur, & adoptionis fructu donari probabiliter censentur relictis Deo arcanis suis judiciis.*

Vide eundem in Respons. II. ad Act. Colloq. Mompelg. fol. 99.

Ubi disputat fidem *Parentum sic esse alienam, ut licet infantibus non insit: pro fide tamen infantum ex Dei pacto, censeatur.*

XXXIX. Præditos autem esse infantes verâ fide, partim lucidis Scripturæ *dictis*, partim in dubijs ejusdem *Argumentis* evinci potest. II. δεῖξις ἀληθοδοξίας.

XL. Inter *dicta* eminent hæc (

Matth. 18. *Qui offenderit unum* (inquit *Christus*) *de pusillis istis, qui in me credunt &c.*

Psalm. 71. Regius vates sic alloquitur Jehovam: *Tu es spes mea* (תִּקְוָתִי) *Domine; Domine fiducia mea* (מִבְטַחִי) *à juventute mea.*

XLI. *Argumenta* pro fide infantum ex his extrui possunt fundamentis: 1. quia eorum (n) *est regnum cœlorum*, 2. quia (o) *regenerantur*. 3. quia (p) *Deo placent*. 4. quia (q) *agnoverunt Patrem*. Quæ singula & universa sine (r) fide ne cogitari possunt.

(n) *Marc. 10, 14.* (o) *Ioan. 3, 5. Tit. 3, 5.* (p) *Matth. 16.*

(q) *1. Ioha. 2, 14.* (r) *Eph. 2, 8. Ioh. 1, 12. Gal. 3, 26. Hebr. 11, 6.*

XLII. Adhæc, si parvulis fides negatur: hæ absurdissimæ absurditates, dictisq; jam allegatis εἰς ἀφ' πασῶν contrariæ consequentur: (s) *Christum in illis non habitare, eos mundum* (t) *mundiq; Principem non vincere, non* (u) *justificari*, &c. Hæc enim omnia quoque fidem requirunt.

(s) *Ephes* 3, 17. (t) Iohan. 5, 4. (u) Gal. 2, 16.

XLV. Concludimus itaq;, infantes *ante Baptiſmum* quidem fidem nequaquam habere: eos tamen, operatione Spiritus ſancti, *per Baptiſmum*, verâ fide donari, adeoq; *poſt Baptiſmum*, verâ fide eſſe prædiros; licèt nobis non conſtet ratio & conditio illius. Satis eſt Deo, qui corda parvulorum finxit, illam eſſe cognitam.

IV. Diluuntur Sacramentariorum ſophiſmata.

XLVI. Sed habent Sacramentarij ſua Sophiſmata, quibus huic veritatis Lutheranæ ſoli ſplendidiſſimo ψευδοδοξίας ſuæ nebulas offundere non verentur.

I. Objectiones 3.

XLVII. Suntq; partim *Objectiones*: partim *Exceptiones*.

XLIIIX. 1. Objectiones, quibus finem infantum oppugnant *tres* potiſſimùm ſunt, quarum prima eſt *Auguſtini* dicentis:

Credens ſcit ſe credere;
Atqui infantes neſciunt.
Ergo.

1. *Reſp* Loquitur Auguſtinus *non de fide ſimpliciter: ſed de modo fidei*, qualis eſt in *adultis*. Et hoc ſaltem reſpectu infantes negat credere, ſicut ipſemet ſe interpretatur:

De peccatorum meritis & remiſſ. lib. 1. c. 10. & 33. Epiſt. 25. 57. Tract. 80. in Iohannem & de Baptiſmo lib. 4. cap. 24.

2. L. 2. Quia in infantibus nondum viget *uſus rationis*: ideo eos fidei non eſſe δεκτικοὺς vel capaces, putant.

LI. *Reſpondetur* per inverſionem. Imò ideò ad fidem apriores ſunt, quia in ipſis non viget rationis uſus.

LII. Tantum enim abeſt, ut rationis uſus aliquid ad fidem concipiendam & fovendam faciat, ut potius (x) πᾶν φρόνημα αἰχμαλωτίζεται εἰς ὑπακοὴν appelletur, utiq; (y) πᾶν νόημα ſub obedientiam Chriſti captivandum cenſeatur.

(x) Rom. 8. (y) 2. Cor. 10.

LIII. Atq; huc pertinet inſignis hæc Lutheri θεόπνευστος ſententia:

Tom. IV, Lat. Ien. fol. 789.

Atq; hæc quoq; cauſa eſt, cur ad Baptiſmum exemplo Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ adhibemus etiam infantes. Quia enim certum eſt Spiritum ſanctum per aquam Baptiſmi efficacem eſſe, ſtatuimus tam non impediri Spiritus ſancti actionem per infantium ἀναισθησίαν, quàm nos adulti noſtris viribus & ſenſibus Spiritus ſancti opus non reddimus perfectius.

54. Obji-

LIV. 3. Objiciunt', si infantes præditi essent fide: futurum utiq; ut illa se exereret, per suos *fructus*.

LV. *Resp.* Imo exerit se, si non per alios fructus, tamen certè per admirabilem patientiam, quam in infantulis tenerrimis, magnos interdum dolores sustinentibus, conspicere licet.

LVI. Ut alios taceamus internos Spiritus sancti motus, qui licèt non nobis: Deo tamen optimè noti.

LVII. Quòdq; tales Spiritus sancti motus in infantulos cadant, exemplo Johannis Baptistæ patet, *Luc. 1, 41.*

LIIX. Qua de re iterum Reverendus Pater Lutherus graviter & nervosè:

Tom. IV. Ien. Germ. fol. 324, 325.

Wer hat dich denn nu gewiß gemacht/ Daß die getaufften Kinder nicht gleuben/ So ich hiemit beweise/ daß sie mügen gleuben? Bistu aber vngewiß/ warumb bistu denn so küne/ vnd machst die erste Tauff zu nicht/ Da du nicht weist/noch wissen kanst/ daß sie nichts sey? Wie? wann alle Kinder bey der Tauffe nicht allein gleuben künten/ sondern auch so wol gleubten/ als Johannes in Mutterleibe? Denn wir können ja nicht leugnen/ dz eben derselbe CHRISTVS bey der Tauff vnd in der Tauffe ist/ Ja er ist der Teuffer selbs/ Der dort in Mutterleibe zu Johanne kam/so redet er auch eben so wol bey der Tauffe durch des Priesters Mund/ als er dort durch seiner Mutter mund redet.

Weil er denn da ist gegenwertig/ redet vnd teuffet selbs/ warumb solt auch nicht der Glaub vnnd Geist/ durch sie reden vnd teuffen/ so wol in das Kind kommen/ als er dort in Johannem kommen? Ists doch einerley Redener vnd Thäter dort vnd hie/ vnd zuvoraus/ weil er spricht durch Esaiam: **Sein Wort solle nicht leer wider kommen.** Nu bringe du auch einen einigen Spruch/der da beweise/ daß die Kuder nicht gleuben können in der Tauffe/ weil ich so viel auffbringe/ daß sie nicht gleuben können/ vnd billich zu halten sey/ daß sie gleuben/ wie wol vns vnbewust ist/ wie sie gleuben/ oder wie der Glaube gethan sey/ da ligt auch nicht an.

II. LIX. Inter *exceptiones*, quibus imperitiorum oculis glaucoma
Exceptiones objicere conantur, itidem *tres* sunt præcipuè.

III. LX. Ac *primò* quidem contra asseverationem Salvatoris Matth.
I. 18. *Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt*: obmurmurat Beza: parvulum illum quem in medium discipulorum ibi statuit Dominus, fuisse *grandiusculum*, & proinde fidei capacem.

LXI. 1. Sed refragatur Bezæ 1. mentio τῶν μικρῶν Parvulorum.

LXII. 2. Quòd puer ille appellatur non παῖς sed παιδίον, quod est diminutivum, Latinè puerulus.

LXIII. 3. Dato, quòd fuerit puer grandiusculus, 3. vel 4. annorum: certum tamen est; quòd inter talem puerum & infantes, quoad articulorum fidei intelligentiam, nullum planè discrimen.

LXIV. 4. Adde quòd Christo sermo sit de illis pueris, quorum *Regnum cœlorum*, v. 3. *qui non offendendi*, v. 6. *quorum Angeli in cœlis semper vident faciem Patris cœlestis* v. 10.

Atqui hæc omnia non grandiusculis tantùm pueris competunt: sed etiam infantibus.

Ergo.

LXV. *Deindè* idem Gentis Sacramentariæ μεθόδιαχος diverticulum quærit in fide parentum, prætendens *pactum Dei*, sicut paulò antè dictum & adductum ex *Respons. ad Act. Colloq. Mompelg. Part. II pag. 99.*

LXVI. Verùm hoc ipso apertè contradicit Scripturæ, quæ disertè testatur *justum* non alienâ, sed *sua fide*, *& justicia vivere & justum esse.*

Hab. 2. v. 4, Rom. 1. Gal. 3. Hebr. 3. Ezech. 18, 20.

LXVII. Pactum Dei, quod attinet; illud utiq; non *absolutè*; sed *cum determinatione fidei* propriè intelligendum esse, quis est, qui ignoret?

Gen. 17, 7, & seq. Gal. 3, 7.

LXIIX. *Tandem* eò recurrit, ut asserat: *piorum infantibus primum ad salutem aditum non esse baptismum: sed ipsam ex piis parentibus*

propa-

propagationem, & illius fœderis obsignationem per baptismum non aliundè, quàm ex vi fidei parentum, ex fœderis formula, intervenientis oriturum.

Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. parte 2. fol. 102.

LXIX. Sed refutatur istud Bezanum κρηνοφύγετον(z) à Iohanne, qui perspicuè docet; quòd *filij Dei non nascantur* ex sangvinibus, itemq; (a) à Christo & (b) Paulo, qui uterq; aditum ad salutem *non illi, qui ex Parentibus est propagationi: sed ei, quæ ex aqua & Spiritu est regenerationi*, assignant.

(z) *Iohan. 1.* (a) *Ioha. 3.3.* (b) *Tit. 3.3.*

LXX. Et sanè si piorum parentum filijs ad salutem patet aditus: quid agetur cum impiorum parentum filijs? num his propterea præclusa est ad salutem janua? Minimè omnium, Dominus ipse contrarium pronunciavit apud Ezechielem: *c.18. c.20.*

LXXI. Perlustrentur Scripta Lutheri de hac controversia:

Tom. II. Ien. Lat. in Libr. de Captiv. Babyl. tit. de Baptismi Sacramento fol. 270. & seq.
Tom. IV. Ien. Germ. fol. 319. & seq.
Tom. II. Isleb. fol. 359.

PROBLEMA III.

Num infantes sint baptizandi nec ne?

LXXII. Hactenus nobis cum Zvvinglio Calvinianis dimicandum fuit: jam manus conserendæ sunt cum Anabaptistis, quos æquè ut illos uno quasi nixu peperisse meritò & jure censetur infelix ille Carolstadius.

LXXIII. Negant *Anabaptistæ* infantes sacro Baptismi lavacro tingendos esse, ex eo, quòd *irrationales & indociles*, adeoq; *fidei minimè capaces*, quemadmodum ex illorum Scriptis & Colloquijs refert *Ioannes VVigandus* suo in *Anabaptismo*. I. *Anabaptistarum delirium.*

LXXIV. Conviciantur item; *ne minimum quidem jota in Scripturis inveniri posse, quo pædobaptismus stabiliri queat, & proinde eum confictum & abominationem esse, idolatricum esse, esse è Dracone, & bestia, nec aliud, quàm cæremoniam Antichristi, Magiam, vitulum fusum &c.*

II. *Refutatio.*

LXXV. Sed poteſt præſens hæc Controverſia de Pædobaptiſmo, vel potiùs βρεφοβαπτισμῷ brevi Compendio expediri, ſi modò huc repetatur vetus illa & à Patribus Orthodoxis nobis commendata diſtinctio.

LXXVI. Quænam illa? Ea nimirum; Quod quædam in Scriptura fundata ſunt χαρακτηριστικῶς, κατὰ λέξιν vel *quoad verba*, ſive κατὰ τὸ ῥητὸν quædam verò *quoad ſenſum*, poſſuntque probari indè συλλογιστικῶς, vel *bona conſequentia*.

LXXVII. *Priori* modo Pædobaptiſmum ſacris in literis, fundatum eſſe non largimur perfacilè: *Poſteriori* autem eundem inde probari poſſe firmiſſimè, profitemur intrepidè.

LXXIIX. Prodeat modò Syllogiſmus ὁ παγδέικτης:

Quicquid nititur mandato & inſtitutione Iehovæ, rationibus Scripturæ, Apoſtolicâ autoritate, & demum teſtimonijs primitivæ Eccleſiæ: *id rectè docetur & obſervatur in Eccleſia.*

Atqui talis eſt ὁ βρεφοβαπτισμὸς:

Ergo.

LXXIX. *Quatuor* membra corpus illud ſyllogiſticum in ſe complectitur, quorum ſingula ordine aſtruenda.

1. LXXX. *Primo* veritas ſua conſtat ex eo, quo Utraq; tum *Mandatum* tum *inſtitutio Baptiſmi univerſalia & indeterminata.*

Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. 16. Ioh. 3, 5. Eph. 5, 26. &c.

2. LXXXI. *Secundum*, id eſt, *Rationes Scripturæ*, pro Pædobaptiſmo, per ratiocinationem extrui poſſunt, partim *ex loco ſimilium*, partim *ex loco conſequentium & effectorum*: partim *ex loco ſubjectorum*, &c.

LXXXII. Ex loco ſimilium: *Si infantes in V. olim Teſtam. rectè fuerunt circumciſi: conſequens eſt, quòd* (c) *infantes hodiè in N. etiam Teſt. rectè initientur Eccleſiæ Sacramento Baptiſmi, quod in locum Circumciſionis abrogatæ ſucceſſit.* *Sed verum prius. Ergò & poſterius.*

(c) Col. 2, 11.

LXXXIII. Ex loco conſequentium: *Si vult Chriſtus, ut parvulo ad ipſum ſinamus venire: admittendi utiq; erunt ad baptiſmum, quippè qui porta, per quam illis aditus pateſit ad Chriſtum.*

Sed

Sed verum prius, asserente ipso (d) *Christo. Ergo & posterius.*

(d) *Marc.* 10, 14.

LXXXIV. 3. Ex loco subjectorum:

Ad quoscunq; spectat promissio fœderis: ad illos etiam sigillum & obsignatio fœderis pertineat necessum est. N3

Atqui (e) *promissio pertinet etiam ad infantes.*

Ergò. (e) *Act.* 2, 38. 39.

LXXXV. *Tertium* membrum, quod est *autoritas Apostolica*, inde colligitur, quod Apostoli *integras* familias baptizâsse celebrantur. *Act.* 10, 47. c. 16, 15. 33. 1. Cor. 1, 16. 3.

LXXXVI. Quò cum (f) B. Lutnero referimus, quod Iohannes etiam παιδίοις tribuit Θεοσυνωσιαν. *In Epist. Can.* c. 2. 13.

(f) *in post. part. Postill. Eccles. f.* 184.

LXXXVII. *Quarto*, testimonia *primitivæ Ecclesiæ*, adduci possent plura; (g) ex *Augustino* præsertim (h) *Cyrillo* & alijs: sed sufficiant. ἐν τῷ παρόντι, hoc saltem unicum Origenis, qui cæteris antiquitate prior: Floruit enim circa *annum Christi* 200.

In V I. Caput ad Rom.

Itaq; & Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta Divinorum Mysteriorum commendata fuerunt, quòd essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum aboleri deberent.

(g) *Lib. I V. Contra Donatistas.*

(h) *Lib. X. de Gen. ad Lit. c.* 23. *In Levit. L.* 8. *c.* 8.

LXXXIIX. Quæ Anabaptistæ obstrepunt: pleraq; omnia levi negocio dilui possunt, destinctione, inter *pueros* & *adultos*, itemq; inter *Ecclesiam constituendam*, & jam *constitutam*.

LXXXIX. Consulant Juniores aureum *Lutheri scriptum de Anabaptismo*, ubi solidam & nervosam Controversiæ hujus ἐξαχρίβωσιν invenient.

Tom. IV. Ien. Germ. f. 319. *& seqq.*

DE

DE BAPTISMO
DECADIS TERTIÆ.
Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE
JACOBO PRÆTORIO
Stetin. Pomerano.

Ad diem 17. Auguſti horis locoq; conſuetis.

PROBLEMA IV.

An & quatenus infantes populorum infidelium, v.g. Turcarum, Judæorum & ſimilium baptizandi ſint, nec ne?

PROPOSITIO I.

I. Dubium.

QUòd infantes baptizandi ſint, in proximè præcedentis Problematis ἐξαπλώσει, adverſus factionem Anabaptiſticam, ſolidè pariter & invictè aſſertum eſt.

II. Jam verò infantes in *duplici* ſunt differentia; Quidam *intra*: Quidam *extra* Eccleſiam naſcuntur.

III. Quod illi, qui *in ipſo* Eccleſiæ *ſinu* naſcuntur, Baptiſmatis ſacro initiandi, extra omnem verſatur controverſiam.

IV. Etſi enim *non* ſunt *de Eccleſia*: ſed huic *demum* (a) *per baptiſmum inſeruntur*: progeniti tamen ſunt *in Eccleſia*, ex ijs parentibus, qui & ipſi ſunt baptizati, adeoq; *inſerti* Eccleſiæ; cujus gratiâ etiam ad ipſos ſimul & liberos eorum, generales Dei promiſſiones pertinent.

Gen. 17, 7. *Act. 2, 39.*

(a) *Epheſ. 5, 26.*

II. Dubium. V. De illis autem, qui, *extra* Eccleſiam naſcuntur, ex parentibus

bus non Christianis; cujusmodi sunt hodie filioli *Iudæorum*, *Turcarum*, aliorumq; populorũ infidelium, non immeritò dubitatur.

VI. Et quanquam, κατ' ἀποδίωξιν ζήτημα istud, ex hoc Problematum nostrorum circulo, proscribi & eliminari posset, præcisione Apostolica.

Quid ad me attinet etiam de ijs, qui foris sunt judicare? Nonne de his, qui intus sunt judicatis? Eos verò, qui foris sunt, Deus judicat. 1. Cor. 5. v. 12. & 13.

VII. Sed tamen quia Scriptura nobis prævia premit vestigia, quibus ad illius decisionem commodè deduci possumus: moræ & operæ precium nos facturos confidimus, si paulò accuratiùs quid verum, quid falsum; quid recipiendum, quid rejiciendum; quid faciendum, quid fugiendum, explanaverimus.

VIII. Præsertim cum talis Explanatio, in praxi Ecclesiastica, usum habeat evidentissimum.

IX. Et, ut, sine anfractibus, rectâ progrediamur semitâ: *duos* nobis figimus *limites*, quibus quæstio præsens circumscripta est.

X. *Vnus* est: τὸ εἰ ἐστι; *An* populorum infidelium parvuli baptismatis Sacramento initiandi sint, vel secus.

XI. *Alter*: τὸ *Quatenus*, id est, quæ in Baptismo & circa Baptismum infantulorum, quorum Parentes infideles, & spectari & observari conveniat. De utrâq; succinctè & distinctè.

XII. Ad *priorem* quæstionis partem *nonnulli confusè* respondent *affirmando*; omnes promiscuè infantulos populorum infidelium, si modò in Christianorum potestatem devenerint, absq; ulla tergiversatione baptizandos esse.

XIII. Assertor hujus opinionis non postremus est *Huberus*, qui & indè Librum D. D. Hunnij p. m. de Sacramentis flagellare ausus, quasi in eo Turcarum aliorumq; populorum non baptizatorum infantibus Ἀμαρτήδιον, & absq; exceptione, baptismum neget. *Vide Hunn. in Exegesi I. ad Timoth. in præf.*

XIV. *Calviniani* contrà *absolutè* negant infantes populorum infidelium baptizandos esse.

Beza in Colloq. Mompelg. f. 491.

Turcarum autem liberos non baptizamus, nisi ad interrogata respondere possint, & se credere profiteantur.

III. *Dubij διχοτομία.*

IV. *Explanatio prioris partis.*

1. ἔλλειψις. *Affirmativa.*

2. ὑπερβολὴ *Negativa.*

3. τὸ μέσον per Distinctionem.

XV. *Orthodoxis distinctè* respondent, urgendo *discrimen* inter pueros infidelium, quorum *quidam* in potestatem nostram *nullo* planè *modo* veniunt: *Quidam* verò *suo* veniunt *modo*.

XVI. De *illis*, qui in potestatem nostram *nullo* planè *modo* veniunt; quales sunt Turcarum & Gentilium liberi, qui in sua nascuntur & educantur patria, quærere & disserere omnino foret supervacaneum.

XVII. De *his* autem, qui *suo modo* in nostram potestatem veniunt, omnis hæc suscepta est disputatio.

1.

XIIX. Suntq; iterum in *duplici* Differentia 1. *Quidam* enim in nostram potestatem veniunt ἁπλῶς & ὁλικῶς, ita ut in nostram transeant *familiam*, ejusq; pars jam existant; ut sunt *partim pueri Turcarum* & aliorum infidelium populorum, *vel* bello capti, vel pretio empti, *vel* dono dati: *partim pueri, qui nascuntur è Turcis* & alijs nondum baptizatis, qui vernæ nostri sunt, & in familiam nostram cooptati.

XIX. Hos pueros, omni abjecta mora & cunctatione baptizari debere pronunciant Orthodoxi, freti exemplo Abrahami, qui omnium servorum (si qui maximè inter eos adhuc à fide alieni) parvulos haud dubiè circumcidit, eo quòd ad familiam suam pertinerent.

XX. Atq; huc sanè faciunt *promissiones* (b) Catholicæ, itemq; (c) *mandatum* Christi universale de baptismo gentibus in universum omnibus, absq; ulla προσωπολημψία, impertiendo.

(b) *Gen. 17, 7. Act. 2, 39.*

(c) *Matth. 28, 19.*

XXI. Cæterùm *quidam* infantum infidelium in nostram veniunt potestatem saltem πῶς vel μερικῶς. ita nimirum, ut, licet Parentes eorum inter Christianos habitent: his tamen qualiscunq; permittatur in rebus Ecclesiasticis, Politicis & Oeconomicis αὐτονομία.

XXII. Et tales hodie sunt Judæi, quibus passim in Romano imperio, certis conditionibus, degere conceditur.

XXIII. His ut per vim eripiantur pueri recèns in lucem editi, *vel*, ut parentes, per Magistratum, cogantur, ut filios Christianis baptizandos & educandos committant: id utiq;, *tum*

praxi

praxi *Ecclesiasticæ*: 2. tum *juri naturæ*: 3. tum *rationibus Scripturæ*: 4. tum *Autoritati Apostolicæ*, κατὰ Δεύτερον repugnat.

XXIV. 1 *Praxi Ecclesiasticæ.* Quia neq; in *Scriptura*, vel *Veteris*, quoad circumcisionem: *vel* Novi, quoad baptismum; neq; in *historia Ecclesiasticâ*, ullum reperire licet exemplum, quòd tale quid unquam uspiam ab Ecclesia tentatum fuerit.

XXV. 2. *Iuri Naturæ*, quin & gentium. Quia liberi sub potestate sunt Parentum, Naturæ & gentium jure, quorum neutrum Euangelion abolet aut pessundat; sicut nec Politias nec Oeconomias, ad quas jura illa pertinent.

XXVI. 3. *Rationibus Scripturæ*, 1. quia Baptismus est Χειμήλιον Ecclesiæ, cujus jus *non* ad eos qui *extra*: *sed* ad illos, qui *intra* Ecclesiam, spectat.

XXVII. 2. Nec abest periculum ἀποστασίας, ad quam à Parentibus, præsertim, si illis, post baptismum, quod juri Naturæ consentaneum, reddantur pueri, facilè adduci possunt.

XXIIX. *Autoritati Apostolicæ.* Quia Tarsensis Apostolus accuratè distingvit, inter liberos ex fidelibus & infidelibus Parentibus genitos. 1. Cor. 7.

14. *Sanctificatus est vir infidelis in uxore: & sanctificata est uxor in viro; alioquin liberi vestri impuri essent. nunc autem sancti sunt.*

Exponitur dictum 1. Cor. 7. per ἀφαιρ. & ἕξιν.

XXIX. Ubi in verbo *sanctificari* & nomine *Sanctus* ὁμωνυμία latet, quæ, ut errores indè nati resecentur: veritas verò in apricum proferatur: per *ἀφέσεσιν* & *ἕξιν* breviter & perspicuè evolvenda est.

XXX. Ab *ἀφαιρέσεως* igitur ψευδερμηνειῶν ut ordiamur: vocabulis utiq; istis nequaquam notatur *hæreditaria* quædam *Sanctitas* à Spiritu sancto orta, & in sobolem à parentibus propagata, qualem Zvvinglio-Calviniani intelligunt.

Ἀφαίρεσις triplex.

Zvvinglius ad Principes Germaniæ, Calvinus lib. 4. instit: c. 16. §. 24. itemq; in Commentar. in præs. locum:

Beza in II. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 102.

Sancti ex gratia gignunt ex eâdem gratia Sanctos, vi fœderis per fidem apprehensi.

Plura ejusdem farinæ congerit:

Ibidem pag. eâdem; item p. 103, 118, 129. 130.

XXXI. Sed pugnat interpretatio hæc non tantùm cum analogia fidei: sed etiam cum voce *Fidelis*, in textu Apostolico.

XXXII. Hæc enim, sicut *è scopo & antithesi Infidelis*, haud obscurè elucet, hoc loco non accipitur ἐν τῷ βάθει, & *significatione stricta*, de eo qui Salvifica in Christum fide præditus: sed ἐν τῷ πλάτει & *significatione laxa*, de *baptizato* vel *homine Christiano*, ἀντιδιηρημένως opposito, *Infideli*, id est, *non baptizato, non Christiano*, vel *Gentili*.

XXXIII. De Christianorum autem generatione quid sentiendum: piè ac præclarè Patres Orthodoxi:

Tertullianus in Apologet. c. 17. Itemq;:

Hieronymus ad Lætam: *Fiunt non nascuntur Christiani.*

Augustinus lib. 2. de meritis peccat.

Christianus non generat Christianos, quia renovati parentes, non ex primitijs veritatis: sed ex reliquijs vetustatis carnaliter generant.

XXXIV. Jam si è Christianis non nascuntur Christiani: quantò minus è Parentibus vera fide & Sanctitate præditis tales progignentur filij.

XXXV. Adhæc si de sanctitate Evangelica sermo foret Apostolo: consequens foret: conjuges sanctos & pios suam sanctitatem & pietatem communicare conjugibus impijs, qua & ipsi pij & salvi evadant, id quod absurdissimum & exemplo Abigailis piæ & impij Nabalis refutari potest solidissimè. *1. Sam. 25.*

1. XXXVI. Neq; etiam vocibus illis indigitatur *civilis* saltem *sanctitas*, quod liberi ex fideli & infideli parente prosati, censendi sint legitimi.

XXXVII. De *Conjugio* enim ibi agit Apostolus, &, *non de concubitu* extra conjugium.

XXXVIII. Nullus igitur dubitationi locus: An filij legitimi vel illegitimi. Siquidem conjugium inter infideles æquè legitimum, atq; inter fideles vel Christianos.

XXXIX. Neq; deniq; voces illas interpretari licet, de *sanctitate Levitica*, quæ *partim*, in certis ciborum generibus: *partim* in alijs rebus externis consistebat, *Levit. 11, c. 12. c. 13.*

XL. Hæc namq; solis competebat Judæis in Veteri olim Testamento: In novo autem Testamento omnes σκιαὶ & ὑποδείγματα

σκιὰ & ἀντίτυπα τῶν μελλόντων Levitica, planè sunt abrogata.
Act. 10, 15. Gal. 4, 9. Col. 2, 16. 17. 1 Tim. 4. 45. Tit. 1, 15.

XLI. Verum enimverò, ut ab ἀφεξέσ ad ἧσον fiat transitus: relinquitur utiq; quòd enunciatio Apostolica intelligenda sit, de alia quadam sanctitate, quæ nec *Evangelica* propriè sic dicta, nec *Politica*, nec *Levitica*. 2. Θέσις.

XLII. Quænam verò illa? si ὀνοματοποιεῖν licet: appelletur *Ecclesiastica*. Hæc verò in eo consistit, quòd parvuli, vel ex alterutro saltem parentum baptizato progeniti, in Ecclesia nati adeoq; jus & aditum ad baptismum hoc modo sortiti, non immeritò judicandi.

XLIII. Et proinde sancti hoc loco Gentilium Apostolo sunt *nati in Ecclesia*; quemadmodum in veteri olim Testamento Judæi *populus Dei sanctus* appellabantur, ideò maximè, quòd ex ipsis constabat Ecclesia, â cæteris totius Orbis terrarum gentibus, separata. *Deut. 7, 6. 6. 14, 2. 21. 6. 26, 19. 6. 28, 9.*

XLIV. Quemadmodum etiam *sanctificandi* verbum in genere, *separandi* significationem habet & servat, respectu ad objectum, unde fit separatio.

XLV. Tale verò objectum, in gnome Paulina, sunt infideles, id est ij, qui non baptizati, vel nondum Christiani, aut, quod perinde est, ab Ecclesia alieni.

XLVI. Proindè ut revertamur ad id, unde paulatim nostra, plenioris ac planioris ἐξηγήσεως ἕνεκα, Disputatio abijt: Apostolus sanè ipse liberos infidelium parentum à liberis Christianorum, accuratis limitibus segregat.

XLVII. *Hos sanctos*, id est, in Ecclesia natos, & ob id jure baptismi gaudere pronunciat.

XLIIIX. *Illos* verò *impuros* esse tacitè subinnuit, id est, tales, qui non eodem cum illis privilegio, quatenus tales, uti frui possint ac debeant.

XLIX. Et tantum de *priori* propositæ quæstionis parte: succedit *posterior*, quæ est, de *termino quatenus* vel quibus observatis infideles ad baptismatis Sacramentum admittendi. V. *Explanatio posterioris partis Problematis per distinctionē.*

L. Hic verò distinguendum inter *Infantes* & *Adultos*.

LI. De *Infantibus* quid statuamus, ex ijs, quæ hactenus tradita, non obscurè liquet.

4. De Infantibus IV. ἀφορισμοὶ.

LII. Verùm ut compendio complectamur, & tanquam in tabula sub unum quasi aspectum exhibeamus omnia simul & singula: hos subjicere juvat ἀφορισμὸς πραχτικὸς.

LIII. 1. Infantes populorum infidelium quatenus vel captivitatis, vel emptionis, vel donationis &c. jure, pars nostræ familiæ facti, absq; ulla cunctatione, baptizandi sunt.

LIV. 2. Idem agendum cum infantibus, quorum Parentes Vernæ nostri, licèt ipsi in infidelitate potiùs persistere, quàm baptismum accipere, præsumserint.

LV. 3. Quòd si Parentes animati sint & ipsi ad baptismum & Christianismum aspirare: poterunt parvuli eorum unà cum Parentibus baptizari, secundum praxin Apostolorum, quos (e) integras domus, & primò quidem Parentes: deindè verò & horum parvulos baptizasse constat; nisi forsan diversum circumstantiæ suaserint.

(e) *Act. 10, 47. c. 16, 15. 33. 1, Cor. 1, 16.*

LVI. 4. Si contingat ut infidelis, vel, de quo an baptizatus vel non baptizatus sit dubitatur, parvulum suum Ministro Ecclesiæ offerat baptizandum; cujusmodi hodiè Præstigiatores Ægyptij, (die Ziegeiner) qui non semel: sed bis aut pluries, quæstus gratia, infantulos suos baptizari curare dicuntur: prudentia & circumspectio singularis adhibenda est.

5. de Adultis III. Canones.

LVII. Inquirendum enim diligenter & seriò an Parentes infantuli baptizati; quid de Baptismo sentiant, quid credant & teneant de articulis fidei, & num velint parvulum in doctrina Christiana erudire & educare. De quibus & alijs in ipso Disputationis actu.

LVIII. Porrò, ut, de *Adultis*, etiam paucula afferamus: alia cum ipsis procedendum est via, juxta praxin Apostolorum, & primitivæ olim Ecclesiæ.

LIX. *Primò* enim admittendi sunt ad auditum Verbi & in doctrina Catechetica diligenter instituendi.

LX. 2. Quòd si jam fundamenta fidei Christianæ tenuerint, seq; Ecclesiæ per Baptismum inseri instanter petierint: admittendi sunt ad baptismum.

61. 3. Sed

LIXI. 3. Sed antequam sacro tingantur fonte, ad singula Ministri Ecclesiæ quæsita, in ipso actu publico, respondeant, suamq; de Christo confessionem edant: seq; in hac, Divinâ ope & gratia, usq; ad extremum vitæ halitum constanter persituturos, Ecclesiæ spondeant ac promittant.

LXII. Tantùm de hoc etiam Problemate: sequitur aliud, quod cum illo non levem cognationem habet.

PROBLEMA V.

An Baptismus impertiendus sit infantibus, parentum hæreticorum, & quidem manifestè protestantium, se illos hæresi sua imbuturos?

LXIII. Videntur pro *Affirmativa* hujus Problematis militare nonnulla. I. *Rationes pro Affirmativa*

LXIV. 1. Quòd impietas parentum filijs non debeat esse fraudi & damno, *Ezech. 18.*

LXV. 2. Quòd fieri possit, ut puer in infantia moriatur, *antequam malitia mutet intellectum ejus, & fictio decipiat animam ejus*, *Sap. 4.*

LXVI. Sed tum in θεωρία Theologica: tum in πράξει Ecclesiastica teneri & observari consuevit *Negativa*, propter rationes, partim *generales*: partim *speciales*. II. *Rationes pro Negativa.*

LXVII. Inter *generales* præcipuum tenent locum 1. Necessitas non offendendi infirmos, secundùm monita Christi & Apostoli. *Matth. 18, Rom. 14. 1. Cor. 8.*

LXIIX. 2. Salvatoris interdictum, *ne Sanctum detur canibus, néve margaritæ projiciantur porcis*, quales etiam futuri pueri parentum hæreticorum. *Matth. 7.*

LXIX. 3. Ne volentes & scientes in causa simus, ut Hæretici & Fanatici profundiorem contrahant reatum.

LXX. *Speciales* porrò rationes suppeditat ipsius Baptismi consideratio, cum cujus *causis* singulis ferè & universis ejusmodi institutum ex diametro pugnat.

LXXI. Ac 1. quidem cum *causa efficiente*, quæ residet in institutione Christi, cum qua nexu indissolubili cohæret hæc ipsius præceptio religiosissimè observanda:

Docete eos servare omnia, quæcunq; præcepi vobis, Matth. 28.

LXXII. 2. Cum *materia circa quam*, cujusmodi personæ baptizandæ, à quibus utiq; tum â (f) Johanne Baptista: tum à (g) Petro pœnitentia requiritur. Huic verò protestatio parentum hæreticorum contranititur.

(f) *Matth.* 3, 28. (g) *Actor.* 2, 38.

LXXIII. 3. Cum *forma Baptismi*, quæ consistit in actione sacra, in qua, inter alia, *ὁι βαπτιζόμενοι renunciant diabolo & omnibus ejus operibus*, quorum non supremum hæresis

1. *Reg.* 22, 22. *Iohan.* 8, 44.

LXXIV. 4. *Cum fine*, qui vel *principalis*: vel *minus principalis*.

LXXV. *Principalis* est (h) *regeneratio & renovatio* in spiritu sancto, cui nihil magis adversum, quàm hæresis. (h) *Tit.* 3.

LXXVI. *Minus principalis*, ut Baptismus, sicut & Cœna Domini, sit Symbolon Confessionis & veræ fidei, cui iterum è regione hæresis adversatur.

LXXVII. Satius igitur est tales parentes hæreticos cum suis infantulis ad suæ factionis homines dimittere, quàm ut Sacramentum Baptismi divinissimum profanetur, committere.

LXXIIX. *Rationes in contrarium* adductæ non sunt magni roboris & ponderis,

III. *Responsio ad contrarias actiones.*

LXXIX. Locus *Ezechielis cap.* 18, loquitur de causa proximâ æterni interitus, qualis non *aliena*: sed *propria* cujusq; impietas.

LXXX. Interim non negamus Parentum ejusmodi hæreticorum graviorem fore condemnationem, eò quòd ipsi in causa, quòd liberi eorum Baptismo puri & incorrupti ministerij privati, inq; hæresi educati fuerint.

LXXXI. Ad id, quod, de morte puerorum ante annos discretionis afferebatur: reponimus tritum id: *Futurorum contingentium nulla est determinata veritas.*

LXXXII. Tutius igitur *certum* conscientiæ præsidium parare, quàm *incertum* eventum expectare.

PRO-

PROBLEMA VI.

Num monstra etiam sacro fonte tingenda vel secus?

LXXXIII. Baptismum pro solis hominibus à Christo esse institutum, vel *è Synthesi Generis*, in verbis institutionis conspici colligiq; potest. Sic enim habet textus Græcus:

πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. (NB. Neutr.)
βαπτίζοντες αὐτους (NB. Mascul.) scilicet ἀνθρώπους.

LXXXIV. Sacrilegè igitur fit & impiè à Papicolis, quòd campanas etiam baptizare solent.

LXXXV. Elucet ex eadem observatione, quòd monstra etiam, quæ forma humana non prædita, sacro fonte tingenda non sint.

LXXXVI. Atq; huc etiam tendit judicium *Lutheri*, qui istiusmodi monstra non habet pro hominibus: sed pro brutis animantibus.

LXXXVII. Sin verò pueri ex parte tantùm aliquid monstri habeant: cætera verò speciem humanam referant: baptizandos eos statuunt Theologi.

LXXXIIIX. Sed hac addita cautione, ut nimirum studiosè exploretur, utrum sensitiva tantùm: aut præter hanc, rationali etiam anima constent.

LXXXIX. Si deprehenditur eos constare anima rationali, res plana est: sin secus: ambigua.

XC. Ideò ut circumspectiús agant Ministri Ecclesiæ, aliorum & suorum præsertim Antistitum, & Synedrij Ecclesiastici consilio utantur.

DE BAPTISMO.

DECADIS TERTIÆ

Problemata VII. IIX. IX. X.

RESPONDENTE

M. WOLFGANGO WILHELMO

BRUNONE Neoburgenſi.

Ad diem 24. Auguſti horis locoq; conſuetis.

PROBLEMA VII.

An Baptiſmus iterari poßit ac debeat?

PROPOSITIO I.

Ἀναβαπτισμὸς.

Vſus in die cadit ſepties, (id eſt crebrò & variè per Synecdochen numeri finiti) ait Regum Sapientiſſimus *Proverb. c. 24.*

II. Peccata autem quid ſunt aliud, quàm prævaricationes fœderis cum Deo in baptiſmo initi, *dividentes inter nos & illum?* *Eſaiæ c. 59.*

Status Controverſiæ.

III. Exurgit proinde quæſtio non exigui ponderis & momenti: Quid homini poſt baptiſmum lapſo faciendum: Num, baptiſmus, ut ratio videtur ſuadere, iterandus, nec ne?

Opinio Hæreticorum.

IV. Extiterunt olim hæretici, qui in *Affirmativam*, non Scripturæ: ſed, Rationis ductu, deſcenderunt, cujusmodi, *Marcion & Hemerobaptiſtæ,*

V. De *Marcione* memoriæ proditum reliquit *Epiphanius*:

Tres baptiſmos aſſerit: cum enim virginem corrupiſſet, ut confirmaret, ſe rurſum purgatum eſſe, ſecundum, & in aliorum ſolatium, etiam tertium Baptiſmum excogitavit, eò quòd Chriſtus plura baptiſmata docuerit. Hær. 42.

VI. *Hemerobaptiſtæ* ſic dicti ſunt, quòd *quotidiè* baptizarentur, ut ne qua ipſis macula adhæreſceret. *Epiphanius Tom. I, Lib. 3.*

7. Nega-

VII. *Negativam* verò Ecclesia tuetur & observat Catholica nec docens nec concedens, ut quis semel legitimè baptizatus denuò baptizetur. *Doctrina & praxis Ecclesiæ.*

VIII. *Fundamenta* hujus Sententiæ in hunc compingimus ac constringimus Syllogismum: *Fundamentum.*

Quicquid destituitur, I. Dei mandato, *II.* Scripturæ Exemplo, *III.* Rationum momento, *IV.* Ecclesiæ suffragio: *id utiq; nec docendum: nec faciendum.*

Atqui talis est iteratio Baptismi. *Ergo.*

IX. Eruamus & astruamus singula *quatuor ordine.* Ἀνάλυσις πεπραμένη.

X. *1.* Quòd repetitio Baptismi *mandato Dei destituatur* αὐτόπτου. De Cœna enim Domini quidem extat mandatum Christi, (a) *Quotiescunq;* &c. De baptismo autem nullum uspiam Verbum. *I.*

(a) *1. Cor, 11, 26.*

XI. *2.* Quòd *Exemplo Scripturæ destituatur*: iterum tam manifestum, quàm quod manifestissimum. Tale enim exemplum, quòd Baptismus fuerit iteratus, in toto Codice Biblico, nullibi reperire licet. *II.*

XII. Adduci vulgò solet locus ex *Actis 19.* qui multis non δυσερμήνευτος modo: sed planè inextricabilis visus.

XIII. Videntur enim verba, quæ jam subnectimus, hoc sibi velle, quòd duodecim illi Ephesij à Johanne Baptista baptizati, à Paulo fuerint rebaptizati,

Dixit autem Paulus, (1) Iohannes quidem (μὲν) baptizavit baptismo pœnitentiæ populo loquens de eo, qui venturus esset post ipsum, ut crederent; hoc est de Christo Iesu. (2.) His (δὲ) auditis baptizati sunt, in nomine Domini Iesu.

XIV. Et hanc interpretationem nonnulli etiam, ex (b) *Patribus* amplexantur, quibus subscribit (c) *Longobardus* (sed Longobardo cæteri ejusdem Religionis socij nolunt subscribere, teste formula usitata in margine adscripta: *Hic non tenetur Magister*)

(b) *Hieronymus ad Ocean. Tom. III. p. 145.*
Item in secundum cap. in Ioelem, in comment. Tom. 6.
Ambrosius in 3. cap. ad Galat.
Item Lib. I. de Spir. Sanct. c. 3.
(c) *Lib. IV. Distinct. 2. lit. F.*

XV. Verum enim verò, erroris & difficultatis omnis causa in eo residet; quòd Verba jam modò allegata à se invicem *divelluntur*, & *tantum prius* eorum membrum habetur *pro μιμητικῇ Pauli recitatione*: Posterius autem pro historica *Lucæ narratione*.

XVI. Sed utrumq; membrum pertinere ad *μιμητικὴν* Pauli recitationem, è particulis, *μὲν* in *priore*: & *δὲ in posteriore* membro evidenter apparet.

XVII. In *priori membro* recitat Paulus *summam concionum* Iohannis Baptistæ, quas administrationi Baptismi præmittere solitus.

XIIX. In *posteriori* idem recitat historiam, vel *rem* post concionesillas *geri consuetam*, quòd nimirum, auditores Johannis Baptistæ, *auditis illis* concionibus, ab ipso scilicet Johanne fuerint baptizati.

XIX. Et proindè *prius* verborum Pauli membrum *Iohannem Baptistam* spectat: *posterius* Johannis auditores; quæ duo ut *correata* se mutuò respiciunt; sicut Johannis concio & Auditorum ejus Baptismus, ut *Antecedens* & *consequens* se invicem arguunt.

XX. Atq; hanc sanè *χάριν* particulæ illæ partim connexivæ, partim distributivæ, haud obscurè innuunt.

III. XXI. III. Ad *Rationes* ut deveniamus: non tantùm *nullas* Sacris in literis reperire licet: sed etiam prorsus *contrarias* inde depromi possunt.

XXII. *Nulla* est ratio, quòd per peccata fœdus *Βαπτισικὸν* reddatur irritum.

XXIII. Etsi enim *ex nostra parte* illud violatur: ex *parte* tamen Dei perpetuò manet ratum & immotum, adeò, ut cuivis agenti pœnitentiam, nullo non tempore, ad illud liberrimus pateat reditus, juxta *θεολογήματα πάσης ἀποδοχῆς ἄξια*:

Esa. 54. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem meanon recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.*

Osea. 2. *Desponsabo me tibi in æternum.*

Iohan. 6. *Venientem ad me non ejiciam forâs.*

Rom. 3. *Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?*

Rom. 11. *ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ.*

2. Tim. 2. *Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest.*

24. Idq;

XXIV. Idq; illustrari vulgò consuevit similitudinibus nauta & adulteri.

XXV. *Nullæ* præterea sunt rationes, quæ, *partim* ab incredulitate hypocritæ, eo quo baptizatus tempore: partim ab hæresi & vitijs, quibus administer baptismi, inquinatus, peti & desumi possunt.

XXVI. Ad *utrasq;* enim responsum: ad *hanc* in *Explanatione 2. Probl. Decadis II.* ad illam, in *discussione* 10. *Probl. ejusdem Decadis.*

XXVII. *Contrarias* porrò rationes Scripturæ quod attinet: huc 1. facit, quod in veteri olim Testamento non licuit repetere circumcisionem, cui in Novo Fœdere successit Baptismus. *Col. 2.*

XXIIX. (2.) Accedit, quòd (d) Baptismus lavacrum regenerationis. Sicut igitur semel *nascimur* in hanc vitam temporalem: ita semel *renascimur* ad vitam æternalem. (d) *Ioh. 3. Tit. 3.*

XXIX. Contrà sicut sæpè pascimur *pane naturali*: ita sæpius quoq; pascimur, in cœna Domini, *pane Sacramentali*. Unde illud tritum: *Semel nascimur: quotidiè pascimur.*

XXX. (3.) Sicco pede non transiliendum est, quòd Baptismus *Sacramentum initiationis*, sicut cœna Domini *Sacramentum confirmationis*, quo subindè ad Baptismi fœdus revocamur, fide in nobis redintegrata & confirmatâ; adeò, ut & confirmationis gratiâ, minimè habeamus opus baptismo.

XXXI. Baptismus autem ob id ipsum, quia Sacramentum initiationis, iterari nec potest nec debet. Si enim hoc fieret vel fieri posset: non esset Sacramentum initiationis, quandoquidem cujusq; rei unum duntaxat initium.

XXXII. (4.) Quòd deniq; Baptismi, iteratio destituatur *Ecclesiæ suffragio*; operosa non indiget demonstratione; siquidem, in concilio Constantinopolitano, Catabaptistarum κακοήθεια, hæc Symbolo inserta ἀπεμβολὴ; propalam oppositra::

Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum,

XXXIII. Subnectimus Coronidis loco hæc Lutheri verè Lutherana, id est, ἐνθουσιάσματα plena Spiritu, plena Zelo:

Tom. IV. f. 332.

Nu ist es Sünde vnd Gott versuchen/ wer in Göttlichen Sachen vngewis vnd zweiffelhafftig ist/ vnd wer vngewissen Wahn für gewisse Warheit leret/ der leuget eben so wol/ als der öffentlich wi-

der die Warheit redet/ denn er redet/das er selbs nicht weis/vnd wils dennoch für Warheit haben. Wenn sie aber auff Gottes Befehl vnd Gebott das Teuffen gründen wolten/ so würden sie bald sehen/ das die Widertauffe kein nutz noch noth were/ weil dem Göttlichen Gebot schon zuvor gnug were geschehen mit der ersten Tauffe.

Item: Wenn sie gleich jhrem eigen Dünckel recht thun wolten/ so solten sie nicht eine Widertauffe/ sondern einen Widerglauben anrichten/Denn die Tauffe ist Gottes Wort vnd Ordnung/ vnd darff keins wider werdens oder ander werdens/ Der Glaube aber darff wol eins ander werdens (wenn er nicht da gewesen ist) darumb solten sie billich Widergleuber/ vnd nicht Widerteuffler sein/ wenn sie auch gleich recht hetten/ als sie doch nicht haben.

PROBLEMA IIX.

An fœtus nondum plenè in lucem editi baptizandi sint nec ne?

XXXIV. Partem istius Problematis *Negantem* non quoad theoriam tantùm tenent; sed in praxi etiam observant Pseudocatholici.

XXXV. Idq; propugnare nititur Iesuita *Gretserus*, in Scripto adversus Lutherum suprà quam dici potest maledico.

Luth. Acad. fol. 83, 84.

XXXVI. Ibi enim inter alia gravissimè invehitur in Lutherum, quòd Negativam statuit.

XXXVII. Sed nobis potior est Lutheri unius autoritas & prudentia, quàm omnium Jesuitarum Lutheromastigum garrulitas & impudentia.

XXXIIX. Quandoquidem Reverendus Pater sententiam suam non è Sorbona mendaci: sed ex Scriptura veraci protulit & probavit.

XXXIX. Verba ejus *ἰδιογλώσσως* sic habent;

Wenn sichs zutregt mit einer Frawen/ die in Kindesnöten gehet/das die Frucht nicht mag gentzlich von jr kommen/ sondern allein ein Arm/oder ein Glied erfür kömpt/ So sol man dasselbige Glied nicht teuffen/in meinung/als ob dadurch das gantze Kindlein getaufft sey. Viel weniger/sol man ein Kind/ so noch in Mutter Leib stecket/

vnd

vnd den jhr nicht kommen mag/ teuffen / Also / das man wolte vber der Mutter Leib Wasser giessen/etc. Denn das solches Vnrecht/vnd Göttlicher Schrifft vngemes ist/erscheinet klärlich aus den Worten Christi/ Joh. 3. Da er von der Tauffe also spricht: Es sey denn/das der Mensch anderweit geboren werde/etc. Darumb sol nu ein Kindlein getaufft / vnd also anderweit geboren werden / so ist von nöten/ Das es vor ein mal geboren/vnd auff die Welt kommen sey/ welches nichtgeschicht/so nur ein einiges Glied aus der Mutter erfür kömpt.

So sollen nu wir (die dabey sind) allweg die Regel Christi halten/ Es sey denn / das der Mensch anderweit geboren werde/etc. Vnd nieder knien / vnser Gebet im Glauben sprechen / vnnd vnserm HERRN Gott bitten/ das er wolle solch Kindlein seines Leidens vnd Sterbens theilhafftig lassen werden/ Vnd also nicht zweiffeln/ Er werde es nach seiner Göttlichen Gnade vnd Barmhertzigkeit wol wissen zu machen.

Darumb dieweil das Kindlein durch vnser ernstlich Gebet zu Christo gebracht / vnd solch Gebet im Glauben gesprochen ist / So ist bey GOtt gewiß erhöret/was wir beten / vnd er es gern annimpt/ wie er selbs Marci am 10. spricht: Lasset die Kindlein zu mir kommen/vnd wehret jhnen nicht / Denn solcher ist das Himelreich / So sollen wir es dafür halten/ Daß das Kindlein / ob es wol die rechte Tauffe nicht erlanget/ darumb nicht verloren ist.

Luth. Tom. 8. fol. 44.

XL. *Duo* hisce verbis consilia complectitur Lutherus: In *priori*, quid, in tali casu, (quando fœtus nec dum plenè & perfectè ex utero prodierit) *omittendum & inhibendum*. In autem *Posteriori*, quid *admittendum* & *adhibendum* docetur. *Analysis verborum Lutheri.*

XLI. *Omittenda* est Baptismi administratio, propter rationem ex Johan. c. 3. propositam, quam licet Jesuita falsò derideat: hoc tamen risu suo nihil efficit aliud, quàm, ut, se Scurram & Sycophantam esse, toti Christiano Orbi prodat.

XLII. Lutherus enim non ῥητῶς: sed συλλογιστικῶς vel bonâ, quod dicitur, consequentiâ, suam è dicto Salvatoris probationem texuit, in hunc modum:

Omnis regeneratio spiritualis præsupponit generationem carnalem.
Atqui Baptismus est regeneratio spiritualis. *Ergo.*

XLIII. Quid Jesulta? Cavillatur Lutherum fingere, quasi Christo ἀγεννήτως sermo fit de nativitate carnali, & ab ipso *absolutè* dictum: neminem posse introire in Regnum Cœlorum, atq; adeò baptizari, nisi prius plenè & perfectè ex utero materno processerit.

XLIV. Sic enim expresè ibi scribit.

Et quamvis Johan. 3. *non dicatur* absolutè; *nisi quis natus fuerit: sed nisi quis natus fuerit denuò, hoc est, secundò, per nativitatem spiritalem, quam Scriptura vocat, regenerationem, quæ in Baptismo perficitur: id tamen non refert; quia* Casistæ *nostro* (scilicet Luthero) *plenum suppetit jus Scripturas, arbitratu suo, citandi, explicandi, vertendi, flectendi & inflectendi: hinc etiam jure suo fingere hîc potuit: Christum dicere; hominem non posse introire in Regnum Dei, atq; adeò neq; baptizari; nisi priùs plenè & perfectè ex utero materno processerit &c.*

XLV. Judicet universus Orbis Christianus, qualis in Iesuitis candor.

XLVI. Nos ἐκ τῆς ἀφελείας illis obvertimus autoritatem Patrum, quas (c) *Magister* ipsorum veriùs Mercurius alter τριπλάσιος, jam olim ipse allegavit:

Isidorus lib. 1. sent: de summo bono c. 24.

De Consecrat. Dist. IV. c. 15.

Qui in maternis uteris sunt, ideò baptizari non possunt: quia qui natus adhuc secundùm non est, secundum Christum non potest renasci, neq; regeneratio in eum dicipotest, quem generatio non præcesit.

Augustinus ad Dardan. de præs. Dei epist. 57. post medium.

Non potest quisquam renasci, antequam natus sit.

(c) Longob. Lib. IV. Dist. VI. lit. B.

XLVII. *Admittendæ* autem sunt & *adhibendæ*, in istiusmodi casibus piæ preces, quibus salus æterna talium infantulorum commendanda Deo τῷ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν Eph. c. 3.

PROBLEMA IX.

An mortui etiam baptizandi & num ex baptismo aliorum aliquid utilitatis ad eos redundet?

48. In

XLIIX. In 1. ad Corinrhios c. 15. extat hic locus, qui prima fronte δυσερμήνευτος: Ἔλεγχος hæreticorũ & ψευδεπιγράφων

Alioquin quid facerent, qui baptiſantur ſuper mortuis, &c.

XLIX. Ducit Apoſtolus Argumentum contra Philetum ejusque aſſeclas, pro aſtruenda reſurrectione carnis, ex ritu baptiſandi ſuper mortuos. *dicti*, 1. Cor. 15.

L. Quæ verba quia obſcuriuſcula & dubiæ ſignificationis; diversè à diverſis expoſita fuiſſe legimus.

LI. *Cerinthiani* indè probare auſi ſunt: *Mortuis etiam baptiſmum eſſe impertiendum. Epiphanius lib. 1. Tom. II. hær. 28.* 1.

LII. Sed hæc interpretatio ex adverſo pugnat cum inſtitutione Baptiſmi.

LIII. Is enim *non* pro *mortuis corporibus* inſtitutus eſt: ſed pro *vivis hominibus*; βαπτίζοντες αὐτὸς ſcilicet ἀνθρώπους ait Salvator Matth. 28.

LIV. Præſupponit idem in βαπτιζομένοις μάθησιν, actu in Adultis; τῇ δυνάμει in infantulis.

LV. *Marcionitæ & Cataphryges* inde commenti ſunt, baptiſmum Vicarium, quo, quos in locum mortuorum baptizarent, ſubſtituebant; idque innuere videtur Tertullianus, dum ſcribit: 2.

lib. IV. contra Marcionem:

Morti aut repudio baptiſmum Marcion ſervat.

LVI. Sed proſternunt hoc figmentum theoremata iſthæc ἀχιόφαφα: Heb. c. 2. *Iuſtus fide SVA vivet.*

Eccl. c. 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.*

Hebr. 9. Ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις.

2. Cor. 5. *Omnes enim manifeſtari oportet coram tribunali* CHRISTI, ut reportet *VNVSQVISQVE* ea, quæ fiunt *PER CORPVS, juxta id quod fecit, ſive bonum, ſive malum.*

LVII. *Alij* expoſuerunt hunc locum de baptiſmo *Catechumenorum*, qui cum in certum mortis periculum incideront, & omnino de vita deſperarent, adeoq; mortuis quàm vivis ſimiliores, petebant baptiſmum, ut ſignum Salutis ſuæ ſecum auferrent, referentibus (f) *Epiphanio* & (g) *Cypriano*. 3.

(f) *in hæreſi. 28.* (g) *lib. 4. Epiſtola 7.*

4. LIIX. *Bellarminus* follem hinc fabricare conatur, ad exuſcitandum ignem purgatorium.

Lib. 1. de purgatorio c. 6.

LIX. Ibi enim *ſex* iſtius loci expoſitiones recitat, tandemque amplectitur & defenſitat illam, qua baptizari pro mortuis idem putat eſſe, quod affligi pro animabus in purgatorio.

LX. Contrà verò tenendum, quòd Apoſtolus verbis illis reſpiciat ad ritum & conſuetudinem, qua aliqui tum temporis baptizari voluerunt (non pro animabus in purgatorio ſed) ὑπὲρ νεκρῶν, id eſt, *ſuper mortuos*, vel ſuper ſepulcra mortuorum, ut nimirum hoc modo fidem ſuam de mortuorum reſurrectione publicè teſtatam redderent.

LXI. Præpoſitionem enim ὑπὲρ ita uſurpari, ut ſignificet idem, quod ἐπὶ, *ſuper* docent exempla, quale eſt iſtud Luciani:

Ὀιμώξεται, μεμνημένος τῶν ὑπὲρ γῆς. *Plorabit, cum cogitabit ea, quæ ſuper terram reliquit.*

LXII. Comprobat hanc interpretationem ſanam ac germanam Theander Lutherus in gloſſa marginali Bibliorum Germanicorum:

Die Chriſten werden getaufft im Bekäntniß des Artickels von der Aufferſtehung der Todten.

Item Tom. VI. Jen. f. 246.

Das theten ſie alſo den Glauben dieſes Artickels bey den Leuten zu ſtercken / lieſſen ſich täuffen bey der Todten Gräber / zu eim Warzeichen / daß ſie gewißlich glaubten / daß die Todten / ſo da begraben lagen / vnd vber welchen ſie ſich täuffen lieſſen / würden wider aufferſtehen / vnd daſſelb für ſo gewiß hielten / Daß ſie gleich als mit Fingern darauff zeigten. Gleich wie wir auch die Tauffe möchten öffentlich halten / auff einen gemeinen Kirchhoff oder Begräbniß.

LXIII. Quibus ſic expoſitis concludimus, id quod concludendum, nimirum; mortuos nequaquam eſſe baptiſandos, nec quicquam utilitatis è bapeiſmo ad illos redundare: ſed obſervari debere iſtud Petri:

Actor. c. 2. *Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur VNVSQVISQVE veſtrum* (ἕκαστος ὑμῶν) *in nomine Ieſu Chriſti.*

PRO-

PROBLEMA X.

Quomodo Adultos, præsertim virgines, baptizari conveniat.

LXIV. Sæpè accidit, ut adulti ministris Ecclesiæ baptizandi. In Ecclesia autem, & præsertim, circa Administrationem Sacramentorum, omnia Ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri decet & par est. 1, *Cor.* 14.

LXV. Quocirca, ut & hæc quæstio enodetur, evidentissima cum utilitate conjunctum.

LXVI. Quo ritu Johannes Baptista & Apostoli Adultos baptizare consueverint, ex Historia Evangelica, & Actis Apostolorum non ita exactè cognosci potest.

LXVII. Interim tamen ex circumstantiis conjecturam facere licet, de nonnullis, quæ ad propositum hoc nostrum faciunt.

LXIIIX. *Primum* est; Adultos non fuisse totos omnibus corporis sui partibus aquæ immersos, sive enim vestibùs sive absq; vestibus.

LXIX. *Secundum*; eos non fuisse toto corpore aqua perfusos & tinctos.

LXX. *Tertium*; quòd potius flexis genibus consistentes baptizati fuerint aqua capitibus ipsorum superinfusa:

Hunnius de Baptismo m. f. 167.

LXXI. Et hoc ritu hodieq; adulti apud nos utriusq; sexûs baptizari solent ac debent, denudato saltem collo, & induta veste alba, qua in primitiva olim Ecclesia baptizati indui, & proximo à Paschatis festo, quo solennis baptismi actus antiquitus celebrari consueverat, in conspectum Ecclesiæ publicè produci solebant.

LXXII. A qua consuetudine etiam Dominica illa vulgò *Dominica in Albis* dici merita.

LXXIII. Quid Luherus de hac re sentiat: testatur Epistola ad Pastorem quendam perscripta, quam, in gratiam Tyronum, quia spatium patet, huc adscribere placet integram:

Tom. V. fol. 263.

Gnade vnd Fride im HERRN / Ohn noth ists / lieber Herr Pfarherr / euch zu erinnern / Daß jhr die Person / so getaufft sol werden / zuvor ein zeitlang fleissig vnterweiset / was die Summa sey der

Zehen Gebot/ des Christlichen Glaubens/vnd Vater vnsers/ Item/ was die Tauffe sey/ was sie nütze vnd bedeute.

So viel aber die öffentliche Tauffe belanget/ lasse ich mir gefallen/ daß sie mit Tüchern bedecket (wie das Weibervolck im Bad) in einer Wannen/ im Wasser biß an den Hals reichend/ mit dem Badtuch angethan/ sitze (Ich wolte auch/ das die Wanne mit Tapeten behenget/gar bedecket were/ wie ein Schweißbad in Häusern gewönlich) vnd vom Täuffer mit dem Häupt dreymal ins Wasser getaucht würde/mit den gebreuchlichen Worten/ Als nemlich/ Ich täuffe dich im Namen des Vaters/ vnd des Sohns/ vnd des Heiligen Geistes/ Amen.

Daher/ halte ich/ sey der alte Brauch vnd Gewonheit bißher in der Kirchen blieben/daß man nach der Tauffe den Kindlein(die man nackend ohn alle schew teuffet)ein Westerhembd vber den Leib wirfft/ Nemlich/ daß im Anfang der Christenheit alle Christen mit dergleichen Kleid bedecket/ getaufft sind worden/ Daher noch vbrig/daß der nechste Sontag nach Ostern/ (Quasimodo geniti) noch heutiges Tags/ Dominica in albis, genant wird/ Derhalb daß sie dasselbe Kleid oder Westerhembd von der Tauffe an/ die gantze Wochen vber getragen haben.

Zu dem bekleidet man auch die Todten mit eim weissen Kleid oder Sterbkittel/ dabey zu erinnern vnser Tauff/ durch welche wir sampt Christo in den Todten begraben sind/ etc. Daß also beydt durch die Tauffe/vnd den Todt/die Aufferstehung der Todten bedeutet vnd angezeiget wird/weil die Tauffe nichts anders ist/ denn ein Gang durch den Todt in das zukünfftige ewige Leben.

Gleichwol sehet mit zu/ daß es mit der Dirne recht zugehe/ daß jhrs ein Ernst sey mit der Tauffe vnd Christlichem Glauben/ vnnd nicht anders im Hertzen dencke/ denn sie sich mit Worten hören lest/ nicht daß ich zweiffele/ das für vnd für etliche seien vnd bleiben auß dem Geschlecht Abrahæ/ die Christum angehören. Sondern daß viel Jüden bißher auff mancherley weise vnsern Glauben/ mit jhrer ertichten Tauffe verspottet haben/ Ja Christum vnsern HERRN vnd Heyland ohn vnterlaß grewlich vnd lästerlich schmehen vñ schänden/Denn jhre Lehre ist eitel Sünde/ spricht der 59. Psalm/ vnd predigen eitel Fluchen/vnd widersprechen/ Vnd Esa. 5. Sie zürnen vnd fluchen jhrem Könige vnd Gotte.

Vermahnet sie derhalb mit Ernst / daß der elende Mensch sich selbs nicht betriege / Erfindet jhr sie aber warhafftig vnd rechtschaffen / So wünsche ich jhr von Hertzen die Gnade vnd Gabe der Beständigkeit / Solt jhr auch meinen Gruß in Christo / vnnd Dienst Christlicher Liebe ansagen / Gehabt euch wol im HERRN / Auß meiner Einöde / Anno M. D. XXX.

DE BAPTISMO
DECADIS QUARTAE
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE
GERHARDO PETRI, Oldenburgensi.

Ad d. 31. Augusti horis locoq; consuetis.

PROBLEMA I.

An Apostoli alia baptizandi formula usi, quàm hac à Christo ipsis præscripta: Baptizo te in nomine PATRIS & FILII, & SPIRITVS SANCTI.

THEMATION I.

HActenus ea proposita & ventilata sunt Problemata: quæ partim ad *causam* baptismi *administram*: partim ad *materiam ex qua*: partim ad *materiam circa quam*, pertinent.

II. His succedunt jam quædam, quæ ad *causam* Sacramenti hujus παναγίαν *formalem* referri possunt.

III. Inter hæc autem περιχαθεζίαν jure suo sibi vendicat istud de Verbo Ordinationis, quo Baptismus administrari consuevit.

IV. An eodem Apostoli olim usi fuerint, dubitari potest ac solet; sicut apud Patres *Basilium* præsertim, videre licet.

In Orat. de Spiritu Sancto.

V. Λόγου ἀποφάσεως ex Actis Apostolicis nascitur; quandoquidem ibi Apostolos, in nomine Christi, baptizasse scribitur.

Actor. cap. 2, 38. cap. 10, v. 48.

Αὔσις ἀνπλογίας per ι. Ἀφαίρεσιν.

VI. Sed naſcitur non aliunde, quàm ex παρερμηνείᾳ Φεόσεως *baptizari in nomine Chriſti.*

VII. Quæ certè non hoc ſibi vult: quòd Apoſtoli formulam Baptiſmi à Chriſto Præceptore & Domino ſuo ipſis præſcriptam, cum aliâ quadam permutarint.

VIII. Abſit, ut tale quid, de Sanctiſſimis illis *DEI Hominibus à SPIRITV Sancto impulſis*, cogitemus. *2. Pet. 1, v. 21.*

2. Θέσιν.

IX. Verùm, quod phraſin illam attinet: ſciendum, quòd non, de cauſa formali: ſed *de efficiente & finali*, veniat intelligenda.

X. Et *de efficiente* quidem: partim ratione *inſtitutionis* Baptiſmi, cujus autor Chriſtus: *partim* ratione *operationis* Chriſti in Baptiſmo, quæ *merito* & *efficaciâ* ejus peragitur.

XI. De *cauſa* autem *finali*, eò quòd ij, qui baptizantur, in mortem Chriſti baptizantur, id eſt, in beneficiorum morte Chriſti partorum communionem. *Rom. 6.*

XII. Itemq; in agnitionem; doctrinam, fidem, Confeſſionem & cultum Chriſti, cui οἱ βαπτιζόμενοι inſeruntur. *Ioh. 15. Gal 3.*

Quod nulli creaturæ integrum baptiſmum formulam mutare. Rationes III.

XIII. Ceterùm quòd nulli creaturæ integrum formulam Baptiſmi mutare: planè eſt indubium, cum rationes urgentiſſimas, tanquam armatas legiones, in procinctu ſtare videamus.

XIV. 1. Agmen ducit *mandati* Salvatoris *autoritas*, *Matth. 28.*

XV. 2 Huic ſe adjungit *Baptiſmi formalitas*: ſiquidem formam baptiſmo ſubſtantialem hæc Ordinationis CHRISTI verba largiuntur,

XVI. 3. Accedit ipſa *verborum majeſtas*, quæ quippe totius Sacroſanctæ atque individuæ Trinitatis DEI PATRIS, DEI FILII, DEI SPIRITUS SANCTI confeſſionem & invocationem complectuntur; de qua re piè & graviter Baſilius verè βασιλεῖος Eccleſiæ olim Doctor:

Δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι ὡς παρελάβομεν πιστεύειν, δὲ ὡς βαπτιζόμεθα. Δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

Nec non Auguſtinus:

Baptiſma unum eſt? ſed in Eccleſia ubi fides una eſt, ubi ſcilicet in nomine DEI Patris, Filij, & SPIRITVS Sancti adminiſtratur. de dogmatib. Eccl. c. 52.

XVII.

XVII. Causa autem, cur CHRISTUS in hac Confessione distinctam singularum trium Trinitatis personarum mentionem fieri voluerit, est ἀνάμνησις beneficiorum, quæ singulæ Trinitatis personæ, ad ἀποτέλεσμα Baptismi, tanquam suum ἴδιον μέρος, conferunt congeruntq;.

XIIX. Et PATER quidem (a) *adoptionis gratiam*; (b) FILIUS *justitiæ stolam*; (c) SPIRITUS SANCTUS *obsignationis arrham.*

(a) *Gal.3, 26,27.* (b) *Esaiæ c.61,10.* (c) *2.Cor.1,21. Eph.c.1,13.*

XIX. Atque hinc usitata formulæ βαπτιστικῆς expositio.

Ego Minister hoc ipso ritu testificor in nomine, hoc est, mandato divino, te, qui ita baptizaris, hoc ipso lavacro regenerationis ablui à peccatis ac recipi à vero DEO in gratiam, qui est Pater æternus Domini & Servatoris nostri IESV. & Filius, & SPIRITVS sanctus- adeoq; recipi te propter Filium, & sanctificari SPIRITV sancto, ut si hæres vitæ ac salutis sempiternæ.

XX. Eôdem collimat aurea & gemmea hæc & si quid auro gemmisq; preciosius Lutheri sententia:

Weil nun solches alles geschicht/ bey diesem heiligen Sacrament der Tauffe/ sol mans billich nicht ansehen/ wie es die Kuh ansihet/ daß es Wasser vnd naß ist/ Sondern als eitel Blut des Sohns Gottes/ vnd eitel Fewer des Heiligen Geistes/ darinn der Sohn durch sein Blut heiliget/ der Heilige Geist durch sein Fewer badet/ der Vater durch sein Liecht vnnd Glantz lebendig machet; Also daß sie alle drey persönlich gegenwertig vnd zugleich einerley Göttlich Werck außrichten/ vnd alle jhre Krafft in die Tauffe außschütten. Tom. VI. Jen. f. 287.

XXI. Concludimus proinde: nec Apostolos *olim* alia, præterquam illa à CHRISTO ipsis præscriptà usos esse baptizandi formulâ: nec cuiquam *hodie* licêre cum hac aliam permutare, quicunque tandem fuerit.

XXII. Quid? Sacrilegium, addo horrendam Baptismi profanationem esse, si quis huic aliam substituere ausus fuerit, apertè ac diserte pronunciamus.

XXIII. Damnamus igitur meritò Hæreticos tum *Veteres*: tum *Recentes*, quibus, hac in parte, ab Institutione Christi sanctè & uniceè observandâ temerè & impiè discedere nulla religio.

XXIV.

XXIV. E *Veteribus* potissimùm sunt isti. I. *Marcus Hæreticus* ejusq; Sectatores, de quibus hæc memoriæ prodita legimus:

Ritus in baptisando & initiando, Marci sectatores diversos aliquot omnes autem prodigiosos usurpârunt, quemadmodum Irenæus libro primo, capite decimo octavo, prolixè commemorat & Theodoretus, sic enim baptisantes dixisse ait: In nomine ignoti patris omnium, in veritate matris omnium & in nomine descendentis IESV ad unctionem & redemtionẽ & communionem virtutum. Quosdam verò Irenæus addit, etiam usos esse certorum Hebraicorum verborum portentis, quæ ipse recitat. Alios non ad aquam ducere consuevisse initiandos, sed liquorum ex oleo & aqua mixtum capitibus eorum primùm infundere, postea inungere opobalsamo. Cent. II. Magdæb. fol. 90.

XXV. II. *Bonosiani & Cataphryges*, de quibus *Gregorius Episcopo in Iberia lib. 9. Epist. 61:*

Hi verè hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cataphryges (quia & illi CHRISTVM Dominum non credunt: & isti sanctum SPIRITVM perverso sensu esse quendam parvum hominem Montanum credunt: quorum similes multi sunt) & alij tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. De consecrat. Dist. IV. c. 84.

XXVI. III. *Eunomiani*, qui in mortem Christi baptizare consueverunt teste Socrate lib. 5. c. 24.

XXVII. Inter *Recentes* huc accersi possunt *Zvvinglius*, & partim etiam *PseudoCatholici*.

XXIIX. *Zvvinglius* negat necessariam esse certam quandam verborum formulam. *lib. II. de vera & falsa relig. cap. de Bapt.*

XXIX. *PseudoCatholici* etiam Mariam Virginem ut jurandi: ita etiam baptizandi formulæ intrudendam censent, dicentes:

Baptismum esse legitimum, si quis baptizaret in nomine Patris, Filij, & SPIRITVS Sancti & beatæ virginis. Libr. I. Novi Sacerdotalis pag. 25.

XXX. E quo, qui non videt, quòd Mariæ ipsissimam λατρείαν tribuant: eamq; in Sacrosanctæ Trinitatis solium evehant: is planè nihil videt.

XXXI. *Contrà* verô formulam baptismi à Christo præscriptam unicè observandam & retinendam statuimus.

XXXII.

XXXII. Quòd tamen non ita præcisè & superstitiosè intellectum volumus, quasi baptismus planè irritus; si quando fortè fortunâ vel litera vel syllaba quædam in recitatione verborum mutetur.

XXXIII. Quo de casu historiolam hîc referre libet, verbis ipsius Historiographi.

Sidonij (Episcopi Passavienſis) *tempore indoctus fuit quidam sacerdos, qui baptismi verba corrupit, & sic pronunciavit: Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritu sancta. De qua formula certamen inter S. Bonifacium & Sidonium extitit. Ille enim irritum talem baptismum esse judicavit, & denuò baptisandos hoc modo baptisatos censuit. Hic verò cum Salisburgensi antistite Virgilio non esse retractandum hujusmodi baptismum arbitratus est. Iudex autem controversiæ delectus, Pontifex Romanus Zacharias Sidonij sententiam comprobavit.*

Dresserus II. parte, Millenarij VI. part. 4. f. m. 285.

XXXIV. Alludit nempe ad Responsum *Zachariæ Pontificis*, quod tale:

Retulerunt nuncij tui, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens latini eloquij infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia & Spiritu sancta. Ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit eos rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuò baptizentur. De consecratione Distinct. 4. Can. 86.

XXXV. Statuimus *item* utrumq; sacris literis consonum, sive dicatur εἰς τὸ ὄνομα: sive ἐν τῷ ὀνόματι.

XXXVI. Utraq; enim formula ἔγλεγΦΘ, uti videre licet *Matt. 28, 19. 1. Corinth. 1, 13. Actor. 2, 38. cap. 10, 48.*

XXXVII. Quia tamen posterior formula hodie in Ecclesia passim recepta; ob id ipsum utriq;, temerario novitatis studio, cum priore non permutanda, judicio Westphali, *de Baptismo p. 30.*

PROBLEMA II.

An permittendum, ut administrationi Baptismi, tanquam testes assistant ij, quos publicè constat religioni nostræ non esse addictos?

I. *Appellatio patrinorum.*

XXXVIII. Consuetudine receptum est, ut personæ quædam peculiariter ad id invitatæ sacris baptismi intersint.

XXXIX. *Græcis communiter* appellantur ἀναδόχοι: *Latinis*: *Viri*, Susceptores, Compatres, Fidejussores, Sponsores, *Mulieres* autem, Matrinæ, Commatres. *Utrique communiter* testes Baptismi.

II. *Officium quadruplex.*

XL. Officium eorum in *quatuor* potissimùm partibus versatur.

XLI. Tenentur enim 1. suas, pro puero, *preces interponere*, non eo fine, ut is fide ipsorum, adeoq; alienâ regeneretur: sed ut fide *propriâ*, mediante Baptismi Sacramento, donetur.

1.

2. XLII. 2. Ipsorum est, pro infante, quem sacro è fonte suscipiunt, *spondere* & *respondere*; qua in re supremi illius Advocati, Christi nimirum, personam repræsentare non absurdè judicantur.

Marc. 10, 14.

3. XLIII. 3. Iidem quoq; sunt & esse debent, Baptismi legitimè administrati *testes*.

4. XLIV. 4. Ad eos deniq; spectat curare, (præsertim si contigerit Parentes morte præmatura obire) ut pueri ab ipsis è sacro fonte levati in verâ fide & pietate ritè erudiantur, & ad honestatem sanctâ disciplinâ assuefiant; cujus rei etiam admonentur in præfatione, quæ, ante administrationem Baptismi, proximè recitari solet hisce verbis:

Solches wollet es vnterrichten/oder daß er vnterrichtet werde/ zur Kirchen halten/ auch daran sein/ das er gelehrt werde die zehen Gebot Gottes/ den Christlichen Glauben/ Vater vnser/ vnd was zur seligkeit zu wissen vnd zu gläuben von nöthen. Wollet es auch zu einem erbarn Christlichen Leben vnd Wandel vermahnen vnd anhalten/ das wolt jhr doch/ so viel euch Gott gnade verleihet/ gerne thun?

XLV. Quò itidem tendit hæc Augustini παραίνεσις:

Vos ante omnia tàm mulieres, quàm viros, qui filios in Baptismo suscepistis,

pistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Et paulò post. *Ante omnia Symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte ostendite.*

in Serm. post Pascha, qui sic incipit: Hodiernus dies.

XLVI. Numerum eorum quod attinet, quotnam nempe ad Baptismi celebrationem deligendi & invitandi sint Patrini: variat consuetudo. III. *Numerus.*

XLVII. Papæ decretum est: *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quàm unus sive vir sive mulier*, de consecrat. Distinct. IV. c. 101.

XLVIII. Ut *ternarius* servetur, neq; temerè excedatur, omnibus suademus modis.

XLIX. In his præsertim terris, quibus Serenissimus Saxoniæ Elector imperat, ubi severè interdictum, ne plures, quàm tres patrini Baptismo adhibeantur:

Als auch vnläugbar vermerckt/ das bey vielen das Hochwirdige Sacrament der heiligen Tauffe / vmb das einbinden / geschenck vnd sonderlichem nutzes / etwan auch vnziemlichen prachts vnd hoheit willen/ mit grosser mennige der gebetenen Gefattern in eigentlichen mißbrauch gezogen/vnd also etliche hierdurch Krämerey/ fast dergleichen wie verrückter zeit die Meßpfaffen im Bapsthumb mit jhren Messen getrieben/ nicht ohne grosses ergernüß / auffrichten / vnd zu erbärmlichen anstoß der einfeltigen/ einführen / vnd also denselbigen gleich sündigen / vnd mit dieser Leichtfertigkeit Gottes zorn wider vns erregen thun/ so sollen hinfüro nicht mehr / denn drey Gefattern/ bey auffgesetzter straff ein hundert gülden/ welche wir hiemit widerumb erneuert haben wollen / gebieten/ vnd hierüber niemands zugelassen werden.

in Constitut. Eccles. tit. de Baptis. f. 308.

L. Nam, ut honorem & mysterium Sacrosanctæ Trinitatis silentio prætereamus: quis est, qui ignorat, quòd in ore duorum vel *Trium* testium omnis consistat veritas, asserente Jehova ipso.

Deut. 17. 6. cap. 19, 15. Matth 18, 16. 2. Cor. 13, 1.

IV. *Origo.*

LI. Originem consuetudinis illius invitandi ad celebrationem Baptismi patrinos sive testes, referunt ad *Hyginum* Episcopum Romanum.

Palatina in vita ejus, m. f. 20.

Osiander Cent. II. f. 36.

V. *Conditio.*

LII. Et hæc παρέργως quasi, &, ὡς ἐν παρέργῳ: aggrediamur ἔργον ipsum, quod est conditio eorum, qui Baptismo testes adhibentur.

LIII. Hic autem quæ conditio *negligenda*: quæ *advertenda*, distinctè videndum.

1. Negligenda.

LIV. *Negligenda* est 1. conditio *Sexûs*: Æquè enim mulieres atq; viri ad hanc rem deligi possunt; si modò ad justam pervenerint ætatem; quemadmodum non abs re monet constitutio Electoralis Ecclesiastica.

tit. de Bapt m. f. 309.

LV. 2. Negligenda item conditio *Ordinis*, Non minùs enim ad officiùm istud sacrum exorari possunt ac debent, personæ Ecclesiasticæ, quàm seculares.

LVI. Meritò igitur ridemus hæc *Iuris Canonici decreta de Consecrat. Distinct. IV.*

C. 103.

Non licet Abbati, vel monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.

C. 104.

Monachi sibi compatres, commatresve non faciant; nec osculentur fœminas.

2. Attendenda.

LVII. *Attendenda* contrà est 1. conditio *vitæ*, num honesta & pia, vel inhonesta, & impia.

LIIX. Honesti & pij ad actionem hanc sacratissimam deligendi sunt: minimè autem inhonesti & impij, quosq; ne quidem LL, in rebus Civilibus, testimonium perhibere permittunt.

VI. *Responsio ad quæstionem.*

LIX. 2. Attendenda item conditio *religionis*. Et proinde, ut, ad quæstionem propositam, tandem aliquando diserte respondeamus: *Non* concedendum, ut administrationi baptismi, tanquam testes assistant illi, quos religioni Lutheranæ non addictos esse, *publicè constat*, sive Pontificij, sive Calviniani, sive alterius sectæ Socij fuerint.

60. Di-

LX. Diligenter observetur Verbum *Constat*. Præsupponimus enim tales hæreticos, qui, præmissis ex (*a*) præcepto Christi, usitatis admonitionum gradibus, vel ut (*b*) Paulus loquitur, μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθέσιαν, planè insanabiles & αὐτοκατάκριτοι.

(a) *Matth. 18, 15. 16. 17.* (b) *Tit. 3, 10.*

LXI. Rationes Negativæ hujus si quis poscat: in promptu utiq; sunt tum *Generales*: tum *Speciales*. *VII. Rationes.*

LXII. *Generales* præcipui nominis & mominis sunt sequentes *quatuor*. *I. Generales.* IV.

LXIII. 1. *Necessitas non offendendi infirmos*, secundùm monita Christi & Apostoli.

Matth. 18. Rom. 14. 1. Cor. 8.

LXIV. 2. *Studium vitandi suspicionem*, quasi velimus, in religionis negocio, veritatis Divinæ nostibus colludere, contra seria & severa Scripturæ (c) *interdicta*, itemq; (d) *Exempla ἀξιομίμητα*:

(c) *1. Cor. 10, 14. & seq. 2. Cor. 6, 14. & seq. Tit. 3, 10. 2. Ioh. 10, 11.*

(d) *Psal. 26, 5. Psal. 119, 113. 128. Psal. 139, 21. 22.*

LXV. 3. *Abusus nominis Divini* præsentissimè conjunctus cum hæreticorum precibus, circa baptismi celebrationem.

Psal. 50, 16.

LXVI. 4. *Copia eorum*, qui nostræ religioni εἰλικρινῶς καὶ ὁλοψύχως addicti, quiq; operam suam, in opere hoc tam pio & Sancto, non illubenter præstare consueti.

LXVII. Inter *Speciales* Rationes itidem *quatuor* non exigui ponderis sunt & roboris. *2. Speciales itidem IV.*

LXIIX. 1. *Ne* infans privetur usurâ precum piarum. Quo affectu enim & effectu pro parvulo oraverint illi, qui ipsimet nulla fide prædiți?

Marc. 11, 24. Iac. 1, 5.

LXIX. 2. *Ne* baptismo concilietur contemtus & contumelia.

LXX. 3. *Ne* infans defraudetur officio Patrinorum, quorum inter alia quoq; est, sicut paulò antè præmonitum, in vera pietate & religione sincera, instituere eos, quos è sacro fonte susceperunt.

LXXI. 4. *Ne* deperdatur testimonium fidei, in quam puer baptizatus.

LXXII. Propter has rationes, arcendi sunt à sacratissima hac actione,

ctione, quos à noſtra religione pura & incorrupta abhorrere non clam latet: ſed propalam patet.

LXXIII. Quòd ſi verò miniſter Eccleſiæ vi cogatur à Magiſtratu, ut talem aliquem admittat: ſolenni ſibi & Eccleſiæ caveat *proteſtatione*, & in ejuſmodi ſtatu Eccleſiæ à Magiſtratu *preſſæ* vim iſtam potius patiatur, quàm ut Miniſterij puri cum impuro permutationem cauſetur.

LXXIV. Valet enim & hic diſtinctio inter Eccleſiam *liberè* ſuo jure utentem, & tyrannidis jugo *preſſam*; de qua alibi.

LXXV. Legatur *Lutherus Tom. II. Ien. Germ. f. 227.* Itemq; *Conſtitutiones Electoral. Eccleſiaſt. tit. de Excommunicatione m. f. 319. & ſeq.*

LXXVI. Et ſanè ut Miniſtri Eccleſia hac in parte officij ſibi caveant; curent, ſibi priùs qua invitētur, ἀναδόχων nomina indicari.

IIX. *Cautio.*

LXXVII. Quòd ſi contigerit Heterodoxum aliquem, neglectâ iſta indicatione, fuiſſe invitatum: ita diſpenſari ſolet, ut pro illo Orthodoxus admittatur.

PROBLEMA III.

Quid ſentiendum de Exorciſmo, & num abrogandus nec ne?

Tres de Exorciſmo ſententiæ.

LXXVI. *Tres* de Exorciſmo extant ſententiæ: *Extremæ duæ*, eæq; *falſæ: Vna Media* eaq; *Vera.*

LXXVII. *Extremarum* una in *Exceſſu*: altera in *defectu* peccat.

I. In Exceſſu Romanenſiū.

LXXVIII. In *Exceſſu peccant Romanenſes ſua ſuperſtitione*, quâ Exorciſmum, ut rem ad baptiſmum neceſſarium, urgent.

Compend. Theol. Verit. lib. 6. c. 10. p. 438.

Tàm adulti quàm parvuli exorciſari Debent *ad expulſionem Diabolicæ poteſtatis.*

De conſecratione Diſt. IV. Ca. 53.

Sive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum.

Non Prius *fontem vitæ adeant, quàm Exorciſmis, & ſufflationibus clericorum, Spiritus ab eis immundus abjiciatur.*

LXXIX. Ex quo obiter etiam apparet, quòd opinentur, infantes corporaliter obſeſſos eſſe à Diabolo; id quod haud obſcurè elucet, ex eâdem diſtinctione. C. 66. 67.

80. Sed

LXXX. Sed hæc absurdiora sunt, quàm ut refutatione indigeant.

LXXXI. In *defectu* peccant *Sacramentarij* sua *temeritate*, qua Exorcismum, ut rem impiam magicam & idololatricam, simpliciter damnant, &, quantum in ipsis, Diris devovent. *II. In Defectu Sacramentarij.*

Videantur chartæ Anhaltinorum:

Bericht vnd Lehr Göttliches Worts f. 64.

LXXXII. *Media* est *Lutheranorum*, quibus Exorcismus est res adiaphora, *quæ diverso respectu retineri & abrogari* possit ac debeat.

LXXXIII. *Retineri*, si absit superstitio & scandalon, quod antevertendum, pro concione, vero sensu & usu verborum, quibus Exorcismus constat, multoties explicato.

LXXXIV. Quando item Hostes veritatis necessariam Ceremoniæ illius abrogationem urgent, perq; hanc rimam, aditum sibi ad dogmatica nequiter depravanda patefacere moliuntur.

LXXXV. Quemadmodum à Calvinianis factum in his Electoratus Saxonici provincijs in anno: *De EXorCIsMo*, id est 1591.

LXXXVI. *Abrogari* autem debet Exorcismus, si à Pontificijs, vel alijs necessaria illius observatio urgeretur; si item scandalon indè oriretur planè *inevitabile*; siq; id fieri posset commodè, absq; offensione infirmorum.

LXXXVII. Colligimus hinc πορίσματα, quorum 1, Qui absq; exorcismo baptisatus; is nullus dubitet de veritate & integritate sui baptismatis. πορίσματα

LXXXIIX. 2. Exorcismo nulla est tribuenda virtus, vel cultus opinio.

LXXXIX. 3. Et proinde non audiendi, qui tale quid statuunt, vel statuerunt unquam.

XC. 4. Si qui tamen, tempore illius συρράξεως ἐξορκιστικῆς, à medio ad excessum deflexerint longiusculè, defectûs eò studiosius declinandi gratiâ: non accusandi: sed excusandi potiùs sunt, consideratione scopi & exemplorum Patrum & Lutheri, in alijs cum Adversarijs conflictibus.

XCI. Cætera, & præsertim, quæ Exorcismi ὑπομνήματα, trita sunt & vulgò nota.

DE

536

DE BAPTISMO,

DECADIS QUARTAE.

Problemata IV. V. VI.

RESPONDENTE

M. MATTHÆO MOESTIO

Memmingensi.

Ad diem 7. Septemb. horis locoq; consuetis.

PROBLEMA IV.

Num Baptismus immersione vel aspersione infantuli peragendus, & quoties hæc vel illa fieri debeat?

THEMATION I.

I. *Responsio ad striorem Quæpionis partem.*

EX Etymologia vocum βαπτισμῦ & βαπτίζεσθ, superiùs, in enodatione I. Problematis, II. Decadis, explicatâ apparet; *quòd perinde* sit, sive infans totus in aquam immergatur, sive, in parte duntaxat aliqua digniore, capite, videlicet, fronte vel pectore, aliquot aquæ guttis aspergatur.

II. Prius *Luthero* præ hoc magis probatur, *Tom. I. Ien. Germ. fol. 183. itemq; Tom. IV. fol. 425.* Posterius in Ecclesijs aliquâm multis ὀρθοδοξία Lutheranæ addictis usu receptum.

III. Etsi enim aqua unum saltem corporis membrum pertingit: virtus tamen ejus ad totum hominem penetrat, planè, ut virtus circumcisionis, itemque verbi prædicati, uno tantùm corporis membro forinsecus percepti. *Hebr. 4, v. 12.*

IV. Non autem omnino probandum, quòd Bellarminus pronunciat:

> Ordinariè *fit Baptismus per immersionem, idq; ad sepulturam Christi repræsentandam.* De Sacramento Baptismi c. 1.

5. Quo-

V. *Quoties* porro immersio vel aspersio fieri debeat, ἀδιάφορον; II. quia ἄζεαφον.

Responsio ad quæstionis partem posteriorem.

VI. Interim tamen *trina* in Ecclesia adhiberi & retineri consuevit; *cum* propter emphasin vocum, *Græca* βαπτίζειν, & *Syriacæ* עַמַּד *tum* propter significationem ejus mysticam, eamq; *geminam.*

VII. *Prior* est mysterij Sacrosanctæ Trinitatis, monentibus (a) *Hieronymo*, (b) *Ambrosio*, (c) *Concilio Toletano IV.*

(a) *in cap. 4. ad Ephes.* (b) *lib. 2. de Sacram. c. 7.* (c) *Can. 5.*

VIII. *Posterior* est triduanæ sepulturæ Christi, interprete *Damasceno & Athanasio: lib. IV. ὀρθ. πίς. cap. 18.*

Διὰ τῶν τριῶν καταδύσεων, τὰς τρεῖς ἡμέρας τῆς τοῦ κυρίου Ταφῆς, σημαίνει τὸ βάπτισμα.

IX. Summam totius rei præsentis hoc complexus est rescripto *Gregorius* lib. 1. Epist. 41.

De trina mersione baptisatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis: quia in una fide nihil efficit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem, quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus: ut, dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neq; istud aliquid obsistit baptizandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas obsignari.

PROBLEMA V.

Quo loco & tempore conferri dceat ac debeat Baptismus?

X. Actionum comites individuæ sunt circumstantiæ *loci & temporis.*

XI. Baptismus autem & ipse actio est & quidem sacra propriaq; Ecclesiæ, in qua omnia εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν peragi conveniet. 1 Cor 14. *v. ult.*

XII. Non absre igitur de conveniente loco & tempore administrationis Divinissimi hujus Sacramenti instituitur quæstio.

I. De Loco Baptismi.

XIII. De *Loco* igitur ut priori loco differamus: sciendum, quòd is quidem, apud Christianos, liber: distinguendum tamen inter Statum Ecclesiæ *olim nondum*: & *hodie jam ritè & quietè* constitutæ.

XIV. *Olim Ecclesiâ nondum ritè & quietè constitutâ* baptismus indiscriminatim ubiq; locorum administrari solebat, sicut testantur Exempla tam *Scripturæ*, quam *Historiæ* Ecclesiasticæ.

XV. E *Scriptura* huc quadrat (d) quod *Iohannes* in desertis circa Jordanem (e) quòd *Philippus* (non Apostolus sed Diaconus) in itinere & via publica, (f) quòd *Petrus* in privatis ædibus, (g) quòd itidem *Paulus* & Silas in domo δεσμοφύλακος baptizâsse scribuntur.

(d) *Ioan. c. 3, 23,* (e) *Act. 8. 36.* (f) *Act. 10, ult,* (g) *Act. 16, 33.*

XVI. Ex *Historia* autem *Ecclesiastica* huc pertinent exempla (h) *partim* piorum *Martyrum*, qui in carcere: (i) *partim aliorum*, (*qui, quòd ægrè decumberent,* ἀπὸ τοῦ κλίνειν κλινικοὶ appellati) qui in lecto baptizâri narrantur.

(h) Euseb. lib. *6*, c. 5. (i) Cypr. lib. IV. Epist. 7.

XVII. *Hodiè Ecclesia ritè & quietè constitutâ* iterum distinguendum inter Baptismum *Ordinarium & extraordinarium*, & *in casu necessitatis* dispensandum.

XIIIX. Baptismum *Ordinarium & extra casum necessitatis* publicè *in templo* ad baptisterion, eum in usum extructum, coram Ecclesiâ, celebrari debere judicamus, εὐταξίας, εὐχημοσύνης καὶ μυστηριοπρεπείας ἕνεκα.

XIX. *Extraordinariè* autem vel *in casu necessitatis*, *quovis loco*, baptismus administrari potest non tantùm à ministris Ecclesiæ publicis: sed à personis etiam privatis. *Necessitas* enim *non habet legem.*

II. De *tempore* Baptismi.

XX. Et tantum *de Loco*, priori circumstantiâ. *De tempore*, circumstantia baptismi posteriore, ut distinctiùs agatur: iterum discrimen inter *Ecclesiæ Veteris consuetudinem*: & *nostræ hodiè* καθῆκον constituimus.

XXI. Consuetudo *Ecclesiæ Veteris duplex* in Ecclesiastica Historia memoriæ prodita reperitur; *Vna nulla* planè: *Altera aliquâ* parte probanda.

XXII. *Nulla parte* probari potest κακοζηλία Christi, qua nonnulli, ad adultam usq; ætatem, baptismum procrastinârunt.

XXIII. Improbavit hanc procraſtinationem Chryſoſtomus, quoq; affectu ea à pleriſq; facta fuerit: haud obſcurè innuit commemorabili hac ſententia:

Quando quis propterea peccat, ut ſanctum baptiſma in noviſſima ſua expiratione ſuſcipiat, fortaſſis non adipiſcitur. Et credite mihi, non terrens vos dico, quod dicturus ſum. Multos novi, qui hoc paſſi ſunt qui ſpe baptiſmatis multa peccabant, circa diem autem mortis diſceſſerant vacui. Deus enim propter hoc baptiſma tribuit, ut ſolvat peccata, non ut addat. Si verò quis ad hoc utitur baptiſmate, ut ampliora delinquat, ipſum ſit negligentiæ cauſa.

Homil. 13. in c. 7: ad Hebr.

XXIV. Neq; eſt, ut obtendant Exemplum Chriſti, quandoquidem inter iſtud & illud eorum factum ingens diſſimilitudo, cujus gradûs à *Nazianzeno* oſtenſi. *homil. de Spir. ſancto.*

XXV. *Aliqua* autem *ex parte* probari poteſt conſuetudo Eccleſiæ *bis* quotannis ſolemniter baptizandi Catechumenos tota præſente Eccleſia.

XXVI. Et *unâ* quidem *vice*, in feſto Paſcharos: *alterâ*, in Solennibus Spiritus ſancti, vel in feſto Pentecoſtes, quæ tempora, eò quòd baptizati à Spiritu ſancto illuminati, *Lumina* ſive *Luminaria* nuncuparunt, non inſcitè accommodantes hûc hiſtoriam cæci. *Ioban. cap. 9.*

Nazianzen. Orat. II. in ſanct. lav.

XXVII. Allegatur pro hac conſuetudine decretum concilij Gerundinenſis, è quo quæ ejus ratio, quæ conditio, ſatis clarum & perſpicuum.

De Catechumenis baptiſandis id ſtatutum eſt, ut in Paſchæ ſolennitate, vel Pentecoſtes, quanto majoris celebritatis major celebritas eſt, tantò magis ad baptizandum veniant: cæteris ſolennitatibus infirmi tantùmmodo debeant baptizari, quibus quocunq; tempore convenit baptiſmum non negari.

XXIIX. *Noſtræ hodie Eccleſiæ κανὼν* eſt, ut infantes, quam primum fieri poteſt, mox à Nativitate, deferantur ad baptiſmum; imò eo ipſo, quo in lucem, editi, die, ut ſic eodem die, *naſcantur & renaſcantur*, adipiſcantur vitam *naturalem* & *Spiritualem*, reddantur cives & *Regni potentiæ*, & *Regni gratiæ*.

XXIX. Eò pios parentes incitare debet periculum vitæ, cui pirvuli ferè magis, quàm adulti obnoxij, & ne procraſtinatione baptiſmi de ſe eoncitent ſuſpicionem; quaſi minùs reverenter de ſanctiſſimo Initiationis Sacramento ſentiant.

XXX. Non poſſumus igitur nec debemus probare κακονθές eorum, quij, luxûs ſaltem & faſtûs gratiâ, ad plures nonnunquam ſeptimanas baptiſmi procurationem differunt.

XXXI. Quæ res quàm plena periculi adde & ſcandali, quis eſt qui non animadvertat.

PROBLEMA VI.

An baptiſmus ſit ordinarium, idq; efficaciſſimum regenerationis medium, quo infantes, in ipſo actu baptiſmi, ad unum omnes, verè regenerentur ad vitam æternam:

I. ὑπόθεσις Controverſia.

XXXII. Hæc eſt, hæc, inquam, eſt quæſtio verè *claſſica*, in articulo de baptiſmo, de qua inter nos & Calvinianos dimicatur acerrimè: præſertim cum Theander Lutherus in Catecheſi ſua hæc poſuerit verba, nobis κέρας ἀμαλθείας, ſucci & Medullæ Evangelicæ pleniſſimúm: Calvinianis autem ſudes in oculis moleſtiſſima:

Baptiſmus operatur condonationem peccatorum, liberat à morte, à Diabolo, & donat æternam beatitudinem omnibus qui credunt hoc quod verba & promiſſiones divinæ pollicentur.

II. Ejus διχοτομία.

XXXIII. *Duæ* autem ſunt iſtius quæſtionis Controverſæ partes, Una, *de Baptiſmi fructu & Effectu*: Altera; *de fructûs vel effectûs tempore.*

III. De fructu & effectu baptiſmi.

XXXIV. *De fructu & Effectu Baptiſmi*, hanc Lutherani tradunt doctrinam.

XXXV. *Fructus* Baptiſmi *proprius & principalis* duplex eſt: alter *propinquus* & ἄμεσος: alter *remotior* & ἔμμεσος.

1. Orthodoxia Lutherana.

XXXVI. *Propinquus* Viciſſim *geminus* eſt, *primarius* videlicet & *ſecundarius.*

XXXVII. *Primarius* eſt regeneratio: *ſecundarius* renovatio.

XXXIIIX. Qui fructus quidem, indiviſo nexu, invicem cohærent. Cujus gratia & una regenerationis appellatione comprehenduntur, *Iohan. 3. 5.*

XXXIX. Differunt tamen, ut causa & effectus, unde distincte ponuntur ad *Tit.* 3. ubi Baptismus definitur *lavacrum regenerationis & renovationis.*

XL. *Regeneratio* sic appellatur, eò quod per eam, ex (a) filijs iræ, (b) filij gratiæ & hæredes vitæ æternæ fiamus.

(a) *Ephes.* 2, 3 (b) *Iohan.* 1. 12. *Rom.* 8, 7. *Gal.* 3, 6. & 9.

XLI. Et hq; emundatio à peccatis, merito sanguinis Christi vel remissio peccatorum; interprete formula Concordiæ, *in art. de justific. fidei.*

XLII. In quo sensu *Synonima* ejus sunt (c) *ablutio vel emundatio à peccatis*, item (d) τὸ ἐνδύσασθαι Χριστόν.

(c) *Act.* 22, 16. *Eph.* 5, 26. 1 *Iohan.* 1, 7 (d) *Gal.* 3, 27. *Esa.* 61, 10.

XLIII. Atq; huc pertinent suffragia *Augustanæ Confessionis*; necnon *Apologiæ ejusdem Artic.* 2, & 9. Itemq; *Catechismi Lutheri*, eundem effectum Baptismo asscribentium, sicut verba superiusculè allegata testantur.

XLIV. *Renovatio* autem (e) Apostolo definitur: Spiritualis vitæ novitas, ut mortui peccato, justiciæ vivamus efficaciâ Christi, (f) per fidem in nobis habitantis.

(e) *Rom.* 6. *v.* 3, 4. & *seq.* (f) *Ephes.* 3. *v.* 17.

XLV. *Remotior* & ἔμμεσος Baptismi finis est *salus æterna.*

XLVI. Et sanè hæc divina charismata per Baptismum non tantùm obsignantur, sed ὄντως καὶ κατ' ἀυτάληθείαν conferuntur.

XLVII. Idq; non ex opere operato, sed vi ordinationis divinæ.

XLIIIX. Deus enim non talem instituit Baptismum, qui esse debeat ociosus; sed qui sit ordinarium organum regenerationis & salutis æternæ.

XLIX. *Calvinistarum* verò opinio de Baptismi fructu, *tribus* thesibus brevissimè potest comprehendi: 2. *Calvinianorum* σκοτοδοξία.

L. I. Baptismum regenerationem & salutem conferre & operari pernegant.

Calvinus Instit. lib. 4. cap. 16.

In summa, nisi omnia religionis fundamenta evertere libet, fateri necesse est, non esse fundatam infantis salutem in Baptismo.

Beza in Nov. Test. Petri verba 1. Epist. c. 3. sic interpretatur:

Materialis illa Baptismi aqua minimè nos servat, ut aquæ illæ sustinen-

tarum, Noam servarunt &c.

Idem in Colloq. Mompelg. fol. 434.

Salutem noſtram hactenus à Baptiſmo ſuſpendimus, ut (NB.) *Nos Salutis fundamentum ab eo incoëmus.*

Urſinus Compend. Theol. f. 528.

Regeneratio & ſalus non pendet à Baptiſmo.

Iterum Beza.

Idem in Baptiſmo quoq; fit, quem multa millia infantum accipiunt, qui tamen (NB.) Nunquam *regenerantur; ſed in æternum* (horreſco referens) *pereunt*. Colloq. Mompelg. fol. 478.

LI. 2. Nudum duntaxat adoptionis, & gratiæ divinæ *ſignum*, aut ſymbolum vel ſignaculum Baptiſma eſſe ſtatuunt.

Calvinus in Antidoto ad Articulos Pariſienſium.

Baptiſmus infantibus non adminiculam ſalutis, ſed ſigillum tantùm eſt adoptionis in filios Dei factæ ante Baptiſmum.

Martyr in cap. 10. Actor.

Baptiſmus non ſanctificat: ſed ſanctificationem obſignat. Similes blaſphemias ſpargunt *Catech. Heidelb. quæſt. 72. f. 34. Beza in Colloq. Mompel. fol. 478. 479. Benedictus Aretius in Exam. Theolog. Anno 70. edito f. 70.*

LII. Imò nonnulli ex grege Calviniſtico eò veſaniæ proceſſerunt, ut affirmare non dubitârint, Baptiſmum nihil aliud eſſe, quam *teſſeram* ſolummodò, vel *ſymbolum* diſcernens Chriſtianorum liberos Turcicis infantibus, perindè ut toga & pallium, olim Romanos & Græcos diſcernebant.

Catech. Heidelb. fol. 56. & 37, Aretius. 1. à parte Probl. fol 968. edit. an. 92.

§. *Refutatiò.* LIII. Huic autem craſſo & crudo errori Calviniſtarum nos *triplicem* hunc opponimus *ἀντισυλλογισμόν.*

LIV. *Infantum eſt regnum* (i) *cœlorum* (k) *Renaſcantur itaq; neceſſe eſt, vel per* (l) *Baptiſmum, vel per* (m) *verbi auditum: ſed non per hunc, tollo ipſo* (n) Beza. *Ergo per illum.*

(i) *Matth. 19, v. 14. Mar. 10, 14. Luc 18, 16.* (k) *Ioh. 3, 3.*
(l) *Tit. 3, 5.* (m) *1 Pet. 1, 23.* (n) *quæſt. & reſp.*

LV. 2. *Obſignatio eſt rei præſentis, &, quæ jam exhibetur, confirmatio. Atqui Baptiſmus* (etiam ex Calviniſtarum ſententia) eſt (α) regenerationis, (β) *parte à Chriſto ſalutis, &* (γ) *adoptionis obſignatio.*

Ergo

Ergo charismata illa per Baptismum exhiberi necesse est. Per aliud namq; medium infantibus conferri nequeunt; siquidem *omnes nascimur filij iræ*, *Ephes.* 2. 3.

(α) *in Colloq. Mompelg.* 147. (β) *Calvin. in cap.* 3. Tit. (γ) *in Colloq. Mompelg, fol.* 455.

LVI. 3 *Si Baptismus infantum fingitur vacuus regeneratione: vacuus* etiam (o) *erit fide. Si fide vacuus: sequetur ἀτοπον hoc ἀβαπώτατον: illum esse differendum, donec infantes ex verbi auditu, fidei fiant capaces.* Sine hac quippe Sacramenta non prosunt: sed obsunt utentibus, teste *Augustana Confessione Artic.* 13. (o) *Iohan.* 1. *v.* 12.

LVII. Et hactenus *de priori controversiæ istius parte*; *Posteriorem*, quæ est *de tempore fructus & effectus in Baptismi*, quod attinet: de infantibus utiq; ad unum omnibus indubitatò verum est, quôd, in continenti, vel in ipso Baptismi actu, per istud Sacramentum longè efficacissimum renascantur.

IV. De posteriori parte controversiæ.

1. Sententia Lutheranorum.

LIIX. In promptu namq; sunt testimonia Scripturæ tam clara, ut *ipsius solis radijs scripta putari* mereantur, (quemadmodum *Theodoretus lib. de Resurrectione carnis* loquitur) in quibus omnibus regeneratio cum Baptismo, ut effectus cum sua causa, adeoq; ἅμα τῷ λόγῳ, nexu indivulso, ἀδιαστάτως colligatur, ut:

Johan. 3. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam* lavacro aquæ per verbum.

Tit. 3. *Salvos nos fecit* per *lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per* Iesum Christum *Servatorem nostrum, ut justificati, illius gratiâ. hæredes efficeremur, juxta spem vitæ æternæ.*

LIX. 2. Ne quicquam est in tenellulis illis corculis, quòd regenerationis opus interurbet. Nulla certè, in ipsis actualis repugnantia, vel peccati contra conscientiam designatio, propter cessantem adhuc Rationis operationem.

LX. 3. *Precatiuncula* in Ecclesijs nostris statim post Baptismi administrationem recitata solita idem confirmat. In ea enim di-

serte

ſertè pronunciamus: infantulum, eo ipſo momento, quo *jam* baptizatus, fuiſſe regenitum.

1. *Calviniſtarum opinio.*

LXI. Quid vero *Calviniani*? Regenerationum temporum intervallis à Baptiſmo diſtrahunt, & in ætatem adultiorem rejiciunt: id quod è venenatis ipſorum chartis notius eſt quàm expedit.

Legatur Colloq. Mompel. f. 434. 453. 454. 470. & Simlerus de Bapt. th 21. 117.

LXII. Adſcribere placet hûc unicam hanc duntaxat Bezæ ſententiolam, impietatis plenam, ex præfatione *reſponſi prioris* ad *Acta Colloq: vij* ſæpius allegati *p.* 24.

Neq; dixi pueros omnes vel aliquos reipſa in illo Baptiſmi momento regenerari: ſed regenerationis beneficium, ſuo demum tempore divinitus ordinato, illum Baptiſmi actum in infantibus, ex verbi auditu, ſequi.

LXIII. Unde ſanè ἀναπῤῥήτως evinci poteſt, Bezam omnesq; ejus aſſeclas ſtatuere, ne unum quidem infantulum per aquam Baptiſmi in infantia regenerari.

LXIV. Idq; hoc invicto argumento:

Beza nec infantes electos, nec reprobos per lavacrum aquæ renaſci ſentit. Nullum ergo prorſus infantem ſtatuit renaſci. Reprobos enim nunquam: *electos* autem ſuo demum tempore, ex verbi auditu, regenerari aſſeverat.

2. *Refutatio.*

LXV. Verùm enim verò veſanum & profanum hoc Spiritus Calviniſtici commentum, *tribus* hiſce ἀπαγωγαῖς εἰς ἀδύνατον poteri & conculcari poteſt facilimè:

LXVI. 1. *Si non in ipſo Baptiſmi momento, fit regeneratio: ſequetur infantes electos, qui poſt Baptiſmum acceptum in ultimâ exſpirant pueritia, antequam fidei per auditum verbi fiant participes, vel, abſq; regeneratione, ſalvari vel damnari.*

Bez

Sed (p) *utrumque eſt impium &* (q) *Auguſtanæ Confeſſioni contrarium.* *Ergo.*

(p) *Iohan. 3, 5. Rom. 30.* (q) *Artic. 9.*

LXVII. 2. Adhæc quid, ex hac blaſphema Bezaitarum opinione, Baptiſmus foret aliud, quàm ſigillum appenſum literis, in quibus ne gry quidem ſcriptum reperiretur? Id quod intentioni, ordinationi & voluntati Dei ἀντικείτῳ planè adverſatur, imò nihil aliud eſt, niſi ludibrium coram Deo & mundo.

LXIIX. 3. Deniq; si ex sententia adversariorum non in ætate infantili fit regeneratio, cur non cum Anabaptistis Baptismum differunt usq; ad annos discretionis, præsertim cum aliàs, in hoc articulo, cum Anabaptistis contra Lutheranos conspirent; adeo ut illorum Pseudodogma, de βρεφοβαπτισμῷ nunquam solidè refellere valeant.

LXIX. De efficacia & fructu baptismi videatur Lutherus, ille postremi hujus seculi in Ecclesia Doctor & Regnator quasi

Tom. IV. Ien. 422, 444. Tom. VI. Ien. 284, 303. Tom. VII. 290. 464. Tom. VIII. 272, 274.

DE BAPTISMO,

DECADIS QUARTAE.

Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. GEORGIO GELDNERO

Creilsheimensi Fr.

Ad diem 14. Septemb. horis locoq; consuetis.

PROBLEMA VII.

Quatenus in & per Baptismum tollatur peccatum?

THEMATION I.

Problematis, quæ concernunt *Causam* Baptismi *formalem*, ad ea progredimur, quæ ad *Causam* ejus *finalem*, & efficaciam salutarem pertinent. μεταβασις.

II. Atqui hic partim adversùs *Romanenses* & rasos: partim contra *Sacramentarios* & Calvos ἀληθογνωσίας cœlestis hostes nobis decertandum.

III. Et hoc quidem Problema, propter Romanenſes propoſ-nimus, qui in doctrina, de effectu baptiſmi, quoad *exceſſum* à regia & militati ὀρθοδοξίας Lutheranæ via, deflectunt & exorbitant.

Opinio Romanenſium.

IV. Apertè enim & audacter docent & affirmant: in baptiſmo peccatum in totum tolli: non ſaltem, quoad *reatum*, vel *formale*: ſed etiam quoad *actum & radicem*, vel *materiale*, adeò ut poſt Baptiſmum *nihil remaneat, quod rationem peccati habeat.*

Concil. Trident. Seſſ. V.

Si quis per Jeſu Chriſti Domini *noſtri gratiam, quæ baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit* non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet, *ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari anathema ſit.*

Catech. Roman. f. 203.

Ac ne dubitare ampliùs ea de re cuiquam liceret, poſt aliorum Conciliorum definitionem, ſacra, etiam Tridentina Synodus idem declaravit, cum anathema in eos decrevit, qui aliter ſentire auderent, quive aſſeverare non dubitarent, quamvis peccata in baptiſmo remittuntur, ea tamen prorſus non tolli, aut radicitùs evelli, *ſed quodammodo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixæ adhuc remaneant.*

V. Suum utrique calculum adjicit *Bellarminus* hanc Romanenſium opinionem aliquot Rationum generibus propugnare allaborans.

in lib. de Baptiſmo c. 13.

Refutatio per Syllogiſmum πρίμεσον.

VI. Nos huic Romanenſium lolio radicitùs evellendo hanc admovemus ῥιζοτόμον tricuſpidem, eamq; Syllogiſticam:

Quicquid è falſo natum principio, & inſuper tùm Scripturæ Dictis: tùm Argumentis κατὰ μέσον *adverſatur: id utiq; ut lolium à Satana ſatum, ex horto Eccleſiæ evellendum.*

Atqui tale eſt iſtud Romanenſium, de peccati Originalis, per Baptiſmum totali abolitione.

Ergò.

VII. Singulos, ut in metaphora perſeveremus, cuſpides, Verbi Divinitus patefacti cote, acuimus.

IIX. Ac *primò* quidem, quòd pseudodogma istud Pontificium *ex falso natum principio*, indè manifesta in luce refulget: quòd perficta fronte & præfracto corde omninò negant: *concupiscentiam in baptizatis peccatum esse.* 1.

Concil. Trid. Sess. V.

Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: *sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Bellarminus de amiss. gratiæ & statu peccati lib. 5. cap. 7.

Asserimus igitur, Naturæ corruptionem, sive concupiscentiam, quale remanet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, *non solùm quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest*, cùm nullum sit ex se, vel ex natura sua peccatum.

IX. At enim verò quid hoc aliud est, quàm os in Cœlum ponere, & ex (*a*) adverso obloqui Apostolo, qui concupiscentiam non tantùm *deciesquater* ἀποφατικῶς peccatum esse affirmat: sed καταφατικῶς etiam (*ex Decalogo peccatorum Catologo*) confirmat?

Rom. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam & concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Sed occasione accepta, peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Siquidem absq; lege, peccatum erat mortuum. Ego autem vivebam sine lege quondam: veniente verò mandato peccatum revixit, ego verò mortuus sum.*

(a) *Exod. cap. 20, 17. Deut. cap. 5, 21*

X. Neq; est, ut excipiant concupiscentiam vocari peccatum, ratione *termini à quo & ad quem*, id est, quod ex peccato sit orta, & inclinet ad peccatum, *Staplet. Antid. p. 382. ex Concil. Trid. Sess. V.*

XI. Glossema namq; istud repugnat & *verbis* & *menti* Apostoli, qui expresè de peccato, quod est *causa mortis*, adeoq; *non tropicè* sed *propriè* peccatum, agit.

XII. Et si concupiscentia non est peccatum ex se vel ex naturâ suâ: cur ergò peccata in sanctissimis quibusq; *Ps. 32, 6. 1. Ioh. 1, 8?*

2. XIII. *Secundò*, quòd *Scripturæ Dicta* ſpectat: huc maximè quadrat partim *Pauli* verè per Baptiſmum renati *querela*, (b) *de ἁμαρτίᾳ ἐνοικούσῃ*: partim (c) *Epiſtolæ ad Hebræos* qui & ipſi *ex aqua & Spiritu* renati, *exhortatio*, ut deponant *ἁμαρτίαν εὐπερίστατον*.

(b) *Rom. 7, 18. 19. 20. &c.* (c) *cap. 12, 1.*

3. XIV. *Tertiò* inter *Argumenta Scripturæ*, potiſſimùm eſt illud quod peti ſolet à morte puerulorum præmatura, *antequam* (d) *malitia mutet intellectum ejus, & fictio decipiat animam ipſorum.*

Sap. 4, ver. 11.

XV. Eſtq; in formam ſyllogiſticam redactum & reductum, tale:

NB. *Remoto peccato quoad radicem: mors quoq; removeatur neceſſum eſt.*
Atqui mors ab infantulis Chriſtianorum babtizatis non removetur.
Ergò neq; peccatum quoad radicem.

XVI. *Propoſitionis* veritas & certitudo τετραγώνως innititur, non tam *axiomati Logico: ceſſante causâ; ceſſat effectus*; quàm στοιχείῳ huic *Theologico: Stipendium peccati mors eſt, Rom. 6.*

XVII. *Aſſumptio* experientiâ conſtat, quæ teſtis locupletiſſima infantulos non paucos mox à baptiſmo expirare.

XIIX. Et hoc eſt, quod Oecumenicus Gentium Doctor innuit *Rom. cap.* 5. hunc in modum ſcribens:

Immò regnavit mors ab Adam usq; ad Moſen, in eos quoq;, qui Non-peccaverant, *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam.*

concluſio. XIX. Viderint Jeſuitæ, quomodo cum his conciliare poſſint & velint, quòd myſtagogus ipſorum Bellarminus ediſſerit: *Veri effectus* (baptiſmi) *apud Catholicos tres ſunt*: Primò *Baptiſmus tollit ac delet verè* Omnem *culpam &* Pœnam lib. de Bapt. c. 12.

XX. Nos ex his omnibus ac ſingulis συλλήβδην concludimus & intrepidè pronunciamus: *Peccatum in Baptiſmo non in totum tolli: ſed ſaltem quoad reatum & ſtatum perſonæ: manere autẽ, quoad ſtatum naturæ.*

Suffragia Patrum. XXI. Arq; huic orthodoxo pronunciato ſuffragantur *Patres* doctrinæ ſinceritate nobis conjunctiſſimi.

Ambroſius in Libr. de Sacramen.

Tollitur in Baptiſmo concupiſcentia, non ut ſit: ſed non obſit.

Auguſtinus lib. 6. cap. 8. cont. Juli.

Talis eſt carnis concupiſcentia, ut maneat in homine ſecum confligente: quamvis ejus reatus, qui fuerat generatione contractus, jam ſit regene-

ræ-

neratione transactus. Actu enim manet non quidem abstrahendo & alliciendo mentem ejusq; consensu concipiendo & pariendo peccata: sed mala quibus mens resistat, desideria commovendo.

XXII. Quòd autem Augustinus alicubi negat concupiscentiam, post Baptismum, esse peccatum: id utiq; non de concupiscentia per se, respectu *naturæ vitiatæ*: sed de *reatu* saltem; respectu *personæ Deo reconciliatæ*, intelligendum est. *Explicatio ἐναντιοφανείας Augustini.*

XXIII. Et hujus quoq; generis sunt *Bellarmini* argumenta, quæ 1. 2. 3. & 4. loco profert. *Λύσις Argumentorum Bellarmini.*

XXIV. Quæ 5. 6. & 7. loco adducit, loquuntur de *regeneratione*, quæ constat peccatorum remissione, & spirituali renovatione, sed non *consummata*, quæ quippe in hac vita in neminem cadit, verùm duntaxat Incoata.

XXV. Quæ *octavo* intermiscet loco, facilè possunt dilui, si modo adhibeatur distinctio inter *peccata regnantia* & *non-regnantia*. *Illa* in renatis esse non possunt cum Spiritu sancto: Hæc autem possunt, licèt non sint à Spiritu sancto, sicut patet exemplo Apostoli ad *Rom. cap. 7.*

XXVI. Quæ deniq; ad *nonum* caput refert Scripturæ loca: in ijs utiq; confundit *peccatum* & *peccati subjectum*, vel quod idem, peccatum *formaliter in suâ naturâ*, & subjectivè, vel in persona cui inhæret, consideratum.

XXVI. Videatur *Lutherus*, postremus ille postremæ ætatis Elias:

Tom. I. Ien. Germ. fol. 184, 185, 348.
Tom. VIII. fol. 282.

PROBLEMA. VIII.

An per lapsus contra conscientiam baptismus penitus evacuetur & irritus reddatur?

XXVII. *Extorquent & hujus Problematis ἐξήγησιν nobis* Romanenses, *qui, quoad hanc doctrinæ de Baptismo particulam*, in tres *abeunt sententias*, 1. *Romanenses in tria divisi agmina.*

XXIIX. 1. Quidam sunt *Orthodoxi* docentes idem quod Nos Lutherani, qualis *Alphonsus Salmeron* concludens: *Baptismo non tantum præterita: sed etiam futura peccata remitti.*

Tom. 3. pag. 487.

2. XXXIX. 2. Quidam sunt manifestè *Cacodoxi*, veluti *Lorgobardus*, qui, per lapsus contra conscientiam, baptismum usq; adeò evacuari statuit, ut instar *tabulæ* confractæ, cujus qui nullus ampliùs usus. *Lib. IV. Distinct. IV. L. A.*

3. XXX. 3. Quidam *Tepidi* sunt, qui ne, quod sentiunt, disertè enunciare, cogantur, statum controversiæ subdolè invertunt, & Lutheranorum sententiam calumniosè pervertunt.

XXXI. Hujus fecis & farinæ sunt *Patres Conciliabuli* illius *Tridentini* hunc non contra Lutheranorum doctrinam: sed Calumniæ suæ Larvam fabricati Canonem:

Sessione VII. Canone X. de Baptismo.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

II. *Lutheranorũ doctrina.*

XXXII. Quæ autem vera sit & genuina Lutheranorum doctrina, de proposito Problemate: ipsis ipsius *Lutheri* verbis, quæ Romanensibus allatrâsse lubido, exponere placet.

In lib. de capt. Babyl. Tom. II. Lat. f. 273.

Quare nobis cavendum est ab ijs, qui Baptismi vim eò redegerunt, tenuitatis & parvitatis, ut gratiam in eo dicant quidem infundi, sed postea per peccatum effundi, tum alia via, ac jam quasi baptismo penitus irrito facto, ad cœlum eundum. Non sic tu arbitrabere, sed intelliges eam esse baptismi significationem, qua moriaris & vivas, idcò non posse te, sive per pœnitentiam, sive per quamcunq; aliam viam redire, nisi ad vim baptismi, &c. Item: Nunquam sit baptismus irritus, donec desperans redire ad salutem nolueris, aberrare quidem poteris, ad tempus à signo, sed non ideò irritum est signum. Ita semel es baptisatus sacramentaliter, sed semper baptisandus fide, semper moriendum, semperq; vivendum.

III. *Doctrinæ Lutheranorum fundamenta duûm generũ.*

XXXIII. Summa est: Beneficia Christi (verbis Magni Theologi utimur) in baptismo semel accepto, *velut in penu deposita*, baptizato asservantur, ità, ut ei, post lapsus contra conscientiam, pœnitentiam agenti, quovis tempore, eò liberrimus pateat reditus.

XXXIV. Fundamenta hujus ὀρθοδοξίας Lutheranæ duûm sunt generum: *Quædam Deum*: *Quædam Baptismum* nostrum spectant.

35. Quæ

XXXV. Quæ Deùm *spectant*, immotam ejus, in servandis promissionibus & pactis, veritatem & constantiam, omni asseveratione confirmant. 2.

Gen. c. 17. *Erit hoc pactum meum in fœdus* Æternum.

Psal. 89. *Neq; profanabo Testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.*

Esaiæ 54. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus* Dominus.

Jer. 3. *Si dimiserit Vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit Virum alterum: nunquid revertetur ad eam ultra: nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa?* Tu autem *fornicata es, cum amatoribus multis*: Tamen *revertere ad me, dicit* Dominus.

Oseæ 2. *Despondabo me tibi* In Æternum.

Joh. 6. *Venientem ad me non ejiciam foràs.*

Rom. 3. *Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?*

Rom. 11. ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ.

2. Tim. 2. *Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsũ nõ potest.*

XXXVI. Quæ *Baptismum spectant*, efficaciam ejus ad *omnes* omnium *temporum articulos* extendunt, adeoq; de hac loquuntur, partim in *præterito*: partim in *præsenti*: partim in *futuro*. 2.

XXXVII. In *præterito*, de efficacia Baptismi sermocinatur Apostolus ad *Tit. 3.*

Salvos nos Fecit *per lavacrum regenerationis ac renovationis in* Spiritu sancto.

XXXIIX. In *præsenti*, de eâdem verba facit B. Petrus, seipsum quoq;, post lapsum, Baptismi fœderi includens:

Baptisma salvos Nos Facit. *1. Pet. 3.* Adde quod ibidem Baptismum, non more Pontificio, respectu lapsorum, non comparat *tabulæ fractæ navis*: Sed *Navi* integræ & firmissimę Arcæ nimirum Noæ.

XXXIX. In *futuro* deniq; de Baptismi, efficacia, loquuntur hæc Scripturæ Oracula.

Marc. 16. *Quicunq; crediderit & baptizatus fuerit*, Salvus erit.

Eph. 5. *Sanctificavit Ecclesiam mundans lavacro aquæ in verbo, ut* Adhiberet *eam sibi* Gloriosam.

Tit.

Tit. 3. *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis ac renovationis* Spiritus ſancti, *quem effudit in nos opulenter per* Jeſum Chriſtum *Servatorem noſtrum, ut juſtificati illius gratia, hæredes* Efficeremur *juxta ſpem vitæ æternæ.*

III. *Suffragia Antiquitatis.*

XL. Quibus omnibus accedunt *ſuffragia* Orthodoxæ Antiquitatis, quorum omnium inſtar eſſe poteſt, iſthæc πολυθρύλλητος γνώμη Auguſtini, in lib. de nupt. & concupiſc. c. 33.

Illud: Chriſtus *dilexit Eccleſiam mundans eam lavacro aquæ, ſic accipiendum eſt, ut eodem lavacro regenerationis & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala omnium regeneratorum mundentur atq; ſanentur: non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo: ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptiſma, quoties peccatur, ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit, ut non ſolùm anteà, verùm etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet, vel ante Baptiſmum pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur: vel poſt ea, niſi præcederet: in ipſa quoq; Dominica oratione, quæ quotidiana noſtra eſt emendatio, quo fructu, quo effectu diceretur: dimitte nobis debita noſtra, niſi ab eis, qui baptiſati ſunt, diceretur.*

PROBLEMA IX.

Quid de ſalute infantum Chriſtianorum non baptizatorum ſentiendum.

XLI. Hactenus cum *Romanenſibus* nobis dimicandum fuit: jam cum *Romanenſibus & Calvinianis ſimul* manus conſerendæ.

I. *Antitheſis ἑτεροδόξων.* 1. *Romanenſium.*

XLII. Utriq; enim de Statu infantulorum Chriſtianorum non baptizatorum ἀθεολόγως & σκολιοδόξως ſentiunt.

XLIII. *Romanenſes* infantes non baptizatos ſalvari negant, ijſque medium quendam locum, inter cœlum & infernum, quem *limbum infantium* appellant, ubi nec benè nec malè illis ſit, aſſignant.

Longobardus Lib. 4. diſt. 1. lit. L.

Idem poteſt reſponderi, quod ſentitur de parvulis ante baptiſmum defunctis: quos perire conſtat:

Durandus lib. 3. diſt. 22. Quæſt. 4.

Alijs debetur pœna ſenſus, ſcilicet, decedentibus in ſolo peccato originali, qui dicuntur eſſe in limbo puerorum.

Col.

Colloq Ratisb. pag. 34.

Ejusmodi infantes qui sine Babtismate decedunt, non salvantur, quod est fides catholica.

XLIV. Atq; hinc Bellarminus omnes omninò infantes non-baptizatos habet pro reprobis.

Proinde omnes, qui in infantia moriuntur, si prædestinati sint, sine dubio baptizantur, & contrà, si reprobri sint, non baptizantur.

Libro I. de Sacramento Baptismi, cap. 5.

XLV. *Calviniani* distinguunt inter infantes parentum *credentium*, & *non-credentium*: illis pariter omnibus ex communi fœdere Dei, extra baptismum salutem adscribunt: *his* verò æternam condemnationem, etiamsi millies baptizarentur. 2. *Calvinia-norum.*

Calvinus lib. IV. Instit. c. 15. & 16.

Beza in Colloq. Mompelg. m. f. 479. 479. 499.

XLVI. Nos utriq; antithesi, opponimus thesin doctrinæ veræ & consolationis plenæ. II. *Thesis* Ὀρθοδοξίας.

XLVII. Summè necessarius est baptismus ad salutem, ut *ordinarium* salutis medium, quod à nemine, cujus illius copia fieri potest, ullo negligendum modo: quemadmodum à Phariſæis & Scribis factum. *Luc. c. 7. 30.*

XLIIX. Atq; huc respicit Christus severè pronuncians: *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non potest videre Regnum DEI. Iohan. 3.*

XLIX. Interim tamen excipitur *casus necessitatis*, quo infantes ab usu baptismi, nulla sua culpa, secluduntur.

L. Illi verò in *duplici* sunt differentiâ: *Quidam*, vel *adhuc in utero materno*, aut *in partu* extinguuntur: *quidam post partum* inopinato quodam casu, sine baptismo decedunt.

LI. Infantuli, qui vel in *utero materno*, vel *in partu extinguuntur*: ij transgressionis vel contemptus mandati & ordinationis divinæ accusari nequeunt.

LII. Παλιγγενεσία enim spiritualis, cujus ordinarium organon est Baptismus, præsupponit γένεσιν carnalem, ut vel ipse vocis sonus arguit. *Ioh. 3. Tit. 3. Lutherus Tom. VIII. Ien. fol. 44.*

LIII. Sicut itaq; masculi, qui *vel* in utero materno, *vel* ante octavum diem, in vivis esse desiêrunt, neq; transgressores legis de cir-

cumcisione habiti, neq; condemnati: sed salvati fuerunt, sicut innuit (g) *Iobus*, & ostendit exemplum Filioli Davidis ex Bathsaba recèns nati, qui die septimo post partum sine circumcisione mortuus, ab Antiquissimis Hebræorum, horumq; Rabinis, existimatur, 1. *Sam.* 12. (g) *cap. 3, 13.*

LIV. Pari etiam ratione infanculi, qui vel in utero materno, vel in partu extinguuntur, condemnationis rei non sunt: verùm Deus clementissimus eos per fidem, immediatâ virtute Spiritus sancti, salvat propter Filium suum Jesum Christum, *qui & ipse conceptus est è* Spiritu sancto, *& infans natus è muliere.*

Hebr. 2, 14. *Gal.* 4, 4.

LV. Qui autem *post partum*, inopinato quodam casu, sine Baptismo, decedunt, nec de horum salute tantillum dubitamus, fretis his sequentibus fundamentis:

LVI. 1. Est *fœderis Dei amplitudo*, quo non solùm parentes, sed etiam parentum liberi comprehenduntur, juxta dicta *Gen. 17. Ero Deus tuus*, &c. *Act. 2. vobis & filijs vestris*, &c.

LXII. 2. *Misericordia divina*, quæ durat à Generatione ad Generationem, *Luc.* 1, 50.

Et Matth. 18. Salvator inquit: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de pusillis istis.

LIIX. 3. *Liberrima voluntas & omnipotentia Dei.* Quia non est alligatus medijs à se institutis: sed valet (b) ὥσπερ πάντα ποιῆσαι ὥσπερ ἐκ τούτων ὧν αἰτήμεθα, ἢ νοοῦμεν. Idq; declaravit exemplo (i) *Iohannis Baptistæ*, quem, modo singulari & extraordinario, adhuc utero materno clausum, Spiritu sancto implevit.

(h) *Ephes.* 3. (i) *Luc.* 1.

LIX. 4. *Piæ preces* parentum & Ecclesiæ, quibus puerulos Deo commendant, quarumq; summa est ἐνέργεια *Iacob* 5, 16.

LX. 5. Quia ipse Servator casum necessitatis tacitè *excepit* in institutione Baptismi; dum in antitheti (*qui verò non crediderit*) Baptismi mentionem omisit.

LXI. 6. Quia non desunt *exempla* ejusmodi *dispensationis* extraordinariæ, ut *Masculorum*, qui in deserto quadraginta annis non soliti fuerunt circumcidi. Item *Latronis* in cruce, nec non *Catechu-*

menu-

menorum, qui antequàm baptizati, à Tyrannis ad ſupplicium fuerunt abrepti. *Actor. 13, 18. Iohan. 5, 5. Luc. 23, 43.*

LXII. Quæ omnia abundè conteſtantur, de ſalute infantium non baptizatorum minimè dubitandum; ſed firmiſſimè credendum, eos, ſingulari quadam divinæ miſericordiæ diſpenſatione ſalvari.

LXIII. De qua diſpenſatione huc repetantur Teſtimonia Patrum. ut: *Auguſtin. Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22.*

Invenio id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere etiam fidem converſionemq; cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt &c. Quantum itaq; valeat etiam ſine viſibili Sacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus, corde creditur ad juſticiam, ore autem confeßio fit ad ſalutem, in illo latrone declaratum eſt: ſed tunc impletur viſibiliter, cum myſterium Baptiſmi non contemptus religionis: ſed articulus neceſſitatis excludit.

Bernhard. Epiſt. 77.

Voluntas pro facto imputatur, ubi factum excludit neceſſitas.

LXIV. Arq; hæc iam ſunt vividæ conſolationis, ex fontibus Iſraëlis, rivuli, quibus mœſtiſſimorum parentum, in ejusmodi calamitatum domeſticarum æſtu, corda ſuaviter irriganda.

LXV. Aperit eoidem Thaumaſiander Lutherus, in peculiari ſcripto, hunc in uſum adornato, ſubtitulo,

Ein ſchöner herrlicher Troſt / für fromme Gottſelige Frawen / denen es vnrichtig in Kindesnöhten gangen iſt / Alſo / das entweder das Kind in der Geburt geſtorben / oder Todt von jhnen kommen iſt. Tom. VIII. Jen. fol. 46.

PROBLEMA X.

An corpuſcula infantium non baptizatorum, abſq; uſitatis funerum ceremonijs, in obſcuro Cemiterij loco, ſepelienda?

LXVI. Ενὸς ἀτόπυ δοθέντος πάλλα συμβαίνει inquit Philoſophus lib. 1. Φυς ακροασ. c. 2. 1. Conſuetudinis Papiſtica Romanenſes.

LXVII. Verum id eſſe cùm in alijs: tum & in hac, de ſtatu infantium non-baptizatorum, quæſtione docent ac comprobant

LXIIX. Eos omnes perire communis ipſorum omnium eſt ſententia.

LXIX. Quid inde? Ex abſurdo antecedente, perquam abſurdum conſequens.

LXX. Quia enim infantulis, ante Baptiſma acceptum, extinctis, negant ſalutem: honeſtam etiam ſepulturam ijsdem negare aſſolent.

LXXI. Deportant eos, ad locum ſepulturæ, abſq; uſitatis funerum ceremonijs; interdum etiam clam ſub crepuſculo.

LXXII. Deportatos non in Cæmiterij area: ſed in obſcuro quodam angulo in terram defodiunt.

LXXIII. Quod poſterius etiam alicubi, in Eccleſijs Lutheranæ religioni addictis, conſuetudine è Papatu reſiduâ, adhuc hodie receptum eſt.

II. *Ejusdem ἀναιρέσεως.*

LXXIV. Sed ob id ipſum, quòd conſuetudo hæc, ex Papatu, reſidua, meritò abroganda, præſertim cum in promptu rationes non exigui ponderis & momenti.

LXXV. *Primò* enim oritur ex falſo principio, de æterno infantulorum non-baptizatorum interitu.

LXXVI. *Secundò* ſuperſtitio eſt, quòd Romanenſes Cæmiteria aqua luſtrali, & alijs quas adhibere conſueverunt, ceremonijs, conſecrari, corporibus autem infantium non baptizatorum profanari ſomniant.

LXXVII. *Tertiò* hac abrogatione præcavendum, ne videamur κακοήθεις illo Papiſtico, errores & ſuperſtitiones Papiſtarum ſtabilire velle.

LXXIIIX. *Quartò* ne anſa præbeatur parentibus de ſalute filiolorum vel dubitandi, vel ſibiipſis funeſtis cogitationibus mœrorem augendi.

LXXIX. Proindè infantulos non baptizatos æquè ut baptizatos ſolenniter uſitatis funerum ceremonijs, in area Cæmiterij, in ſpe beatæ ad vitam æternam reſurrectionis, ſepeliri decet, & dici ex *Actis cap.* 10;

Quæ Deus purificavit: tu communia ne dixeris.

DISPU-

DISPUTATIO ἐπεισαγματικὴ
καὶ ἐλεγκτικὴ
DE
QUINq; SACRAMENTIS PAPISTARUM Spurijs,
CONFIRMATIONE
POENITENTIA
EXTREMA UNCTIONE
ORDINE
MATRIMONIO

RESPONDENTE
M. THOBIA FABRICIO
Nördlingensi

Ad diem 28. Septemb. horis locoq; consuetis.

PROPOSITIO I.

QUòd Papa Romanus verè sit Antichristus (a) ille *sedens in templo Dei, ostentans seipsum esse Deum*, cum ex compluribus alijs γνωρίσμασι jubare clarissimo enitescit: tum vel maximè è loco de Sacramentis. *Caussa* τῆς καθολικῆς

(a) 2. *Thess.* 2, 5.

II. Filius Dei *duo* tantùm in Novo Testamento instituit Sacramenta, *Baptismum & Cœnam* Sacram, quæ duobus illis Testamenti Veteris, *Circumcisioni & agno Paschali* ἀντίτυπα.

III. Quid Antichristus ille Romanus? nomen & omen masculè tuetur suum. Duobus enim Sacramentis à Christo institutis, ipse adhuc, quinq; alia adjungit, (ἐπιδιατάσσει *Gal.* c. 3. 15.) αὐτοκρατορίᾳ sua Antichristiana.

IV. Quid? Divinis ea institutis æquat; quid? quædam eorum in sublimiorem dignitatis gradum extollit.

Sess. VII. Concil. Trid. Can. I. & III.

πρόθεσις. V. Quod impiissimum Antichristi τόλμημα ne planè inexactum dimittatur, hac occasione non incommoda, de *V. illis Papistarum Sacramentis νοθευομένοις & spuriis ἐλεγκτικὴν* dissertationem, *ἐπεισαγωγικῶς* quasi, hic attexere juvat.

διάταξις. VI. Discurremus igitur ordine per singula, eò tela directuri nostra unicè, quod *nullum* eorum *Sacramentum verè ac propriè* sic dictum appellari mereatur.

VII. Refutaturi item, quæ Antichristi primipilaris πρόμαχος *Bellarminus*, pro defensione sui istius Numinis Capitolini, è *Scriptura* hinc inde corradit, & tanquam θρύμματα ῥάχους ἀγνάφου assuit: *Matth. 9. 16.*

περπερασκὴ per Syllogismum generalem. VIII. Quam ad rem ut viam nobis περπερασκολλογικῶς paremus, hunc utiq; Syllogismum generalem præmittimus:

Omnibus Sacramentis verè ac propriè sic dictis in Novo Testamento: omnia eorum requisita essentialia & συστατικὰ convenire oportet.

Atqui quinq; Sacramentis Papistarum spuriis non conveniunt omnia Sacramentorum requisita essentialia & συστατικά. Ergo &c.

IX. *Major* suâ constat firmitudine, adeoq; nulla indiget *probatione*: sed *declaratione* duntaxat, instituenda κατ' ἐπαρίθμησιν requisitorum essentialium cujusq; Sacramenti γνησίου Novi Testamenti, cujusmodi citra controversiam, Baptismus & Cœna Domini.

X. Horum à *B. Chemnitio* plura recensentur; quæ tamen non inscite ad *tria* maximè principalia redigi ac reduci queunt.

in elencho Can. I. Sess. VII. Exam. Concil. Trident.

XI. Primum est Mandatum & institutio Dei, qua *elementum Corporale* & materiale expressum, certoq; ritu tractari jussum.

XII. 2. *Verbum Ordinationis*, quo cum Elementum illud copulatum singulis exhibendum.

XIII. 3. *Verbum promissionis* de gratia Dei & remissione peccatorum, signo Sacramenti, ordinatione divina, annexæ singulisq; fide utentibus applicandæ.

XIV. *Minorem ἐπεκτικῶς* astruemus, facto ad singula illa Sacramenta, eo, quo collocari solent ordine, transitu.

I. DE CONFIRMATIONE.

XV. Sacramentum Confirmationis hoc pacto definitur in *Catechismo Catholicorum Canisii:*

Est Baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum Chrisma, & verba Sacrosancta confertur gratia & robur Spiritûs additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum. f. 18.

XVI. Quòd autem è numero Sacramentorum meritò auferendum: quo nomine (b) Bellarminus in Hæreticos (Lutheranos) gravissimè invehitur, *partim* requisitorum ἀφαιρέσει: *partim* absurdorum quorundam θέσει, evidentissimè demonstrari potest ac solet.

I. *Quod non sit Sacramentum.*

(b) in lib. de Sacram. Conf. C. 1.

XVII. Inter *requisita primò* occurrit mandatum Dei, quo elementum expressè comprehensum.

I. ἀφαίρεσις *requisitorum.*

XIIX. In Confirmationis quidem ritu adhibetur Chrisma, sed absq; mandato, absq; institutione Dei.

XIX. *Secundò* requiritur Verbum Ordinationis cum elemento copulatum.

I. 2.

XX. Episcopus exercens actũ confirmationis recitat hæc verba:

Signo te Signo te Crucis, & Confirmo te Chrismate Salutis, in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, ut replearis eodem Spiritu sancto & habeas vitam æternam.

XXI. Sed hæc verba *pleraq;* non sunt ἔνσεφα: *nullum* insuper eorum, cum elemento Chrismatis, ordinatione divinâ, copulatum.

XXII. *Tertiò* caret Sacramentum istud ψιλὸδώνομον etiam promissione gratiæ & remissionis peccatorum, quæ & ipsa essentiale Sacramentorum Novi Testamenti requisitum.

XXIII. Quanquam enim, in administratione hujus ritus, Episcopus meminit salutis, Spiritus sancti, vitæ æternæ: nulla tamen in toto Codice Biblico extat promissio, quòd beneficia hæc Chrismâti illi vel impositioni manuum annexa, singulisq; fidelutentibus applicanda.

XXIV. Θέσιν absurdorum hoc complectimur Syllogismo.

II. Θέσις absurdorum

Quicquid sub anathematis fulmine credendum & tenendum præcipitur.

licet

licet penitus ἄγραφον. & insuper cum profanatione & extenuatione nominis Sacrosanctæ Trinitatis Conjunctum, id utiq; fœtidum est, impijs absurditatibus, & absurdis impietatibus.

Atqui tale est Sacramentum Confirmationis Papisticum. Ergo.

1. XXV. Depromenda & monstranda sunt *tria* absurditatum genera, quorum *primum, anathematis fulmen in eos,* qui è Babylone Romana, hortatu (c) Angeli κεφαλοκήρυκος egressi, hoc crepitu ac strepitu vibratum :

In Concil. Trid. Sess VII. Can. I. de Confirm.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum ociosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem, coram Ecclesia, exponebant, anathema sit.

(c) *Apoc. c 18. 2.*

2. XXVI. *Alterum est profanatio nominis Sacrosanctæ Trinitatis,* quæ fit, dum illud conjungitur cum Chrismate, *humana traditione, absq; Christi institutione,* imò contra institutionem Christi, qua nomen illud πανάγιον, non *Chrismati in Confirmationis ritu : Sed cum aqua in Baptismi actu, conjungendum præcepit.*

3. XXVII. *Tertium* est *Baptismi extenuatio,* qui inde provenit, quòd Confirmatio Baptismo non tantùm confertur : sed prætertur, quo ad efficaciam, sicut Bellarminus non obscurè innuit.

Lib. de Conf. Sacram. c. 11.

Duplex est Sacramenti hujus effectus. Unus, quod gratiam confert gratum facientem, & quidem majorem, quam ipse Baptismus, in ordine ad roborandum animam contra Diaboli impetum.

XXIIX. Eodem tendit, quòd non dubitat ad confirmationem transferre isthæc *Dionysij* illius *Areopagitæ* commentitij apophthegmata.

Hierarch. c. 2. part. 2.

Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt, ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat.

& part. 3. *Perficiens illa unctio facit perfectum*

& cap. 4. part. 3. *Sed & ipsis, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritus sancti consummans unguenti inunctio elargitur.*

11. *Refutatio eorum, quæ Bellarminus è Scriptura affert.*

XXIX. Sed videamus quæ Iesuita, è *Scriptura* dogmatis istius sui firmamenta afferat.

20. Sen-

XXX. Sentit miſer ſuas copias in anguſtias perquam anguſtas coactas eſſe; ideo pauciſſimis ſe expedit, audens probare, Confirmationem habere: 1. *Promiſſionem gratiæ*, 2. *Signum viſibile cum verbo*. 3. *mandatum*.

XXXI. Promiſſionis vicem ſuſtinere cenſet, dicta illa Salvatoris, quibus diſcipulis promiſit Spiritum ſanctum.

Ioh. 14, 16. 26. c. 15, 26. 27. c. 16, 8. Luc. c. 24, 49. Act. 1, 8.

XXXII. Sed nugas vendit & ϖ̃ϑαλογισλῷ τῷ ϖ̃ϑᾲ τὸ πῆ ἢ ἁ-πλῶς ludit: *Non* enim requiritur *ſimpliciter* promiſſio gratiæ: ſed "
talis quæ viſibili ſigno Sacramenti ordinatione divina annexa, & "
non aliquibus ſaltem: Sed omnibus & ſingulis fide Sacramento "
utentibus applicanda.

XXXIII. Tales verò nequaquam ſunt promiſſiones illæ Salvatoris; *Diſcipulos* enim Chriſti, qui die Pentecoſtes Spiritus ſancti Chariſmate induti, peculiariter ſpectant.

XXXIV. Nec ulla in illis chriſmatis vel impoſitionis manuum fit mentio.

XXXV. Impoſitionem manuum habet pro ſigno vel elemento viſibili, confugiens ad illud Act. 8.

Tunc imponebant manum ſuper illos & accipiebant Spiritum ſanctum.

XXXVI. Sed ex falſa hypotheſi oritur fallacia, ſiquidem non quodvis ſignum viſibile ad conſtitutionem Sacramenti requiritur: ſed *Elementum materiale & Corporale, quod verbo Ordinationis & mandati à Chriſto comprehenſum.*

XXXVII. Quis verò tam iners & bliteus, qui impoſitionem manuum, ritum in primitiva Eccleſia ἀδιάφορον, tale elementum eſſe dixerit?

XXXVIII. Sufficiant hæc pro re nata de *Confirmatione*, *primò* Papiſtarum Sacramentulo ſpurio & fictitio: proximum eſt, ut paucis etiam diſſeramus de *Pœnitentia*, Sacramento iſtius farinæ ſecundo.

DE POENITENTIA.

XXXIX. Exercitium Chriſtianiſmi noſtri utiliſſimum, & ſummoperè neceſſarium, eſt pœnitentia, ſecundum illa trita Auguſtini de vera & falſa pœnit. c. 8.

Aſſiduè peccantibus, aſſiduè neceſſaria eſt pœnitentia.

In hoc seculo quam diu vivimus: pœnitentiam agere debemus.

XL. Atenimverò illam Sacramentum esse verè ac propriè, sic dictum, quale Baptismus & Cœna Domnii, ἀποτόμως negamus, nihil omnino curantes brutum & crudum istud Concilij Tridentini fulmen:

Sessione IV. sub Julio III. Can. 1. de Pœnit.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia, pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

Probatio quòd Pœnitentia non sit Sacramentum.

XLI. Canonem hunc Antichristianum conductitius ille aulæ Romanæ Rabula Bellarminus summis viribus propugnare nititur. *Lib. 1. de Pœnit. c. 8. 9. 10. 11.*

XLII. At verò non esse pœnitentiam Sacramentum verè ac propriè sic dictum, ex eo iterum irrefragabiliter probari potest; quod illi requisita Sacramenti, non ita, competunt; quemadmodum Baptismo & Cœnæ Domini, ex quorum naturâ naturam Sacramentorum rectè investigari, re & facto demonstrat. *Bellarminus lib. 1. de Pœnit. c. 11.*

1. XLIII. Ac *primò* quidem externum elementum, idq; visibile materiale & corporale, cujusmodi in Baptismo aqua; in Eucharistia panis & vinum, nullum planè datur in pœnitentia; nisi quis manus impositionem, ceremoniam in actu absolutionis adhubere solitam, elementum vocare voluerit.

LXIV. Quod, quàm absurdum & monstrosum; vel indè apparet, quòd ceremonia hæc actio: illud verò substantia.

2. XLV. *Secundò* nullibi in Scriptura Verbum Ordinationis extat, quod Christus cum externo & visibili elemento copulato Sacramentum exhiberi instituerit.

XLVI. Nam etsi Ministri Ecclesiæ jussi omnibus verè pœnitentibus annunciare remissionem peccatorum: hæc tamen annunciatio non est annexa ulli elemento visibili; sicut nec promissio, id quod *tertium*, quod ad *σύστασιν* cujusq; Sacramenti requiritur.

3. *Refutatio rationum Bellarmini.*

XLVII. Sed trànseundum nobis est ad argumenta Jesuitica, quibus probare nititur. Pœnitentiam esse Sacramentũ *propriè* sic dictũ.

lib. 1. de Sacram. Pœnitent. c. 10.

48. Hic

XLIIX. Hic verò Jesuita τῶν ἁμφῶν arripit istud Christi Johan. c. 20.

Quorum remiseritis peccata: remittuntur eis, & quorum retinueritis: retenta sunt.

XLIX. Quid indè? *Duo* hinc colligi posse opinatur, Sacramenti propriè sic dicti requisita, verè συσατικά, quorum *unum*, ritus externus sive symbolum divinitus institutum; *alterum*, promissio gratiæ justificantis illi ritui vel symbolo annexa.

L. Sed utrobiq; sophisticatur & impingit turpissimè.

LI. *Symbolum* enim quod attinet: Sophisma est ὡς ἀ τὸ ἐν δέχῃ quòd ritus externus & Symbolon Sacramentale ὑλικὸν, σωμάνυμα & ἰσοδυναμῦντα.

LII. Sophisticum præterea est, quòd Jesuita petitionem absolutionis à peccatore factam, habet pro Symbolo materiali, quod si Verbum Sacerdotis: *Ego absolvo te, &c.* accesserit: Pœnitentia fiat Sacramentum.

LIII. *Primò* enim ritus ille petendi remissionem peccatorum non est elementum materiale & corporale, in prædicamento substantiæ: cujusmodi aqua, panis & vinum, sed actio tantùm, non tàm visûs quam auditus sensui exposita, secùs ac Baptismi & Eucharistiæ symbola.

LIV. *Deindè*, quis dixerit in loco Johannis à Jesuita allegato, petitionem remissionis peccatorum constitui Symbolon Sacramentale?

LV. Potestatem remittendi peccata discipulis anteà (*f*) datam denuò inibi confirmare Dominus voluit: Sacramentum instituere noluit.

(f) *Matt. 16, 19 & 18, 18.*

LVI. Aliàs elementum visibile, certò ritu tractandum, verbo mandati expressisset.

LVII. II. *Promissionem gratiæ* quod spectat: talis quidem hîc habetur, singulisq; credentibus, per absolutionis ritum, applicatur: quo potissimùm etiam respectu is, generali & latiore vocis significatione, Sacramentum dici potest, non renuente (*g*) *Apologia Augustanæ Confessionis*, neq; *Luthero* neq; *Philippo* in locis à Jesuita allegatis.

(g) *Lib. 1. de pœnit. c. 9.*

LIIX. Quòd autem promissio gratiæ annexa sit visibili Elemento à Christo nominatim pœnitentiæ destinato: id neq; hic neque alibi, in Scriptura, habetur.

LV. Relinquitur igitur, quod & hoc Sacramentum nothum & adulterinum.

DE EXTREMA UNCTIONE.

LX. Istud Sacramentum non-Sacramentū definitur à Pontificijs.

Sacramentum quo ægroti, per oleum sacrum & verba Christi in magnis morbis molesti relevantur, ut felicius ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Catech. Canis. fol. 20.

LXI. Quòd autem nec hoc nomen omenq; Sacramenti propriè sic dicti ullo tueatur modo: itidem ostendunt γνωρίσματα Sacramenti essentialia.

δεῖξις quam Extrema Vnctio non sit Sacramenta.

LXII. Horum enim nullum Unctioni isti competit.

LXIII. Non *primum*, quia chrisma illud nullo Christi mandato eum in usum est destinatum.

LXIV. Quod enim ex *Marc. 6, 12.* vulgò afferri solet, planè est ἀπερόδιόνυσον, adeò, ut Jesuita ipse, illud fateri, inque Lutheri sententiam concedere, evidentiâ rei coactus fuerit.

LXV. Quid? rationes etiam proponit, quibus probat, non posse locum Marci de extrema unctione intelligi.

Libr. de Extrema Vnctione cap. 2.

LXVI. Non *secundum*. Ubi enim hic Verbum Ordinationis, cum oleo, in Unctionis actu, conjungendum? In ἐντολία.

LXVII. *Non tertium;* quia nullam uspiam Christus edidit promissionem, de remissione peccatorum, unctioni illi superstitiosæ annexam.

LXIIX. Imò ne gry quidem, in universo Codice Biblico, de blasphemo effectu illius κακοζηλίας, quasi (ut (*h*) *Iesuita* insanit) *abstergat reliquias peccatorum*, reperire licet.

(h) *lib. de Extr. unct. cap. 8.*

Responsio ad Rationem Iesuitæ.

LXIX. Sed astat Antagonista cum gladio stricto ex Epistola Jacobi *cap. 5.* *Infirmatur quis in vobis, &c.*

LXX. Strictus quidem est gladius: sed planè obtusus; id quod faci-

facilè animadverteris, si ad *duo* saltem *effecta* inibi designata, aciem oculorum atq; animi direxeris.

LXXI. *Vnum* concernit *corpus*, estq; restitutio sanitatis, quæ adscribitur non oleo simpliciter: sed oleo, vel, ut alij per Synecdochen speciei, explicant, usui medicamentorum; cum pijs precibus conjungendo.

LXXII. Pontificij autem suos non hunc ob finem primariò ungunt: sed eos maximè, *de quorum morte timor*, Concilij Tridentini decreto ita jussi. *De extr. unct. cap. 5.*

LXXIII. *Alterum* spectat *animam*, estq; remissio peccatorum, quæ certè *non olei inunctioni*: sed *fidei orationi* à Jacobo directè & disertè tribuitur:

Et Obsecratio Fidei *salvum reddet laborantem, & eriget eum* Dominus, *& si in peccatis fuerit: remittentur ei.*

LXXIV. Liquet proinde iterum, quòd extrema unctio nullo pacto Sacramentum. Ideoq; crudum & brutum Conciliabuli Tridentini fulmen:

Can. I. De extrema unctione.

Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino *nostro institutum, & à beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

DE ORDINE.

LXXV. Ordinis Sacramentum falsò sic dictum, describitur à Pontificijs, quòd sit Sacramentum, quo sacerdotibus alijsq; ministris Ecclesiæ potestas confertur ad Ecclesiastica munia ritè deq; obeunda. *Catech. Canis. fol. 21.*

LXXVI. Numerantur autem *ordines septem*, eosq; omnes exemplo Christi comprobatos esse frivolè ac frigidè fabulantur.

LXXVII. *1. Primi dicitur esse Ostarius. 2. Lector. 3. Exorcista. 4. Acoluthus. 5. Subdiaconus. 6. Diaconus. 7. Sacerdos, de quibus & singulorum ordinatione* Dist. 33.

LXXIIX. Inter hos IV. priores *Minores*: posteriores autem tres *Majores* appellantur, ita tamen, ut sextus major quinto, septimus major sexto.

Quod ordo nō sit Sacramentū, demonstratur.

LXXIX. Sed & hic fœtus Meretricis Babyloniæ exanimis est. Exutus quippe & destitutus pariter tribus illis requisitis essentialibus, quibus natura cujusq; Sacramenti ἰδίως sic dicti continetur.

XXC. 1. Destituitur *elemento corporali ac substantiali* mandato Christi certo ritu tractari jusso.

XXCI. 2. Destituitur verbo ordinationis & institutionis Christi.

XXCII. Imò pleriq; illorum ordinum Christo totiq; Apostolorum choro planè sunt incogniti, præsertim Paulo, de Ordinibus ministrorum Ecclesiæ πρὸς καταρτισμὸν ἁγίων Divinitus institutis ex professo docenti: de Ordinibus autem illis Papisticis prorsus tacenti. *Eph. 4, 11. 12.*

XXCIII. 3. Destituitur promissione de remissione peccatorum visibili symbolo annexa.

XXCIV. Quæ omnia tantæ evidentiæ sunt & potentiæ, ut Romanenses ipsi de hoc themate dubitanter admodum scripserint; sicut videre est apud *Bellarminum.*

In libro de Sacram Ord. cap. 5. §. Primum Ordinatio Episcop.
Ibidem cap. 6. mox ab initio.
Ibidem cap. 7. §. primo.

Ἔλεγχος oppositus Iesuitæ.

XXCV. Interim tamen adeò impudens est Jesuita, ut è Scriptura conetur demonstrare, Ordinem esse Sacramentum propriè sic dictum, assuens *1. externum Symbolon. 2. Promissionem gratiæ, 3. Mandatum & institutionem.*

Lib. de Sacram. Ord. cap. 2.

XXCVI. *Externum Symbolon* constituit χειροθεσίαν ex Act. *cap. 6, v. 6. cap. 13, v. 3*

XXCVII. Resp. 1. Manuum impositio fuit ceremonia tantùm: non elementum *naturale & substantiale.* χειροτονία planè diversum fuit à χειροθεσία, *Actor. 14, v. 23.*

XXCIIX. 2. Fuit item merum ἀδιάφορον, sine Christi mandato liberè adhiberi solitum ab Apostolis, quemadmodum hodiè in nostris etiam Ecclesijs, absq; ulla necessitatis opinione fieri consuevit.

XXCIX. *Promissionem gratiæ* exprimere laborat ex hisce Paulinis 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, &c.*

Et 2. Tim. 1, *Admoneo te, ut resuscites gratiam, &c.*

XC. Resp. Sed ludit sycophanta ὁμωνυμίᾳ vocabuli quod non de gratia remissionis peccatorum: Sed de gratiâ Ecclesiasticæ functionis intelligendum, id quod è contextu clarissimum.

XCI. *Ad Mandatum & institutionum* isthæc refert:

Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam.*

Act. 20. *In quo vos* Spiritus sanctus *posuit Episcopos.*

Eph. 4. *Ipse dedit quidem alios Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.*

XCII. Resp. 1. Nullibi hic verbo mandati & institutionis includitur elementum certò ritu tractandum.

XCIII. 2 Primum est mandatum speciale: in secundo & tertio concionatur Apostolus de autore ministerij; quòd autem istud ut Sacramentum à Christo institutum: de eo neq; hic neque alibi sermocinatur.

XCIV. E quibus omnibus patet, quod nec ordo sit Sacramentum vocabulo in propria ac stricta significatione accepto.

XCV. Posse autem in latiore vocis significatu ministerium verbi & Sacramentorum appellari Sacramentum, haud gravatim se largituram profitetur Apologia August. Confess. ad *artic. 13.*

DE CONJUGIO.

XCVI. Istud etiam pro Sacramento propriè sic dicto habendum esse isthoc Canone fulminatore imperant Patres Concil. Trident.

De Matrimonio Can. I.

Si quis dixerit, matrimonium non esse verè ac propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino *institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectũ, neq; gratiã conferre anathema sit.*

XCVII. Sed hic iterum defit, 1. Elementum, quod adeò verum, ut Jesuita ipse tale quid indigitare vereatur. ἀΦαίρεσις *Requisitorum Sacramenti.*

XCXII. 2. Defit etiam Verbum ordinationis, quod in actu copulationis, ex institutione Christi, cum elemento conjungendũ.

XCIX. 3. Defit promissio gratiæ justificantis. Non enim propter justificationem institutum est: sed propter sobolis generationem, sicut habet prima primæ institutionis lex, in natura adhuc integra ante lapsum.

Genes. cap. 1.

κατασκευή eorum, quæ à Iesuita consarcinantur.

C. Sed audet Jesuita *tria* astruere Sacris è literis: ne istud ejus Sacramentum funditùs destruatur.

Lib. 1. de Matrim. c. 2.

CI. *Primum* est: Matrimonium à Deo esse institutum, id quod nemo negat: quod autem institutum, ut Sacramentum, id tota negat Christi Ecclesia.

CII. *Secundum* est; Illud esse Symbolon rei sacræ, & mysterium quoddam; quod item dextrè intellectum, de conjugio spirituali inter *Christum Sponsum*, & Ecclesiam *Sponsam*, non negatur.

CIII. Ita enim interpretatur Apostolus generale Mysterij nomen, quo quævis res secreta, significatur referens non id ad ipsum per se Conjugium; sed ad Conjugij antitypum: *Loquor*, inquiens, *de* Christo *& Ecclesia.* *Eph. 5.*

CIV. *Tertium* est; Conjugium habere gratiam justificantem, idq; tribus Scripturæ locis probare satagit.

CV. Resp. ad *primum* quod repetit ex *Eph. c. 5, 32.* Matrimonium non habet neq; confert spiritualem cum Christo unionem: sed tantum significat.

CVI. Ad *2. & 3.* ex *1. Tim. 2, 15. 1. Cor. 7, 8.* dicimus: Conjugium per se non conferre dona spiritualia: sed pijs precibus alijsq; medijs à Deo impetrari.

ἐπείσαγμα.

CVII. Legatur de Spurijs Papistarum Sacramentis Lutherus:

Tom. II. Ien. Lat. in libr. de captivitate Babylonica f. 259.

Soli Deo omnis Gloria.

FINIS.

TRES DECADES

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM

partim θεωρητικῶν partim πρακτικῶν,

DE SACRAMENTO COENAE,

QUINTA Catecheseos Lutheranæ parte,
Novem Disputationibus explicatæ ac
ventilatæ,

In Electorali ad Albim Academiâ,

Autore ac Præside

JOHANNE FORSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Epiphanius in Ancorato

Qui non credit CHRISTUM esse Veracem ita sicut dixit (Hoc est corpus meum, &c.)
is excidit gratiâ.

VVITEBERGÆ,

TYPIS IOHANNIS GORMANNI.

papistae sunt contra quos nr Calvinianus p. 4.

VIRIS

Amplißimis, pietate, virtute, doctrinâ, auctoritate rerumq; usu præstantißimis, ornatißimisq;

Dn. CONSULIBUS CETERISQUE honoratißimis Senatorij

Ordinis, in Inclita Veteri Magdæburga, Patribus Conscriptis, &c:

Dominis ac Fautoribus meis maximè plurimumq; honorandis,

Gratiam ac benedictionem DEI Opt. Max.

in administratione Reipubl. florentißimæ,

devotè P.

DE fine urbium conditarum. P. C. variè, ut, in hoc præsertim seculo, valdè ἐριστικῶ, fieri solet, à varijs disputatur. Sed si ducem lucemq; Scripturam sequamur: ideò potißimùm Urbes extructas fuisse intelligemus, ut sint sedes Ecclesiæ, veræq; & sinceræ de Deo doctrinæ seminaria. Sic enim ἱερῳψάλτης Regius Psalmo 122. de urbe Hierosolymorum, quæ ut mater & regina: ita & reliquarum omnium orbis Christiani Urbium Forma Normaq; non abs re censeri potest ac debet:

Hierusalem ædificatur ut sit civitas, in qua conveniatur. Vt illuc adscendant tribus Domini ad testimonium Israel, & ad confitendum nomini Domini.

Et talis sanè olim fuit Hierosolyma, metropolis totius Orientis à Plinio nuncupata: in Scriptura autem Locus, ubi *Ignis & Caminus Domini Esaiæ cap. 31, 9. itemq; civitas veritatis, Mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Zach. c. 8, 3.*

Quæ nomina facile equidem ac meritò facere possum tralatitia, & non minus verè quàm scitè accommodare, ad inclitam

Vestram

Vestram Magdæburgam; quam misericors & immortalis Deus, præ plurimis alijs, non paucis bonis donisque eximijs ac præclaris, locupletissimè dotavit, auxit, nobilitavit. Etenim, si *Antiquitatem* investiges: sunt quidem nonnulli, qui originem ejus ad *Editham Othonis primi* conjugem referunt: verùm id *non* de prima Urbis *fundatione*: Sed *instauratione* saltem accipiendum esse, vel nomen Urbis evidenter arguit. Magdæburga enim salutatur inde, quod fæminarum Regina Venus, longè ante tempora Caroli Magni, Numinis instar, ubi devotè culta & divino honore affecta. Carolus autem Magnus, integrum ultra sesqui seculum, Othonem primum ætate antecessit.

Si porrò ad situs *commoditatem* oculorum atq; animi aciem converteris: Urbs utiq; vestra tàm oportuno posita est loco, ut mercimonijs, Albis præsertim beneficio, exercendis, aptissima, convenientissimaque. Unde effectum etiam, ut amplitudine, splendore, opibus ac divitijs eo usq; excreverit, ut, in superiori Saxonia, parem habeat nullam, ejusq; adeò metropolis jure optimo dici possit ac soleat.

Nihil commemoro de laudabili Reipubl. formâ, nihil de moribus & institutis Civium, nihil de rerum, quæ ad cultum victumq; corporis pertinent copiâ ibi largissimâ, nihil de cæteris Urbis ac Reipubl. vestræ ἀξιώμασι. Id verò tacitus præterire nec possum nec debeo, quod illorum omnium primum ac summum: Studium videlicet propagandi & conservandi puram & incorruptam Verbi cœlestis doctrinam, idq; tantum, quantum in pios Rerumpublicarum Gubernatores cadere potest maximum. Patefecit Magdæburga vestra *Regi Regum & Domino dominantium* Christo bipatentes portas, anno mox septimo, ab initio Reformationis magno spiritu, à magno illo Germanio Vate, Luthero susceptæ & perfectæ feliciter, anno inquam, à N. C. 1524. A quo tempore pretiosissimum istud purioris doctrinæ depositum tanta retinuit & defendit constantiâ, ut etiam vel hoc nomine præsentissima subire pericula nullo reformidârit modo. Sustinuit proscriptionem, obsidionem, oppugnationem & nescio quos præterea insultus & conatus hostiles: Sed ita sustinuit, ut singularem Dei curam & protectionem signis experta sit evidentissimis. Ita scilicet suo

Magdæburga exemplo abundè comprobavit & adhuc comprobat ampliſſimas Dei promiſſiones & privilegia Eccleſiæ tributa & conceſſa longè ſplendidiſſima:

Pſ. 34. Caſtra metatur Dominus in circuitu timentium eum & eripiet eos.

Pſ. 46. Deus in medio ejus; non commovebitur, adjuvabit eam Dominus manè

Zach. 2. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.

Atq; ita ſanè hodieq; eſt *Parthenopolis* verè *Kyriopolis*, Civitas Domini, de qua idem verè pronunciare licet, quod jam olim, de Urbe Hieroſolymitana, cecinit Vates Regius. Nam & in hac Urbe celeberrima quotidie convenitur ad audiendum teſtimonia Domini, & ad confitendum nomini ejus. Quæ ſanè confeſſio non ſolùm in celebratione nominis ac numinis Divini conſiſtit: verum etiam, in aſſertione veritatis agnitæ, contra omnes *Veritatis exules*, qua periphraſi, ab Optato Milevitano, hæretici indigitantur. Inter quos hodie triarij ſunt & primipili, partim *Ieſuitæ*, qui ſub ſignis Antichriſti Occidentalis ſtrenuè militant: partim *Zvvinglio-Calviniani*, qui ſub vexillo Antichriſti Orientalis, pro virili ſuâ merent. Ab utroque Veritatis Lutheranæ Hoſtium agmine alieniſſimos eſſe tum vos P. C. rum eos, qui Miniſterio Eccleſiaſtico apud vos addicti & in excubijs poſiti, notius eſt, quàm ut prolixâ demonſtratione indigeat. Quo nomine meritò animitus gaudent omnes verè Orthodoxi, & hi imprimis, qui fraternâ animorum conjunctione, in religione verè Lutheranâ, nihil prius habent, nihil antiquius, gnari & memores aureoli illius apophthegmatis Zachariæ C. VIII. VERITATEM *tantùm* & PACEM *diligite*: Non verò gaudent duntaxat: Sed Eccleſiæ etiam Magdæburgenſi florentiſſimæ ſummâ devotione gratulantur.

Cujus rei ut monumentum aliquod qualecunq; meâ ex parte extaret: viſum eſt Ampliſſ. & Præſt. V. haſce nuncupare Diſputationes, ex quinta parte Catecheſeos Lutheranæ, quæ eſt de *Cœna* Domini, quæq;, Symboli inſtar apertiſſimi, quo hodie Lutherani & Zwinglio-Calviniani invicem accuratiſſimè diſcerni poſſunt. Quod igitur reſtat: à vobis P. C. ea, quâ par eſt animi re-

verentiâ, peto & contendo, ut hoc affectus mei signum benignè interpretari, & favoris aurâ fovere dignemini.

Levidense istud est munusculum, (fateor) si cum amplitudine Dignitatis Vestræ conferatur: quia verò Veritas cælestis mihi contra Sacramentarios defenditur, & propugnatur, ex verbo Dei, quo nihil augustius, excellentius nihil: certò confido, vos pro insigni vestra tum in Deum pietate: tum pro ardente propagandi Lutheranam religionem Zelo, illud æqui boniq; consulturos, dum forsan κρεῖττον aliud majus insequatur.

Æternus & misericors Deus Ecclesiam & Rempublicam vestram ulterius, sub umbra alarum suarum protegat, & à cunctis hæreseωn & adversitatum procellis ac fluctibus incolumem præstet, propter nominis sui Sanctissimi gloriam seculis infinitis deprædicandam, Amen. Scribebam Witebergæ 13. Martij, Anno Epochæ Christianorum 1612.

V. Amplit. & Præst.

Observanter Colens

Johan. Försterus SS. Theol. Doct: & Profess. Ordin.

INDEX

INDEX

PROBLEMATUM THEOLOGICO-rum ex V. Lutheranæ Catecheseos

Parte, quæ est

DE SACRA COENA.

DECADIS PRIMÆ

Problemata.

I. *An controversia de Cœna Domini attingat articulum fidei.*

II. *Quodnam fundamentum, è quo de Controversia Cœnæ faciendum judicium.*

III. *An verba institutionis, κατὰ τὸ ῥητὸν, sint intelligenda; & num Lutherus in Catechesi, & alij utentes particulis in sub, cum, à τῷ ῥητῷ discedant.*

IV. *An & quale sit discrimen inter has enunciationes Hoc est Corpus meum & Panis est Corpus Christi.*

V. *An ritè ac scitè factum à Luthero, quod in definitione Sacramenti Cœnæ, Generis loco posuit: τὸ Verum corpus & Sanguis Christi.*

VI. *An verum & essentiale Christi corpus ac sanguis in usu Cœnæ, in bisce terris, ore edendo & bibendo, verè ac realiter, ab omnibus pariter communicantibus, accipiatur.*

VII. *An panis & vinum Eucharisticum, per transsubstantiationem, uti loquuntur, in essentiam ipsius corporis ac sanguinis Dominici, convertantur.*

VIII. *An calix etiam, atq; adeò Sacramentum, sub utraq; specie ut loquuntur, specie, integrum, Laicis etiam exhibendum.*

IX. *An panis in Sacra Synaxi cum alio elemento permutari licitè possit, & num ἄζυμος vel fermentatus usurpari debeat.*

10. An

X. *An necessarium sit, ut minister verbi, in ipso Cœnæ actu, panem integrum, solenniter in particulas confringat, & quidem eo fine, ut per hanc panis fractionem corporis Christi fractio vel crucifixio repræsentetur.*

DECADIS SECUNDÆ
Problemata.

I. *An promiscuè quivis ad Cœnam admittendi, absq; ullâ prævia institutione, & exploratione qualis in nostris Ecclesiis præmitti solet in confessione privata.*

II. *Num illi de quorum dissensu in doctrinâ publicè constat, vel de consensu dubitatur, admittendi sint ad usum Sacræ Synaxeos.*

III. *An sacra Cœna etiam exhibenda infantibus ac pueris, antequam ad discretionis annos pervenerint.*

IV. *An ad Cœnam etiam admittendi sint Muti, ÿjǵ qui rationis impotes.*

V. *An forma Sacramenti Eucharistici consistat in analogia & σχέσει inter signum & signatum.*

VI. *Qualis sit modus præsentiæ Corporis ac Sanguinis Christi in Cœna.*

VII. *An manducatio Oralis & Sacramentalis se mutuò tollant.*

IIX. *An recitatio verborum Cœnæ, quàm vulgò consecrationẽ appellãt, sit necessaria, & quid in sacrâ hac actione præstet?*

IX. *Quid sit sentiendum de ceremonÿs, quæ circa administrationem & usurpationem cœnæ adhiberi solent. Ut sunt.* 1. *Usus altarium.* 2. *modus accipiendi panem & vinum benedictum.* 3. *Ornatus Sacerdotalis.* 4. *Vasa sacra, Patehnen/ Kelche/ & id genus alia.*

X. *Quo loco & tempore Cœna sit administranda & celebranda.*

DECA.

Problemata.

I. *An & cur Oralis manducatio ac bibitio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sit necessaria, & ad quid conducat.*

II. *An indè, quod Christus Cœnam se suam instituisse profitetur, in suam ἀνάμνησιν, absentiâ corporis & sanguinis ipsius evinci possit.*

III. *An responsio Lutheri in Catechesi ad hanc quæstionem: Qui potest illa corporalis manducatio tantas res efficere? loquatur, de substantia Cœnæ, vel de manducatione salutari, & quo sensu & respectu, hæc verba: Pro vobis datur & effundiatur in remissionem peccatorum, inibi dicantur principale caput in Sacramento Cœnæ.*

IV. *An & quomodo contemptores Sacramenti Cœnæ, ad ejus usum cogi possint ac debeant.*

V. *An sacrosancta Cœna ideò sit instituta, ut etiam sit sacrificium propitiatorium verè ac propriè sic dictum, adeoq; pro vivis ac mortuis pariter offerendum.*

VI. *An & quomodo Cœna Domini conferre dicatur remissionem peccatorum.*

VII. *Quinam propriè dicantur & sint Indigni, quidq; ipsi in sacra Eucharistia percipiant.*

VIII. *An Sacramentarij in rei veritate Cœnam Domini etiam habeant pro Symbolo ac nota discernente veram ac falsam Ecclesiam, hujusq; & illius membra, quoad externam professionem.*

IX. *An Lutherus plures de Cœna Domini foverit opiniones.*

X. *An certamen Eucharisticum tanti sit momenti, ut ob id ipsum Calvinianis deneganda fraternitas.*

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS PRIMAE
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. DANIELE HERMANNO
Wratislaviensi.

Ad diem 23. Novembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA

An Controversia de Cœna DOMINI attingat articulum fidei?

PROPOSITIO I.

ELatere CHRISTI *Sacramenta Ecclesiæ manârunt* ait (a) *Augustinus*, referens, *aquam* ad Baptismum (b) *lavacrum illud in Verbo*: *Sanguinem* verò ad Cænam DOMINI, & sanguinem illum, quem, ut loquamur cum *Chrysostomo*, *è poculo DOMINI bibimus*. μαπέβαος.

(a) *Tractat. 120. in Iohannem.* (b) *Eph. c. 5, 26.*

II. Baptismus Sacramentum *Initiationis*: Cœna verò *Confirmationis* usitatè nuncupatur.

III. *Illud* in Ecclesia hodiè constitutâ *infantulis* maximè: *Hoc* autem *Adultis* antea Baptizatis, ijsque solis, administrari solet ac debet.

IV. De utroque Megalander Lutherus, in illo Ecclesiarum ὀρθοδόξων Palladio, Catechesi inquam sua, brevitate quidem Laconicâ: Sed sinceritate verè Theologica tractavit.

V. Et de *Baptismo* quidem in *quarta*: De *Cœna* verò in *quinta* Catecheseως parte.

VI. Problemata ad *quartam* ejus partem pertinentia discussa ac ventilata sunt, in præcedentibus Παρεισβαῖς.

VII. Jam vertimus nos, CHRISTO duce & auspice CHRISTO, ad *quintam & ultimam* partem, quæ est de Cœna DOMINI, de eâ-

dem deinceps pariter quædam ad ſtatetam Scripturæ appenſuri Problemata.

ἀποδίωξις. VII. Quæ enim de Confeſſione & Abſolutione præmittuntur: ea nos non tàm cenſemus peculiarem Catecheſeως Lutheranæ partem συγκριτικὴν: quàm *potiùs* παραρρησευαστικὰ quædam, quæ cum doctrina de Euchariſtia commodè poſſint ac debeant conjungi.

IX. Proindè non ex re fore rati ſumus, ſi peculiare Problematum ſyſtema de illis concinnaremus.

X. Ea tamen, quæ ſcitu digna, ſecundæ horum Problematum Decadi, ὡς δυαδικῶς interſeruimus.

XI. Et hæc hactenus tanquam in veſtibulo. Jam ipſa noſtri hujus inſtituti penetralia ingredimur.

XII. Et hic in primo quaſi limine occurrit Problema iſtud, quod eſt de Controverſiæ Euchariſticæ majeſtate, & ὑπερβολῇ.

Negativa Sacramentariorum.

XIII. In *Negativam ſuperioribus annis* nonnullos è grege Dipnoſophiſtico abijſſe, teſtis eſt B. Chemnitius, hunc in modum ſcribens:

> *Et hæc prophana libido comminiſcendi quasvis, in teſtamento Filij Dei interpretationes, propoſito hoc quaſi privilegio impunitatis confirmatur, modò quis in aliis fidei articulis fundamentum retineat, non eſſe cum periculo fidei, vel diſcrimine ſalutis conjunctum, quomodo quisq; verba illa Cœnæ tractare, interpretari & intelligere voluerit, modò ſententiam, aliis quibusdam Scripturæ locis conſentaneam, concipiat: non aliter atq; olim Pelagius diſputavit, ad ſummam religionis nihil referre, quomodo quisque verba illa Scripturæ de peccato originis,* Rom. 5. Epheſ. 2. Pſal. 51. *intelligat & interpretetur.* Fol. 13. & 14. Fund. C. D.

XIV. Notat, ut videtur, fanaticos illos, de quibus ſuo tempore Rev. Pater Lutherus, in Confeſſione ſua minori:

> Vber dieſe / ſchweiffete vmbher noch ein vbriger Heiliger Geiſt/ (denn der Teuffel iſt Heilig/ vnd ein groſſer Geiſt) der ſagt alſo/ **Es ſey hier kein Artickel deß Glaubens.** Darumb ſolt man nicht darumb zancken/ ein jeder möchte hier gleuben was er wolt. Dieſer Heiliger Geiſt/ düncket mich ein Heiliger Geiſt ſein / welchen der Alte Heilige Geiſt Stenckfelt geheckt/ vnd außgebrütet hat.

Tom. VIII. Ien. f. 177.

XV. *Hodie* ejuſdem vanitatis ac profanitatis homines inter Zvvinglio-Calvinianos reperiri nullum planè eſt dubium.

XVI. In promptu ſunt eorum ſcripta. Videantur modò pagellæ, quæ aliquot ab hinc annis evulgatæ à Theologis Electoralis Palatinatus.

XVII. Ibi enim inter alia iſthæc expreſſiſſimè habentur:

Fol. mihi 40. 41.

Vnd bleibet alſo nichts mehr vbrig/ das zwiſchen vns vnnd D. Luthern ſtreitig were/als allein der Punct vom Heiligen Nachtmahl. Vnd iſt darzu derſelbige Punct nicht gantz ſtreitig/ſondern nur dz geringſte Stück darinnen iſt ſtreitig.

Et iterum plenius planiùsque f. 51. 52.

Geſetzet nun/ das wir mit vnſerer Erklärung jrreten: So betrifft doch ſolcher Jrrthumb nicht den Grund der Seligkeit: Denn die Seligkeit ſtehet nicht in dem leiblichen eſſen vnd trincken des Leibs vnd Bluts Chriſti: Sondern die Seligkeit ſtehet in dem Geiſtlichen eſſen vnd trincken des Leibs Chriſti/ wie D. Luther ſelbſt bekennet. Drumb wenn wir gleich von dem leiblichen eſſen vnd trincken des Leibs vnd Bluts Chriſti jrreten: Jedoch ſo ſtieſſen wir mit ſolchen Jrrthumb den Grund der Seligkeit nicht vmb.

Vnnd hat man alſo dieſes Puncten halben (nemlich was daß Heilige Nachtmahl belanget) keine gnuſame vnnd erhebliche Vrſache/ warumb man vns als Vnchriſten verdammen/ vnd mit ſolcher Verdammung die Hochnötige Vereinigung der Evangeliſchen Kirchen lenger hindern ſolte.

XVIII. Quid? nondum effluxit triennium, cum Calviniſta quidam Bremenſis *Lampadius* ſcriptum edidit, ſub titulo *Cenſura ubiquitatis*, in quo eandem Cramben hoc recoquit paragrapho:

Tantum verbalis, & facilè ſedatis animis componenda de Cœna DOMINI remanet controverſia,

fol. 28.

XIX. Nos à *Negativa* diſcedentes ad *Affirmativam* apertè pronunciamus, quòd controverſia de Cœna DOMINI attingat non exiguum; ſed eximium Fidei articulum. *Affirmativæ Lutheranorum.*

Syllogismus καθολικὸς.

XX. Utque unâ quasi manu, & sub uno oculorum ictu Assertionis nostræ rationes habeas singulas & universas: en tibi Syllogismum καθολικὸν ad hanc faciem adornatum:

Quæ in re versatur 1. Salus nostra. 2. autoritas institutionis 3. & denique periculum hæreseωs, *ea utiq; articulus fidei sit necessum est.*

Atqui talis est controversia de Cœna DOMINI, *quæ inter nos & Sacramentarios hodieq; agitatur.*

Ergo.

Assumptionis.

XXI. *Propositio* certa est & firma, neque ullâ indiget probatione: *Assumptio explicanda & probanda* est distinctè ac succinctè.

1. Explicatio.

XXII. *Explicationem* suppeditat status controversiæ, qui est non aliqua Cœnæ circumstantia: sed, de ipsa ejusdem substantia, de aliqua cùm non rectè sentiant Dipnosophistæ: sed quantum in se, eam penitus eversam velint, negando veram & essentialem corporis & sanguinis Dominici in Cœna præsentiam: quis non videt, quòd articulo illi uno ictu & conflictu animam elidant suam?

2. Probatio singulorum 3. Membrorum.

XXIII. *Probatio* ut plena sit, singula assumtionis membra numero *tria*, ea qua se invicem consequuntur serie, astruenda sunt.

1.

XXIV. Ac *primò* quidem quòd *Salus nostra in hac versetur controversiâ:* Oecumenicus Gentium testatur Apostolus; dum religiosè affirmat: eos qui non dijudicent corpus DOMINI in Eucharistia, id est, qui dubitent, an verum & essentiale CHRISTI corpus accipiant: eos sibi ipsis manducare judicium, & æternam condemnationem. *1. Corinth. c. 11.*

XXV. Atqui eò tendit ex Calvinianorum parte controversia de Cœna DOMINI, ut animi dubitent, imò planè negent, quòd verùm & essentiale CHRISTI corpus in Cœna verè adsit, & unà cum pane, instrumento oris corporeo, accipiatur.

XXVI. Quis ergo id, cum periculo æternæ salutis, junctum non dixerit?

2.

XXVII. *Prætereà autoritatem institutionis CHRISTI* quod attinet: & circa hanc utique ista de Eucharistia versatur controversia.

XXVIII. Nos enim eandem unicè propugnandam: Sacramentarij verò illam omnibus modis expugnandam sibi censent; sicut ut suo loco & tempore uberiùs & ulteriùs ostendetur.

XXIX. *Tandem ad hæreſeωs periculum* ſi te vertas: in procinctu hîc aſtant Patres Orthodoxi, qui eos, qui veram & eſſentialem corporis & ſanguinis CHRISTI, in Cœna παρουσίαν negant, hæreticis accenſere non dubitârunt.

XXX. Audiamus modò unum atque alterum eorum teſtimonium.

Ignatius.

In Epiſtol. ad Eccleſiam Smyrnenſem.

Euchariſtia eſt caro Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti; quæ pro peccatis Mundi paſſa eſt: Hoc qui negant: ſunt hæretici.

Ignatius

Epiphanius in Ancorato.

Et voluit per gratiam dicere, hoc meum eſt, hoc & hoc & nemo non fidem habet ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum verum, ſicut *dixit,* is excidit à gratia & ſalute.

Concluſio.

XXXI. Jam cùm in Controverſia Euchariſtica de ejusmodi corporis & ſanguinis CHRISTI παρουσία diſceptetur: Vel indè etiam liquidò apparet, quod ea non ſit futilis & inutilis λογομαχία: Sed gravis & ardua μυσπερομαχία, qua *non de modo rei, & circumſtantia:* ſed de ipſa re & ſubſtantia Cœnæ, contenditur.

πόλεμαι.

XXXI. Meritò proinde idem hodie objici poteſt Zvvinglio-Calvinianis, quod *Nazianzenus* olim Arianis:

πίστιν ἀναιροῦντες: ζήτησιν εἰσάγουσιν.

In orat. contra Arian:

PROBLEMA. II.

Quodnam fundamentum, è quo de Controverſia Cœnæ faciendum judicium.

Diſtinctio fundamentorum.

XXXII. *Duo* ſunt, in Controverſia Cœnæ, fundamentorum genera: *unum conſtitutionis* atque *confirmationis, alterum* verò *confutationis.*

XXXIV. *Illo* ὀρθοδοξία *conſtituitur,* quodque *velit* CHRISTVS corpore ac ſanguine ſuo eſſentialiter adeſſe in Cœna, *confirmatur.*

XXXV. *Hoc* ψευδοδοξία, quaſi *non poſſit* corpore & ſanguine ſuo ubique terrarum in Cœna præſto eſſe, *confutatur.*

XXXVI. Hujus *poſterioris* generis ſunt, *quatuor* illi Religionis Chriſtianæ articuli, quos Lutherus Sacramentarijs jam olim oppoſuit in *Confeß. Majore III. Tom Ien. Germ. f.* 457.

αἱρέσεις.

§. 35. XXXVII. Hic verò quæstio est de *prioris generis* fundamento, *constitutionis*, inquam & *Confirmationis*.

Sacramentariorum consuetudo.

XXXVIII. Idq; *Sacramentarij* non in propria sed in aliena sede quærunt, conantes nos abducere ad VI. *Caput Iohannis*, in quo de carne CHRISTI comedenda, & sanguine ejus bibendo prolixe & è professo disseratur.

XXXIX. Quòd autem Caput illud de Sacramentali manducatione, quæ Sacra in Cœna fieri consuevit, exponi nequeat, pluribus posset probari rationibus ex textu.

XL. Inprimis autem ex eo, quod spiritualis illa manducatio, de qua *Iohan. c. 6.* semper fiat ad salutem, teste *vers.* 54. Sacramentalis autem *non semper fiat ad salutem*; sed interdum etiam ad judicium, *1. Cor. 11, 29.*

XLI. Verum-enimverò obvertimus hîc saltem Sacramentarijs ejusdem erroris socios, qui caput illud de manducatione Sacramentali, quæ in Cœna fit, accipi posse, ipsi eunt inficias.

Calvinus super c. 6. Johan.

Perperam hic totus locus de Cœna accipitur, quæ nondum erat instituta.

Per Kinsium in Cathol. Reform. contr. 10. cap. 4. p. 222.

Caput Iohannis, sextum non debet intelligi de particulari illa manducatione & fruitione CHRISTI, *quæ fit etiam extra usum Cœnæ.*

Lutheranorũ doctrina.

XLII. Sed relicto VI. Johannis capite, in quo non de Sacramentali: sed spirituali carnis & sanguinis CHRISTI manducatione agitur: Conferimus nos rectâ, quod dicitur, viâ ad *verba institutionis* à quatuor testibus ἀξιοπίστοις summâ fidelitate annotatis.

Marc. 26, 26. & seq. Marc. c. 14, 22. & seq. Luc. c, 22, 19. & seq. Paul. 1. Cor. 11, 14.

XLIII. Hæc sunt, hæc, inquam, sunt fundamentum illud ἄμεσον πάντων, & principium πρῶτον καὶ ἄμεσον, adeoque ἀυτόπιστον καὶ ἀναπόδεικτον, καθ' ἀυτὸ καὶ καθόλου, è quo controversia ista hæc Eucharistica unicè dijudicanda.

Firmamenta ista.

XLIV. Rationum firmamenta, quibus nostra hæc sententia nititur, *duo* sunt potissimùm: *Internum* unum: *Externum* alterum.

XLV.

XLV. *Internum* est, quod verba institutionis ordinaria doctrinæ de Cœna sedes. Hæc enim *non ante vel post* illam demum institutionem, in Ecclesiam invecta est: *Sed in & cum* illa institutione.

XLVI. Jam non apud nos solùm: sed apud Calvinianos etiam ὁμολογουμένως receptum est axiωma istud πολυθρύλλητον: *Debere quamvis doctrinam referri ad sedem suam propriam atq; ordinariam, indeq; ejus explicationem & eâdem judicium desumi.*

XLVII. Quanquam Keckermannus sophista magis quàm Σοφὸς, axiωmatis illius in controversia de Cœna DOMINI vim & usum prævidens, maluit illud, in recitatione canonum, de interpretatione Scripturæ, sicco pede transilire: quàm propria vineta cædere?

(c) *Reth. Eccles. lib. 1. fol. 74.*

XLVIII. Atque hinc Zegedinus vi veritatis victus ingenuè:

Petendus est sensus verborum DOMINI, ex ipsis Cœna Dominicæ vocabulis, quorum singula, singula gignunt argumenta tab. 8. de Cœn Dom. f. 183.

XLIX. *Externum* est autoritas Apostoli, qui acturus de Sacramento Cœnæ, auditores suos non aliò deducit, quàm unicè ad verba primævæ institutionis.

1. Cor. c. 11.

Quid vobis dicam? Laudabo vos? In hoc non laudo. Ego ENIM accepi à DOMINO, quod tradidi vobis: Quòd DOMINVS IESVS in ea nocte &c.

L. Rectè igitur ac jure optimo damnatur Dipnosophistarum impietas, quæ fex & grex iste impurus & impudens, de Sacrosanctis institutionis CHRISTI verbis, minùs modestè & honestè sentire consuevit.

LI. *Victorinus Strigelius* censet: Sinistro saltem oculo intuendum in verba Cœnæ: Dextro autem in naturas Christi & religionem omnium temporum, in Epistol. ad *Wilibald. Rambeccum.*

LII. *Bucerus* stomachosè appellat verbula aliquot murmurata super panem *in cap. VI. Ioh. p. 147.*

LIII. *Daniel* à Büren, Consul Bremensis, impietatis œstro se eò abripi passus est, ut, in Colloquio Bremensi, dixerit: esse quatuor vel quinque nullius momenti verba.

LIV.

LIII. *Petrus Martyr* hoc ea Emblemate regio & egregio exornat:

Mihi semper visi estis minus, quàm par est, sapere, cum pro dogmate æquè absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habeatis, nisi Christi τὸ ῥητὸν, hoc est, corpus meum.

in dial. pag. 127.

LIV. Quis hîc non animadvertat non ovum ovo tam simile esse, quàm Sacramentarios Veteribus illis Hæreticis, de quibus *Irenæus*:

Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum? *Lib. III. c. 2.*

LV. Sed contendunt Adversarij, verba illa non posse esse fundamentum istius negotij eò quod ipsa sint *κενόμωον*, de quo disceptetur. *Beuml: in Falc. de plum p. 63.*

LVI. Respondemus, 1. per *distinctionem* inter ipsa *verba* & verborum *sensum*. De *verbis* enim nulla planè est disceptatio, nisi quis dubitare velit, an verba illa ab Evangelistis & Paulo descripta sint verba institutionis.

LVII. De *sensu* autem illorum verborum litem moverunt (non nos, sed Sacramentarij, qui à *ῥητῷ* ad *Διάνοιαν* suam illam per vim torquere non erubescunt.

LVIII. 2. Per *instantiam*. Si enim ideo verba institutionis pro fundamento hujus doctrinæ nequeunt haberi, quia à Sacramentarijs in controversiam vocantur, quis demum Scripturæ locus proferri poterit, cui ab istiusmodi *σκεβλότητι καὶ κυβείᾳ* immunitas, adversus præposterum Rationis vesanæ judicium, vendicari possit?

III. PROBLEMA.

An Verba institutionis, κατὰ τὸ ῥητὸν sint intelligenda; & num Lutherus, in Catechesi, & alij utentes particulis in, sub, cum, à τῷ ῥητῷ discedant.

LIX. Problema hoc proximo perquam affine & *ἀντίστροφον* constat *duabus* partibus. De utraque modicè: sed solidè.

1. *De priore parte Problematis.*

LX. *Prior* est: *An verba institutionis κατὰ τὸ ῥητὸν sint intelligenda*, secundùm nativam, & literalem significationem: non tropicè, nec secundùm talem *Διάνοιαν*, quæ cum ipsis verbis propriè intellectis è diametro pugnet.

LXI.

LXI. *Ajunt* Lutherani: *negant* Anti Lutherani Calviniſtæ. 1.

LXII. Fundamenta, quibus nituntur Lutherani, hoc complectimur Syllogiſmo Cardinali: 1 *Lutheranorũ Syllogiſmus Cardinalis.*

Quæ verba nullibi niſi in propria ſede doctrinæ de Cœna in Scriptura habentur; ſuntq; per ſe ſatis plana, & inſuper verba Teſtam. ipſius Filij, qui veritas ipſa, & cui nihil impoſſibile quæ admirabili *συμφωνία* & *παναρμονία* à trib. Evangeliſtis & Paulo annotata, ſicque à CHRISTO explicata, ut omnes rimæ tropis ac figuris obſtructæ, & quæ deniq; à nativa ſua ſignificatione aliò detorta nullam certam gignunt ſignificationem: *ea intelligenda ſunt, κατὰ τὸ ῥητὸν, id eſt, ſecundum nativam & literalem ſignificationem: non tropicè, nec ſecundum talem Διάνοιαν, quæ cum verbis propriè intellectis è diametro pugnet.*

Atqui ejuſmodi ſunt verba inſtitutionis.

Ergò.

LXIII. *Septem* ſunt hujus Syllogiſmi *μέσα*, è quibus conſtat. Videamus ſingula ordine. 7. *Syllogiſmo μέσα.*

LXIV. 1. *Verba inſtitutionis nullibi habentur, niſi in propria ſede.* Omnis autem doctrina in ſede propria traditur verbis perſpicuis, & non niſi literali ſenſu intelligendis. Quæ etiam cauſa eſt, quod à locis Scripturæ obſcuris eò unicè provocatur. 1.

LXV. 2. *Verba inſtitutionis ſunt per ſe ſatis plana*, neque, ut figuratè ea intelligamus, ulla nos cogit neceſſitas. 2.

LXVI. Per τὸ HOC enim quid intelligendum ultrò patet: Id nimirum, quod CHRISTUS manu ſua gerebat & diſcipulis porrigebat; quod certè non nudus panis (non enim dicitur ἄρτος): ſed τοῦτο panis ſimul & corpus CHRISTI.

LXVII. Utrumque uno complexu τοῦ δεικτικῶ τοῦτο ſive HOC exprimitur; quæ formula loquendi de ijs, quæ conjuncta invicem ſimul exhibentur, vulgò nota, & in omnibus linguis uſitatiſſima, ſicut docent exempla a Luthero allegata.

Tom. III. Ienenſ. fol. 487 in confeſſ. Majori.

LXVIII. Verbum ὑποκειμενὸν EST accipiendum eſt, ut ſonat, non σημαντικῶς, uti Calviniani contendunt: Sed, ut ſonat ſimpliciter, ὑποκειμενικῶς.

LXIX. Id enim, quod CHRISTUS diſcipulis porrigebat, &

termino τῷ τ efferebat, omninò corpus ipsius EXISTEBAT cum pane Sacramentaliter vel μυστικῶς unitum.

LXX. Per τὸ *corpus* denique quid intelligendum aliud, quàm quod vocis sonus arguit, naturale videlicet & essentiale corpus CHRISTI: Nisi quis Marcionitarum legens vestigia, veritatem corporis CHRISTI negare voluerit.

3. LXXI. 3 *Verba institutionis sunt verba Testamenti*, quæ absque ulla διπλασιάξει simpliciter accipienda, sub pœna jacturæ hæreditatis *Gal. c. 3, 15.*

LXXII. Excipiunt Adversarij: 1. Cœnam DOMINI non esse Testamentum. Resp. Diversum verba CHRISTI, quibus Testamentum dicitur, & requisita Testamenti, quæ, in Cœna DOMINI, concurrunt, docent.

LXXIII. Objiciunt Testamentum Patriarchæ Jacobi, Genes. 49. quod pluribus tropis figuratum. Sed illud non propriè Testamentum: sed vaticinium.

4. LXXIV. 4. *Testamentum illud non Hominis est: sed ipsius* FILII DEI, cui, quia *Verax & omnipotens*, fidem debemus & obedientiam, sine omni exceptione, nisi velimus, cum æterno nostro malo, horrendum illud experiri Joh. c. 12.

Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui judicet ipsum. Sermo, quem loquutus sum, ille judicabit eum in extremo die.

5. LXXV. 5. *Verba institutionis admirabili* συμφωνία & παναρμονία *à tribus Evangelistis & Paulo sunt annotata*: id quod copiosè pariter & nervosè demonstrat B. *Chemnitius cap. VIII. In tractat. de Fund. sanæ doctr. de C. D.*

LXXVI. Sed obstrepunt: discrepare Lucam & Paulum in recitatione verborum Cœnæ, à Matthæo & Marco.

LXXVII. Respondemus per concessionem: Esse quidem aliquam inter ipsos discrepantiam, sed *tantùm in verbis*: non autem *in rebus*; ideoque nullam inesse contradictionem: sed meram ἐναλλαξιν & ἀντιστροφὴν, quæ usque adeò nihil derogat veritati præsentiæ sanguinis CHRISTI, ut eandem etiam multò potentiùs & evidentiùs confirmet.

6. LXXVIII. 6. *Verba Cœnæ sic explicata sunt ab ipsis etiam Evangelistis & Apostolo, ut omnes rimæ tropis ac figuris obstructæ*, quibus scilicet *substantialis*

Cœnæ

Cœnæ mutentur, quorum *duo*: *panis & vinum terrestria*: itemq; *corpus & sanguis* CHRISTI *cœlestia*.

LXXIX. *Panis* aut *vini* termino non invehendum esse tropum præcavit Matthæus, interpretando calicem vinum.

LXXX. Vocem *corporis* adversus τροπολογίαν præmunierunt Lucas & Paulus, addito hoc ὑπερδιδόμενον.

Quod pro vobis datur vel frangitur.

LXXXI. Vocem *sanguinis* à tropo liberârunt omnes pariter Evangelistæ, unà cum Paulo, similiter addito hoc ἐκχυννόμενον.

Qui pro vobis (multis) effunditur.

LXXXII. 7. *Verba institutionis aliò detorta nullam certam gignunt significationem*: quemadmodum ὀφθαλμοφανῶς elucet, ex πολυμορφίᾳ interpretationum, quibus Calviniani τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ depravare ausi. 7.

LXXXIII. Nos βαρχυπερφιλίας studio, illis hîc percensendis supersedemus, præsertim cum pleræque recentioribus Tragœdiæ istius choragis, sordeant. (d) Lutherus earum octo enumerat. Adeò scilicet πολυχιδὲς τὸ ψεῦδος.

(d) *Tom. IIX. Ien. fol. 176. 177.*

LXXXIV. Tantum de doctrina *Lutheranorum*: Opinionis *Calvinistarum* κεντρίον non est aliud, quam *Ratio humana*, quæ tamen in rebus spiritualibus (e) μωρία & (f) ἐχθρὰ εἰς θεὸν, nisi subigatur & captivetur in obsequium CHRISTI, 2. Cor. 10, 5. II. *Calvinistarum opinio & κεντρίον.*

(e) *1. Cor. 2, 14.* (f) *Rom. 8, 6.*

LXXXV. Atque hinc *Mornæus* ipse Sacramentariorum assecla:

Tantum abest, ut humana Ratio fidei sit mensura, ut ne Naturæ quidem propter ignorantiam ac pravitatem esse possit.

in præf. lib. de Verit. Relig.

LXXXVI. Neque est, ut distinguant: *inter Rationem Renatam & non Renatam.* Quodcunque enim Ratio contra verbum DEI disputat: non est renata.

LXXXVII. Nihilominus tamen adeò indulgent Rationi in μυστηρίῳ hoc φενακοδεκάτῳ, ut indè tum *Rationes*, tum *contradictiones* contra verbũ Dei fingere ac gignere nulla ipsis religio, formido nulla.

LXXXIIX. Inter *rationes* ex Ratione, facilè palmaria est ficticia illa Analogia Sacramentalis, de qua suo tempore & loco.

LXXXIX. *Contradictiones* ſunt, quod putant incurrere τὸ ῥητὸν in articulos fidei, *de veritate humanæ naturæ & Aſcenſionis* CHRISTI.

XC. Sed in *neutrum* impingit: Non *in illum*, quia plures præſentiæ corporis CHRISTI modi, de quibus (g) *Liber Chriſtianæ Concordiæ è* (h) *Luthero.*

(g) *Articulo VII.* (h) *Tom. 3. Ien. Germ. 457.*

XCI. Non *in hunc*: 1. quia CHRISTUS (i) aſcendit ſuper *omnes cœlos*: qua phraſi *non loci ſublimitatem*: ſed *potentiæ majeſtatem* notari notum; non diffitente (K) *Bucero* & *Marlorato* in cap. 27. *Matthæi.*

(i) *Eph. 4, 10.* (K) *in Epiſt. ad Epiſ. Herſordenſem.*

XCII. 2. Quia CHRISTUS ita adſcendit ad Cœlos, ut ſedeat ad dexteram DEI, ut potenter regnet & dominetur omnibus creaturis, interprete *Auguſtanâ Confeſſione Articulo 3.*

XCIII. 3. Quid tandem opponent primæ Cœnæ ante Aſcenſionem CHRISTI in Cœlos celebratæ, quæ tamen ceterarum omnium, ex ipſorum etiam ſententia, norma?

XCIV. Atque hæc ſufficiant de priore parte Problematis: Poſterior eſt: *An ij, qui particulis in, cum, ſub, utuntur, à τῷ ῥητῷ diſcedant.*

XCV. Reſp. Non diſcedunt: ſed hæ illis ſunt ἐξηγητικαὶ τοῦ ῥητοῦ & τοῦ συνδέσμου vel ἑνώσεως σημαντικαί; Sicut videre licet in (l) *Auguſtana Confeſſione*, ejusque *Apologia*, à quâ noſtrates harum particularum uſurpatione divortium facere, criminantur.

(l) *Art. 3. l. f. 157.*

XCVI. Uſurpant autem illas Lutherus, ejusque Diſcipuli γνήσιοι vi & vigore Chriſtianæ libertatis, imitatione (m) ſcripturæ in myſterio hypoſtaticæ unionis ac (n) Patrum, abſque ullo à τῷ ῥητῷ diſcedendi conſilio, ut teſtentur, ſe rùm à Pontificiorum μετουσίᾳ: tum à Calvinianorum τροπολογίᾳ, ſeriò abhorrere.

(m) *Ioh. 1, 14. Col. 2, 9. Col. 1, 19. Act. 10, 38. 2. Cor. 15, 19. Tim. 3, 16.*

(n) *Aug. ad Neophytum.*

XCVII. Legatur Lutherus de hoc Problemate, in aureo gemmeoque ſcripto, cui Hoc eſt Corpus meum: Das dieſe Wort/ das iſt mein Leib/ noch feſte ſtehen. *Tom. III. Ien. Germ. f. 336.*

XCVIII. Coronidis loco, adſcribimus memorabilem hanc ejusdem ſententiam ex *Confeſſ. Majore Tom. III. Ienen. p. 488.*

Nun

Nun wollen wir die Sprüche der Evangelisten vnd S. Pauli für vns nehmen / vnser Gewissen zustercken. Vnd erstlich soltu annehmen der Schwärmer eigen Bekändtnüß / denn sie bekennen/vnd müssen bekennen / daß vnser Verstandt sey/ wie die Wort an jhnen selbst natürlich lauten/ vnnd nach laut der Wort zu reden/ sey vnser Verstandt recht/ das habe keinen zweiffel. Aber sie fechten/ das die Wort nicht sollen verstanden werden/ wie sie lauten. Solch Bekändtniß soltu/ sage ich/ annemen/ denn das ist wol so viel/ als mehr denn halb gewonnen. Weil sie nu bekennen/daß/ wo die Wort/wie sie lauten/anzunemen weren/ so were vnser Verstandt recht / so befreyen sie vns mit jhrem eigen zeugnüß. Erstlich das wir vnsern Verstandt nicht weiter beweisen bedürfften / denn die Wort erzehlen/wie sie da stehen vnd lauten. Das ist eins / daß mercke wol. Zum andern beladen vnd verbinden sie sich mit zwo grosser müh e vnd Erbeit/ Eine/ das sie beweisen sollen vnnd müssen/ warumb die Wort nicht / wie sie lauten/ sondern anders zuverstehen sein sollen. Die andere / daß sie vns anstatt salcher Wort andere Wort vnd Text geben / der gewiß sey/ darauff man stehen könne. Dieser beyder haben sie bißher keines gethan.

Addimus & hanc ejusdem Declarationem ex eodem Tomo III. p. 353.

Wir arme Sünder sind ja nicht so toll/ daß wir gleuben/ Christus Leib sey im Brot/auff die grobe sichtbarliche weise/wie Brot im Korbe/ oder Wein im Becher/ wie vns die Schwärmer gerne wolte̅ auff legen/ sich mit vnser Torheit zu kützeln. Sondern wir gleuben stracks/daß sein Leib da sey/wie seine Wort drauff lauten vnd deuten/das ist mein Leib/etc. Daß aber die Väter vnd wir zuweilen so reden/Christi Leib ist im Brodt / geschicht einfeltiger Meinung darumb/das vnser Glaube wil bekeñen/daß Christus Leib da sey / sonst mügen wir wol leiden/ man sage er sey im Brot/ er sey da dz Brot ist/oder wie man wil/ vber worten wollen wir nicht zancken/allein das dabey bleibet/ das nicht schlecht Brot sey/das wir im Abendmal Christi essen/ sondern der Leib Christi.

De Sacramento Coenæ,
Decadis Primae
Problemata IV. V. VI.

Respondente
M. GEORGIO FLADUNGIO
Gothano Thuringo.

Ad diem 30. Novembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA

An & quale sit discrimen inter has enunciationes:

Hoc est Corpus meum
&
Panis est Corpus CHRISTI.

PROPOSITIO I.

ἀφορμὴ Problematis.

IN διεξόδῳ tertij Problematis, in proximâ συζητήσι, dictum & evictum est, quòd verba institutionis κατὰ τὸ ῥητὸν, sensu literali, accipienda.

II. Hic quippe solus, præ Δογματικῷ, conscientiam firmare, fideiq; πληροφορίαν excitare potest efficacissimè.

III. Qua de re piè ac graviter B. Lutherus θεῖα μαθὼν καὶ θεῖα παθὼν:

In Confessione Majore part. II.

Zum fünfften/ Setzens gleich dahin/ das vnser Text vnd Verstand auch vngewiß oder finster sey (als nicht ist) so wol als jrer Text vnd Verstand/ so hastu dennoch das herrliche trotzige vortheil/ das du mit guten Gewissen kanst auff vnserm Text stehen/vnd also sagen: Sol ich denn vnd mus vngewissen finstern/Text vnd Verstand haben/ So wil ich lieber den haben/der aus Göttlichem Munde selbst gesprochen ist/ denn das ich den habe/ So aus Menschlichen Munde gesprochen ist. Vnnd sol ich betrogen sein: so wil ich lieber betrogen sein von Gott (so es

müglich

müglich were) denn von t Menschen/den betreuget mich Gott/ so wird ers wol verantworten vnnd mir widerstattung thun/ &c.

Demnach kanstu frölich zu Christo reden/beyde an deinem sterben vnd jüngsten Gericht/also: t Mein lieber HERR JESV Christe: Es hat sich ein hader vber deinen Worten im Abendmal erhoben/ Etliche wollen/das sie anders sollen verstanden werden/ denn sie lauten/aber dieweil sie nichts gewisses lehren/ sondern allein verwirren/vnd vngewiß machen/vnd ihren Text in keinem wege wollen noch können beweisen/so bin ich blieben auff deinem Text/wie die wort lauten/ Ist etwas finster darinnen/so hastu es wollen so finster haben: Denn du hast kein andere Erklärung darüber gegeben noch zu geben befohlen. So findet man in keiner Schrifft noch sprachen/das (Ist) solte (deuten) oder (mein Leib) Leibeszeichen heissen. III. Tom. Jen. German. f. 488.

IV. Atque hinc θεόδιδακτος isthic fidelissimus tanto Zeli fervore, τὸ ῥητὸν Verbotum Cœnæ, adversus Gentem Sacramentariam propugnavit; imò peculiarem *Verborum institutionis Assertionem*, singulari spiritus ardore, conscripsit, conscriptamq; Ecclesiæ, ut θησαυρὸν nobilissimam, reliquit.

V. Verum enimverò non desunt, qui Lutherum Luthero opponentes, ipsum à τῷ ῥητῷ defeciisse, nituntur probare ex eo, quòd Verba institutionis, permutare ausus, cum isthac enunciatione:

Panis est corpus CHRISTI.

VI. At sanè non diffitemur posuisse Lutherum loco *Pronominis* HOC, terminum panis, in *parte* præsertim *altera Libri adversùs cœlestes Prophetas*; nec non *in Colloquio Marpurgensi*.

VII. Quòd autem illo Pronomine δεικτικῷ designetur solus & nudus panis, de eo ne unicus quidem in Scriptis Lutheri apiculus.

VIII. Tantum abest, ut commutatione illa τὸ ῥητὸν Verborum Cœnæ perverterit in animum unquam induxerit suum.

IX. Quin potiùs in Pronomine illo identidem urget *Synecdochen* in omnibus linguis usitatissimã, qua *principaliter* notatur *thesaurus invisibilis*, qui exhiberur: *minus a principaliter*, *res visibilis*, cũ qua tanquã medio vel instrumento, aut vehiculo, thesaurus invisibilis exhibetur.

X. Con-

X. Considerentur modò hæc paucula, quæ ut mentem explicaret suam, libro adversus Cœlestes Propheras, intertexuit:

In parte altera.

Oder wo diese art der Sprache jhnen nicht gefiele. Möchten sie sich nach der weise der Schrifft richten/die da in gemeinem brauch hat diese Figur/so da Synechdoche heist/ das ist / weñ sie ein gantzes nennet/ vnnd doch nur ein theil meinet/wie sie thut/ da sie das Jsraelitische Volck ein Eigenthumb heist/ vnd ein sonderlich Volck Gottes/ so doch das gröste theil darunter des Teuffels/ vnd das weniger theil Gottes war. Wie auch Paulus die Galater/ Corinthier/ vnnd andere Städte Gottes gemeine nennet/so doch das weniger theil recht Gottes Kinder sind. Ja/ 1. Corinth. 10. nennet er alle die ein Brot vnd einen Leib / die von einem Kelch theil nennen/So doch viel derselbigen den Kelch vnwirdiglich nehmen//wie er selbst saget.

Also hetten die Sophistische vnnd spitze Klülinge an diesem Ort auch mügen das gantze stück/ als Brot vnd Leib/da Christus von redet/deuten allein auff den Leib/da er spricht / das ist mein Leib/vnangesehen daß Brot. Nicht/ daß Brot nicht solle da sein/Sondern das in der rede/so groß am Leibe gelegen ist/ daß er davon redet/Als were eitel Leib da / vnnd alles was da jst/es sey Brot oder Farbe/nichts denn der Leib were. Gleich als wenn auch eine Mutter auff die Wiegen/da jr Kind jnnen lege/deute vnd spreche/das ist mein Kind/vnd ein Sophist spottet jhr vnnd spreche / Wie? Jst die Wiege dein Kind/Meinestu nicht / sie würde jhn für einen Narren vnnd Schwätzer halten? als der mutwilliglich die Sprache nicht wolte verstehen / da sie beyde auff Wiegen vnnd Kind deutet/ vnd doch das Kind Fürnemlich meint / als were keine Wiegen da.

Tom. III. Jen. Germ. f. 80.

XI. Breviter: Intelligit Lutherus, non panem nudum merèque Physicum: sed sacrum & *Eucharisticum*, id est, in usu Sacramentali jam constitutum & cui proinde corpus CHRISTI unione Sacramentali unitum.

XII. Vo-

XII. Voluit autem Lutherus hac phrasi uti *tum* contra Transsubstantiationem *Pontificiorum*, annihilatione panis definiri solitam: *tum* adversus *Carolstadium*, qui τῷ ὑστερῳ suo ἀνοήτῳ panem è Cœna penitus auferebat.

XIII. Sed extra oleas ad rem, de qua in proposito Problemate, quo *duo* hoc de negocio quæruntur.

XIV. Unum concernit τὸ εἰ ὅτι: alterum τὸ πῶς τὸ ποιόν. I *Quæstio An.*

XV. Quo ad *prius*, *quæstio* est, an sit discrimen inter enunciationes illas: *Hoc est corpus meum*: Et: *Panis est corpus* CHRISTI.

XVI. Et sane *quod* sit discrimen ultrò apparet. Nec quisquam fuit nostratium Theologorum unquam, qui enunciationes illas per omnia ἰσοδυναμούσας esse & æquipollere dixerit.

XVII. Patet ex Actis *Colloquij Maulbronnensis*; auspicijs Friderici III. Electoris Palatini, & Ducis Christophori Ducis Wirtenbergici, Anno CHRISTI *1564*. celebrati.

Cent. XVI. Osiandri f. 791.

XIIX. Ibi enim Theologi Virtenbergici à Palatinis interrogati, utrùm Enunciationes illas planè & per omnia easdem esse statuerent: Negativè responderunt.

XIX. Adde, quòd Apostolus ipse discrimen agnoscit, ideoque dum mutat subjectum, & pro HOC substituit PANIS: tum ilico mutat etiam prædicatum, atque adeò non dicit: *Panis est Corpus: sed Panis est* κοινωνία *Corporis.* 1. *Cor. 10, 16.*

XX. Et talis etiam ἀντιστροφὴ usurpatur à Luca & Paulo, in verbis Cœnæ ὁ ἐγκικοῖς, ad alteram ejus partem pertinentibus,

Luc 22, 20. 1. Cor. 11, 25.

XXI. *Quoad posterius*, quæstio est, de ipso inter enunciationes illas discrimine, quale illud sit. II. *Quæstio quomodo ubi tria discrimina.*

XXII. Hic verò tenendum, quòd *tribus* potissimùm modis differant.

XXIII. 1. *Prior* est ἔνεργος & *autoritatis Divinæ*: Posterior verò est ἄνεργος & *autoritatis humanæ.* 1.

XXIV. 2. *Prior* quoad *efferendi modum & sermonis proprietatem usitata* est, nitens quippe communi loquendi consuetudine, de qua Lutherus, in verbis modò allegatis, *Thesi 10.* itemq; *in Confess. Majore Tom. III. Ien. Germ. fol. 487. & seq.* 2.

XXV. Lutherus illam consuetudinem appellat *Synecdochen non Rhetoricam*: sed *Grammaticam*, alludens ad Grammaticam vocis significationem, qua Græcis συνεκδοχὴ idem, quod Latinis *comprehensio*.

XXVI. Et proinde prædicatio in priori Enunciatione; *Hoc est Corpus meum, Synecdochica* dici poterit, sensu verè-Lutherano, id est, respectu ad subjectum, quod utriusque materiæ tum terrestris tum cœlestis συνεκδοχικὸν vel *comprehensum*.

XXVII. Qui eandem sive demonstrativam, sive exhibitivam vocare assolent, à veritate non abeunt.

XXIIX. *Posterior* autem enunciatio est *inusitata*; siquidem disparatum de disparato enunciatur, propter unionem realem quidem: sed inusitatam, cujus gratia etiam prædicatio ista meritò inusitata dici potest ac debet.

3. XXIX. 3. *Prior* enunciatio est plana & evidens, neque ulteriore indiget explicatione.

XXX. Singula enim Verba propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda sunt, absque ullo tropo.

XXXI. Si enim illis inesset tropus: aut *subjecto* inesset aut *prædicato*. Tot enim saltem sunt enunciationis partes, κυρίως sic dictæ.

XXXII. Copula verò quia non σημεῖον ἓξ πράγματος: ideo nec πρόπτωσις δεκτική. lib. de interpret. c. 3.

> ὐδὲ γὰρ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι σημεῖον ἔστι ἓξ πράγματος: ὐδὲ ἐὰν τὸ ὂν εἴπῃς ψιλὸν αὐτὸ μὲν γὰρ ὐδέν ἐστι. προσσημαίνει δὲ σύνθεσιν τινα, ἣν ἄνευ τῶν συγκειμένων, οὐκ ἔστι νοῆσαι.

XXXIII. Neque etiam in *integra enunciatione* tropus esse potest. Is enim non enunciationis integræ: sed vocis in enunciatione singulæ est affectio.

XXXIV. Quòd autem *subjecto HOC* non insit tropus tam manifestum est, ut Sacramentarios ipsos ἀπαιδευσίας Carolstadianæ jamdudum pudere ceperit.

XXXV. Quòd nec *Prædicato*, ipsemet Cœnæ sacrosanctæ ἐξαρχὸς CHRISTUS haud obscurè designavit, hac sine intervallo addita determinatione, & ἐπεξηγήσει:

Quod pro Vobis traditur. *Qui pro vobis effunditur &c.*

XXXVI. *Posterior* autem enunciatio citra declarationem fidei analogam admitti non potest ac debet.

XXXVII. Declaratio verò illa huc redit; quòd panis sit & dicatur corpus CHRISTI, non φυσικῶς aut ἀσιωδῶς, vel κατὰ μεταστοιχείωσιν Pontificiam.

XXXIIX. Nec σημαντικῶς aut ῥητορικῶς, vel κατὰ τροπολογίαν, aut ἀντίδοσιν ὀνομάτων Sacramentariam.

XXXIX. Sed μυστικῶς & ὑπερφυσικῶς, per & propter unionem *Sacramentalem* vel *mysticam* aut *supernaturalem*.

XL. Et proinde, quia juxta vulgatum axiωma: *Qualis unio, talis prædicatio*: non absurdè prædicatio, in Enunciatione ista, appellabitur Sacramentalis.

XLI. Sed sensu non *Calviniano*, quo Sacramentariis Prædicatio Sacramentalis eadem est, quæ tropica vel figurata.

XLII. Sed *Lutherano*, quo nobis Sacramentalis Prædicatio est eadem, quæ mystica dependens, non à qualicunque χέσει & ἀναλογίᾳ Calvinistica: sed à vera ac reali Panis & corporis *CHRISTI* ἑνώσει & παρουσίᾳ mysticâ.

V. PROBLEMA.

An ritè ac scitè factum à Luthero, quòd in definitione Sacramenti Cœnæ, Generis loco, posuit: τὸ *Verum Corpus & Sanguis CHRISTI.*

XLIII. De *Messalanis* suo olim tempore pronunciavit *Epiphanius*:

Κόρον οὐκ ἔχει ἀναισχυντία, οὐδὲ πλησμονὴν ἡ ἀφροσύνη. ἀλλ' ὅτι πάντα ἤπλωσεν ἑαυτῆς τὸν λογισμὸν καὶ κέχηνε τὸ στόμα.

Lib. III. hær. 8.

XLIV. Quantò veriùs illud nos nostra hac ætate transferre possumus ad Sacramentarios, quorum næ *tanta impudentia, ut nequeat satiari, tanta insipientia, ut nequeat repleri, sed ad omnia expandunt hiantes & cogitationem.*

XLV. Ad omnia in quam quæ à Luthero piè & orthodoxè scripta dictaq;.

XLVI. Exemplum in dissertatione de Problemate proximè præcedente vidimus: succedit aliud in hoc illi jam succedente.

XLVII. Definivit Lutherus Sacramentum Eucharistiæ, quòd sit *Verum Corpus & sanguis DOMINI nostri IESV CHRISTI.* *Lutheri definitio.*

XLVIII. Verè Lutherana est hæc definitio, id est, apertè & ingenuè, absque ulla ambiguitate & circuitione, dicens, quod res est.

XLIX. Quid Sacramentarij? Ad hanc etiam nonnulli eorum hiantes suum expandunt avidissimè.

L. Sentiunt quidem tanti illam ponderis esse, ut oppressura ipsos sit, nisi opprimatur.

LI. Machinas proin admovent, & inter has unam quoque ex Officina Logica mutuò acceptam.

Ejus Reprehensio per Sacramentarios.

LII. Hac genus istius definitionis impetunt, idque spurium esse & illegitimum vociferantur, eò quòd Corpus & Sanguis CHRISTI *objectum, vel subjectum Cœnæ occupans.*

LIII. Sic enim Keckermannus explicans Canonem: *Genus cum suæ specie, semper est ejusdem prædicamenti:*

> *Atque ex hoc utilissimo Canone multa falsa genera deprehenduntur, ut quod superficies non sit genus veruni loci,* CHRISTI *non sit genus Cœnæ Dominicæ &c.* lib. 1. Syst. Log. c. 3. f. 50.

Sacramentariorum ἔλεγχος.

LIV. Sed *duplicem* Luthero faciunt injuriam πλανῶντες καὶ πλανώμενοι 2. Tim. 3, 13.

LV. Una est, quòd, violento Διαιρέσεως paralogismo, sequentia Lutheri Verba à præcedentibus divellunt.

LVI. Si nudè ac crudè dixisset: Sacramentum altaris est verum Corpus & verus sanguis DOMINI nostri JESU CHRISTI: tum aliquàm idoneum Calumniæ eorum haberet argumentum.

LVII. Sed eâdem telâ mox attexuit hæc verba: *Sub pane & vino, nobis* CHRISTIANIS *ad manducandum & bibendum ab ipso* CHRISTO *institutum.*

LIIX. E quibus tàm clarum quàm quod clarissimum: Eucharistiæ Sacramentum non definiri per Verum CHRISTI Corpus & Sanguinem ἁπλῶς & sine σχέσει, ut *Objectum* vel *Subjectum Occupans*, Generis loco, collocetur.

LIX. Sed κατά τι & cum σχέσει ad manducationem & bibitionem, ut ita *Forma* Cœnæ, in manducatione & bibitione Corporis ac sanguinis CHRISTI consistens, Generis locum obtineat.

LX. Quanquam enim, quoad *explicitum Verborum sonum*, discrimen est in λέξει, *Grammaticum*: tamen quoad *implicitum eorum sensum*, in νοήσει rerum, nullum est discrimen *reale Logicum.*

LXI. Verùm Corpus CHRISTI manducandum idem est, quod Corporis CHRISTI manducatio. Item Sanguis CHRISTI bibendus idem, quod Sanguinis CHRISTI bibitio.

LXII. E quo liquet, quod Genus istud *non* ad *substantiæ*: sed *Actionis* Categoriam referendum.

LXIII. Et tantum de *priori* injuria: *Altera* est, quòd malunt Lutheri definitionem, quæ ipsis sudes in oculis, pellere in exilium: quàm sapientissimum illius attendere consilium.

LXIV. Istud verò ostendunt partim *scopus*, partim *tempus*, quo Catechesin suum edidit Lutherus.

LXV. *Scopus* fuit, ut Christianæ fidei elementa instillarentur pueris ac rudioribus, methodo ad captum horum accommodata, qualis non Logicam subtilitatem: sed Grammaticam verborum perspicuitatem, requirebat.

LXVI. *Tempus* incidebat in A.C.1527. & sic in ipsam *ἀκμὴν* Controversiæ inter Lutherum & Sacramentarios, qui verum Corpus & sanguinem CHRISTI in synaxi sacra, manducandum & bibendum exhiberi, pernegabant.

LXVII. Contrarium verò strenuè asserebat Lutherus, sicut testantur scripta, veluti *Assertio τῶν ῥητῶν*, & *Confessio ejus Major*, tum temporis publici juris à Luthero facta.

LXIIX. Voluit itaque Lutherus istud illius rei caput mox in primo limine suæ definitionis, verbis coruscantibus & *ἐμφάσει* & *δεινότητι* singularem habentibus exprimere.

VI. PROBLEMA.

An verum & essentiale CHRISTI corpus, ac sanguis in usu Cœnæ, in hisce terris, ore edendo & bibendo, verè ac realiter, ab hominibus pariter communicantibus accipiatur.

LXIX. Quòd Lutherus Cœnæ Sacramentum ritè ac scitè definierit, Verum Corpus & Sanguinem CHRISTI, sub pane & Vino Christianis manducandũ & bibendum, demonstratũ est hactenus.

LXX. Jam ut plenior evadat Demonstratio: ulterius demonstrandum, quòd *verum & essentiale CHRISTI Corpus ac Sanguis, in usu Cœnæ, in hisce terris, ore edendo & bibendo, verè ac realiter ab omnibus pariter communicantibus accipiatur.* *Summæ doctrina Christianæ.*

LXXI. Hæc enim est, hæc inquam est summa veræ ac sinceræ, de Eucharistia, doctrinæ, quam Lutherus olim omnesq; *γνήσιοι* ejus

Discipuli, adversus Gentem Sacramentariam, constanter & intrepidè propugnârunt, hodieque πανσθατεὶ propugnant.

LXXII. Atque hîc sanè posset longâ instituti δοπολείξεων γεγραφίκων ἀναγεγραφὴ; sed sufficiat, in hac chartæ angustia, brevis saltem fundamentorum, è quibus illæ facili negocio extrui possunt, περιγεγραφὴ.

Ejusdem fundamenta.

LXXIII. Sunt a. illa in *duplici* differentia: *Quædam* continentur *in Verbis institutionis*: *Quædam in aliis* Scripturæ *locis*: quorum illa, respectu sedis Ordinariæ, *primaria*: hæc verò *secundaria*, distinctionis ergo, vocari poterunt.

LXXIV. Quæ in Verbis institutionis continentur, distribui vicissim possunt, in *Generale* vel *primum*: & *specialia*, vel *à primo orta*.

LXXV. *Generale vel primum* est τὸ ῥητὸν Verborum Cœnæ, de quo ex professo in proximè præcedenti Disputatione.

LXXVI. *Specialia* vel à *primo orta* sunt hæc potissimùm.

LXXVII. 1. Sonus Verborum, EDITE & BIBITE, id quod nullo alio instrumento δεκλικῷ fieri potest ac solet, præterquam ore corporeo. *Edere* verò ac *Bibere* jubet DOMINUS non nudum panem vinũ sed integrum συμπεπλεγμένον τῷ δεκτικῷ HOC notatũ.

LXXVIII. 2. περισσδιορισμὸς: (Corpus) QUOD PRO VOBIS TRADITUR (Sanguis) QUI PRO VOBIS EFFUNDITUR.

LXXIX. 3. *Mentio novi Testamenti*, quòd certè non in (f) nuda umbra & figura consistit, sicut *Vetus*; sed in ipsa Corporis ac Sanguinis CHRISTI *substantia*. Sin minùs: Sacramenta V. T. erunt clariora Sacramentis N. T., quod ipsâ absurditate absurdius.

(f) *Col. 2, 17. Heb. 10, 1.*

LXXX. 4. ἔμφασις in Pronomine MEUS, & Conjunctione ENIM *Matth. c. 26, 28.* κατ' ἀντίθεσιν Sanguinis Typici in V. T. *Exod. c. 24, 8. Heb. c. 9, 11, 14 19. 20.*

LXXXI. 5. φράσις (g) Lucæ ac Pauli: *Hoc poculum novum Testamentum* IN *sanguine meo*, vel si Hebraismum Scripturæ, Novo etiam Testamento familiarissimum, attendere liber luberq; , (ex servili ☞) PROPTER sanguinem meum (Durchs Blut oder mit dem Blut/oder vmbs Blut willen. *Luth. Tom. III. Ien. Ger. f. 494.*

(g) *Luc c. 22, 29. 1. Cor. 11, 25. Heb. 9, 18. seqq.*

LXXXII. 6. σύνταξις, qua participiũ ἐκχυνόμενον, non cum Dativo τῷ αἵματι: sed cum Nominativo τὸ ποτήριον cohæret, *Luc. c. 22, 20.*

LXXIII. 6. *Distincta* duarum partium distinctarum *institutio*, de qua Lutherus:

Auch wo man wolt reden von der geistlichen Gemeinschafft / were nicht von nöthen/daß man die zwey stück Leib vnd Blut Christi nennet: sondern were genug CHRISTVM genennet.

Tom. III. Ien. Germ. f. 508.

LXXXIV. Atque hactenus quidem fundamenta, quæ *in Verbis institutionis* continentur enucleata à Luthero *in parte secundâ Conf. Majoris. Tom. III. Ienen. Germ.*

LXXXV. Supersunt fundamenta, quæ ex *aliis Scripturæ locis*, peti & huc accersi possunt ac solent, ut:

LXXXVI. 1. Ex illo 1 *Cor. 10, 16.* ubi Panis, quem frangimus, dicitur κοινωνία & μετοχὴ Corporis CHRISTI, unde præclarè Chrysostomus: τοῦτο ἐν τῷ ποτηρίῳ ὅν: ἐκεῖνο δὲ τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν καὶ ἐκεῖνο μετέχομεν.

LXXXVII. 2. Ex dicto 1. *Ioh. 5, 8.* ubi *Sanguis in* TERRIS *testari* dicitur.

LXXXIIX. 3. A (q) *veracitate*, (r) *sapientiâ* & (s) *omnipotentiâ Testatoris.*

(q) *Ioh. 14, 5.* (r) *Col. 2, 23.* (s) *Luc. 1. 37.*

LXXXIX. 4. A *dictis Patrum*, quorum Sylloge videatur, apud *D. Chemn. in lib. de Cœn. c. 10.*

XC. Quæ omnia cum ἀνενδιλέκτως ita se habeant: meritò damnationes calculo notamus, omnes Sacramentarios, qui vel *ore apertè*, vel *corde opertè* negant, verum & essentiale corpus & sanguinem Christi, in usu Cœnæ, in hisce terris, ore corporeo, à communicantibus accipi.

XCI. Notiora (proh dolor!) sunt eorum βωμολοχεύματα quam expedit.

XCII. Adscribimus, Colophonis loco, hæc tantum è multis paucula: Zvvinglius in Confes. ad Carol.

Quòd Christi corpus per essentiam, aut Realiter, hoc est, *Corpus ipsum naturale in Cœna adsit, autore accipiatur: id non tantum negamus: sed errorem esse, qui Verbo DEI adversetur, constanter asseveramus.*

Beza. Epist. 5. vol. 3. tract. Theol. fol. 204.

A loco, in quo Cœnam DOMINI celebramus TAM PROCVL NVNC ABEST CORPVS CHRISTI, QVAM ABEST COELVM A TERRA.

Piscator.

592

Piscator. In quæst. Rhetoricis de verbis DOMINI, Hoc est corpus meum. pag. 29.

Hic quærit fortasse aliquis ex me an non concedam: Verbis illis DOMINI: *Hoc est corpus meum significari aliquam Corporis* CHRISTI *præsentiam:* NON CONCEDO *inquam.*

DE SACRAMENTO COENÆ,

DECADIS PRIMAE

Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. GEORGIO GELDNERO

Creilsheimensi Fr.

Ad diem 7. Decembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA

An Panis & vinum Eucharisticum, per transsubstantiationem, ut loquuntur, in essentiam ipsius corporis ac sanguinis Dominici, convertantur.

PROPOSITIO I.

BELUA multarum superstitionum & errorum est Papatus, attestante, inter alios, vel hoc uno, de Eucharistia, articulo, quem plurimis βδελυγμάτων variorum inquinamentis fædissimè conspurcârunt.

II. Potissimum & reliquorum basis & radix est monstrum illud horrendum, cui lumen & numen ademptum, *Transsubstantiationem* dicunt, rem monstrosam monstroso nomine denotantes.

III. Obtrusum est istud monstrum Ecclesiæ, in *Concilio Lateranensi, Anno* 1215. in primo mox decreto, cui inter alia & hæc interserta sunt verba, quæ repetita. *Lib. 1. Decretal. ca. 1.*

Origo.

Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino Salvatur. In qua idem ipse sacerdos est, sacrificium Iesus Christus: cujus

cujus corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstãtiationis pane in corpus, & vino in sanguinem *potestate divinâ, ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.*

IV. Ab hoc tempore transsubstantiatio; pro idolo quodam summa cum veneratione adorando, in Regno occidentalis Antichristi, habita fuit, hodieque habetur. πὶ τὸ λεγόμενον.

V. Quid autem sibi velit monstrum istud vocis: haud obscurè indicat Costerus, interpres Meretricis Babylonicæ non imperitus, hæc in verba scribens:

Fides Ecclesiæ Catholicæ docet; vi divinorum verborum, sic transmutari naturam Panis & vini, ut convertantur in Corpus & Sanguinem Christi, neque post consecrationis verba, panem esse aut vinum, sed Corpus & sanguinem Domini.

In Enchirid. pag. 313.

VI. Sed aggrediendum est monstrum istud ijsdem argumentorum telis; quibus id jampridem aggressus est B. Chemnitius, quæ Bellarminus, responsiunculis quibusdam quidem obtundere voluit: sed non valuit. *Lib. 3. de Sacram. Eucharistiæ cap. 23.* *Argumenta Lutheranorũ cum Resp. ad Except. Iesuitæ.*

VII. Id ut planum faciamus, placet compendio agere, adeoque singula B. Chemnitij argumenta breviter proponere sub *lit. A.* his Jesuitæ Responsiones apponere sub *lit. R.* & tandem confutationem nostram singulis opponere, sub *lit. C.*

IIX. I. A. Nomen transsubstantiationis est Peregrinum & Scripturæ ignotum. 1.

IX. R. 1. Stultum est cum de re constet, litigare de nomine. 2. licuit concilio Niceno ponere nomen ὁμοούσιον, & Ephesino θεοτόκον.

X. C. 1. De re non constat è Scriptura, quæ utrumque tum nomen tum rem ignorat. 2. Uterque (a) utriusq; Concilij terminus quo ad rem est ἔγγαφον.

(a) *Ioh. cap. 10, 30. Phil. 2, 6. Luc. cap. 1, 4. 3.*

XI. II. A. Non ex manifestis certis & firmis Scripturæ testimonijs apertè ostendi & probari potest. 2.

XII. R. Si nihil pro articulo fidei proponendum est, quod non ex manifestis Scripturis probari possit: certè pro articulo fidei

proponi non poterit, quod libri Evangelistarum, & Epistolæ Pauli sint Scripturæ Divinæ.

XIII. C. *Canisius* in Catech. in cap. de præceptis Ecclesiæ. sect. 16. *Nos Scripturæ* (ait) *propter testimonium divini Spiritus in illa loquentis, credere, adhærere; at tribuere maximam autoritatem.*

Stapletonus lib. 1. cap. ult.

Scripturæ S. non derogatur, quòd ea testimonium accipiat ab Ecclesia, quamvis habeat majus testimonium à Spiritu DEI, *quo authore scripta est.*

§. XIV. III. A. Scriptura in ipsa actione Cœnæ Eucharistiam panem appellat.

XV. Pronomen hoc non demonstrat panem materialem.

XVI. Pronomen Hoc panem respicit sed non solum: verùm totum *συμπεπλεγμένον*, constans pane & corpore CHRISTI, quorum ille hujus *κοινωνία*. Tantùm abest *μετουσία*!

1. Cor, 10, 16.

XVII. Et sanè quòd vocabulum Panis hic proprie accipiendum: nō tantum docet litera per se manifesta, in nullum fidei articulum impingens: sed idem etiam cogit nos confiteri *συνάφειαν* textûs Apostolici, cujus nota particula *ὥστε*.

1. Cor, 11, 23, 27.

4. XIIX. IV. A. transsubstantiatio tollit alteram partem materialem Eucharistiæ, eamq; terrenam, panem videlicet.

Iren. lib. 4. cap. 34.

XIX. R. Species sensibiles sunt illud externum elementum.

XX. C. 1. Petitur principium 2. est *ἀνθυπόμενον ἐν προσκειμένῳ* 3. Manifestè falsum, de quo Scotus ex Ambrosio.

In Sacramento veritatis non debet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus.

§. XXI. V. A. Quia accedunt testimonia Patrum, quæ magno numero collecta à Chemnitio, *In Examen Concil. Trid. Disp. de Transsubst.*

XXII. R. Jesuita ea à se fuisse explicata lib. 2.

XXIII. C. Sed ea multò explicatiora & clariora sunt, quàm ut explicatione Jesuiticâ implicari aut obscurari possint.

XXIV. Adscribimus duntaxat unum atque alterum meridianâ luce lucidiora.

Præsidens πρόεδρος, *postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione letâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi & Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt* panem vinum & aquam, τὸ εὐχαριστηθὲν ἄρτος καὶ οἶνος καὶ ὕδατος, *& ad absentes perferunt: Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Cyprianus ad Magnum filium. Epist. 75.

Quando DOMINVS *corpus suum* panem *vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum, & quando Sanguinem suum* vinum *appellat de botris atq; acinis plurimis expressum, atq; in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum.*

XXV. Et hactenus quidem vidimus tela, quibus ex *nostra parte* Transsubstantiationis Commentum *oppugnatur*: jam videamus etiam ea, quibus Romanensium primipilus πρόμαχος Bellarminus illud ex *sua parte* contra nos *propugnare* nititur. *Confutatio Argumentorum Romanensium 4. generum.*

XXVI. Depromit autem illa è quatuor quasi articulis, I. *è Scriptura. II. Patribus. III. è Conciliis, IV. è Ratione.*

XXVII. E. *Scriptura* producit Verba Cœnæ ῥητικὰ: *Hoc est Corpus meum lib. III. de Sacr. Euch. cap. 19.*

XXIIX. Ubi I, πρῶτον ψεῦδος, quòd opinatur Pronomine HOC solum panem notari: cum eo complexus Salvator utrumque materiale: tum panem tum corpus CHRISTI, & illum quidem *secundariò*, ut hujus ὄχημα: hoc autem *primariò*, ut *thesaurum*, qui illo ὀχήματι offerebatur. Qua de re in proxima Disputatione.

XXIX. 2. Committit Sophisma παρὰ τὸ ἔλλιπὲς τῆς διαιρέσεως, argumentando: Non posse corpus de pane prædicari, nisi is, *aut* metaphoricè muretur, quod Calvinisticum; *aut* transsubstinetur, quod Catholicum.

XXX. Datur enim tertium quod Lutheranum, videlicet unio Sacramentalis, qua fit, ut disparatum de disparato verissimè prædicetur; ut proinde opus non sit, ad transelementationem Papistarum confugere.

XXXI. II. *è Patribus* multa conglomerat, Nos reponimus in gene-

re. 1. Nos non Patrum autoritate teneri: sed solius Scripturæ, juxta illud Cœlestis PATRIS. Ezech. cap. 20.

In præceptis meis ambulate, & non in præreptis Patrum.

XXXII. 2. E Patribus peti possunt ac debent, *non* articulorum fidei constituendorum *principia:* Sed illorum ex principiis Scripturæ jam *constitutorum* saltem *suffragia.*

XXXIII. 3. Patrum Vox non est *Iudicis*, ut Scripturæ: sed saltem, ut Vox *testis*, & quidem testis non ἀναπεύθυνος: sed qui testimonium suum ad normam Scripturæ accommodare tenetur.

XXXIV. 4. Si Patribus pugnandum: pro nobis ijdem potiùs pugnant, quàm pro Pontificijs, sicut ostendunt eorum testimonia à B. Chemnitio collecta. *Ex C. Trid. in Disp. de Transs.*

XXXV. 5. Discernendi quoque sunt Patres Orthodoxi à Scholasticis, qui maximam partem Cacadoxi.

XXXVI. 6. Testimonia Patrum, quæ Jesuita profert, pleraq; laborant fallaciâ τοῦ παρεπομένου. Μεταβολὴν enim de qua illi, & quæ *genus*, torquet ad suam μεταστοιχείωσιν, quæ *species* μεταβολῆς.

XXXVII. 7. Adde quòd passim apparet, Patres non de mutatione elementari loqui: sed Sacramentali, quæ non consistit in panis & vini transsubstantiatione: sed ad usum Eucharisticum sanctificatione sive separatione.

XXXVIII. III. *E Conciliis* numero sex, quæ adducit, ejusmodi sunt, ut vel hac Hieronymi sententiâ facilè obtundi possint.

Spiritus Sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nefas duco. De re enim magna, & complectente salutem animarum agitur.

XXXIX. IV. *E Ratione*, quæ fingit gignitq; parũ habent momenti, eò quod dum demum valent argumenta è Ratione cum articulus fidei è Scriptura firmiter extructus, siquidem ex illa tantùm *secundaria & comprobantia*: ex hac verò *Primaria & Probantia* argumenta petantur.

XL. Cetera videbimus in ipso conflictu: Hæc pro hac συνόψει & εἰσαγωγῇ sufficiant.

VIII. PROBLEMA.

An calix etiam, atq; adeò Sacramentum, sub utraq;, sicut loquuntur, specie, integrum Laicis etiam exhibendum?

XLI. Suc-

XLI. Succedit isti de μετρσοία affine Problema de ποτηριοκλεψία, quæ illius quippe Soboles & propago genuina. *συνέχεια Theologiæ*

XLII. Lutherus, in definitione Sacramenti Cœnæ, sonora voce asseverat, illud pro *Christianis* esse instituturum, ita, ut & cum pane Corpus manducetur, & cum vino Sanguis ejus bibatur. CHRISTI.

XLIII. Qua generali appellatione non tantùm *Ecclesiastici* Ordinis homines, quos Papicolæ *Clericos* vocant: sed *Politici* & *Oeconomici* etiam Ordinis socij, qui illis *Laici*, comprehenduntur.

XLIV. Docet igitur Lutherus nostræq; Ecclesiæ ὀρθοδοξία Lutheranæ ὁλυψύχως addictæ, quòd omnibus indiscriminatim ad integram integræ Cœnæ perceptionem pateat aditus, cujuscunque etiam ordinis fuerint; si modò se ipsos probare potuerint. *1. Corinth. 11, 28.*

XLV. Sed quid ille de ὁ Ανλιχείμενος καὶ ὑπερεμένος ὑπὲρ πάντα λεγόμενον θεὸν καὶ σέβασμα; τὴν ποτηριοκλεψίαν in Ecclesiam NON OBSTANTE institutione CHRISTI, invexit, in concilio Constantiensi, veriùs, uti Lutherus ex causâ jam indicatâ, illud appellat, OBSTATIENSI. *ποτηριοκλεψία Anti-Christi.*

(d) *2. Thes. 2, 4.*

XLVI. Verba decreti verè-Antichristiani hæc sunt:

LICET CHRISTVS post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen HOC NON OBSTANTE, Sacrorum canonum authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servabit, & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici, post cœnam, neq; à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesia concesso vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, QVOD LICET IN PRIMITIVA ECCLESIA HVIVSMODI SACRAMENTVM RECIPERETVR A FIDELIBVS sub VTRAQVE SPECIE, postea à CONFICIENTIBVS sub utraq;, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tàm sub specie panis, quàm sub specie vini, veraciter contineri. Vnde cùm hujusmodi CONSVETVDO ab Ecclesiâ & Sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè observata sit, HABENDA

EST PRO LEGE, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ aut authoritate pro libitu mutare, &c.

Sess. XIII. d. 15. Junij.

Fundamenta Scripturæ ἀναστευασπικὰ.

XLVII. Opponimus nos præcipua Scripturæ fundamenta, quibus ἀναντιῤῥήτως constat: πολεμοχλεψίαν omnino pugnare cum Scripura; secus ac Bellarminus probare conatur.

Lib. IV. de Eucharist. Sacr. cap. 24.

XLVIII. *Primum* non ordine tantùm, sed dignitate etiam est *Mandatum & institutio* CHRISTI, qui non alterutrum: sed utrumque simul præcepit & ordinavit, id est & κοινωνίαν Corporis sui cum pane, & κοινωνίαν Sanguinis cum vino.

Matth. 26, 28. Marc. 14, 22, 23. Luc. cap. 22, 19. 20.

1. Cor. 11, 23, 24. 1. Cor. 10, 16.

XLIX. Inprimis verò observationem meretur singularem, quòd Lucas descripturus posteriorem Cœnæ partem, connectendi particula ὡσαύτως utitur. *Cap. 22, 20.*

L. Digitum quippe indicem quasi intendit *ad unitatem Institutionis* CHRISTI à nemine hominum in binitatem dispescendam.

LI. Et ab hac, *una indivisa actio* Eucharistica, ad *unam refectionem* Spiritualem ordinata, dependet. Et proindè non binitas: sed unitas Sacramenti.

LII. *Secundò* huc facit, quòd in parte institutionis posteriore apud Matthæum & Marcum additur *universalitas nota* OMNIS: *Bibite ex hoc OMNES:* apud Marcum item universalis hujus Mandati executio mox interseritur: *Biberunt ex eo OMNES. cap. 14, 23.*

LIII. Bellarminus futili exceptione restringit hæc ad solos Apostolos, quos pro Sacerdotibus habet, insana ψευδοπροφήτα Missaticis. *lib. 4. de Sacram. Eucharist. cap. 25.*

LIV. Sed multò major est textus Evangelici evidentia, quàm Sophistæ Papistici impudentia.

LV. CHRISTUS enim in Sacra illa actione partes *Cœnam Administrantis:* Apostoli verò vicem & partes *Cœnam-Sumentium*, sustinebant.

LVI. Et ubi quæso pro reliquis etiam Christianis Cœna instituta, si hîc tantùm pro Sacerdotibus, siquidem par ratio quoad priorem Cœnæ partem.

LVII. An in Diversorio (e) Emauntico? sed ubi hîc CHRISTI

manda-

mandatum & Ordinatio, ubi Cœnæ Eucharisticæ materialia? ubi, ut uno verbo dicam, Sacramenti substantialia?

(e) *Luc. cap. 24, 30.*

LVIII. *Tertiò* accedit, quòd Apostolus toti Ecclesiæ Corinthiacæ, Institutionem Cœnæ Dominicæ proponit & religiosissimè commendat. *1. Corinth. 11, 23.*

LIX. Quòd Jesuita excipit: solùm ostendi ibi: quòd communicatio sub utraq; specie sit libera: *non* autem quod sit *necessaria*: id verò in mandatum & institutionem CHRISTI contumelioşum est, simulq; comprobat istud *Luc cap. 7.*

Iustificata est Sapientia à filijs suis.

LX. *Quartò* eôdem collimat mandatum CHRISTI, *Hoc facite*, quod ut genus, refertur ad illas actionum *species*, quas in paragrapho proximè præcedenti præceperat, verbis *Accipiendi, edendi, bibendi.*

LXI. Et sanè licet illud præceptum à Luca positum post priorem duntaxat Cœnæ partem: Illud tamen à Paulo posteriori etiam ejus parti subjunctum legitur.

1. Corinth. 11, 25.

LXII. Vana proinde est & inanis Exceptio, quam hîc Jesuitæ ex Luca nectere allubuit.

LXIII. Nolumus plura accumulare Fundamenta *ἀναστευαστικὰ*: sufficiant hæc, quibus ostendimus, pugnare *ποτηριοκλεψίαν* cum Scriptura, & proinde impiam & notorio mendacio infamem esse, isthanc Synodi Tridentinæ sententiam.

Sancta Synodus declarat & docet nullo Divino mandato Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraq; specie sumendum.

Sess. 21. cap. 1.

LXIV. Quod argumentum ut pleniùs pertractetur; proceden dum nobis ad ea, quæ Bellarminus è Scriptura corradit *ποτηριοκλεψίας* sacrilegæ fulcra *καταστευαστικὰ*, quibusq; sententiam Synodi Tridentinæ jam recitatam probare nititur. *καταστευαστικὰ Bellarmini.*

LXV. *Primò* figuras quasdam affert. R. Augustinus: *1.* Figura nihil probat. 2. Adhæc si figuris stabiliri potest una species; eâdem utiq; facilitate stabiliri posset utraq; species iridem figuris, inter quas maximè excellit illa de Melchisecho. *1.*

Gen. cap. 15, 18.

2. LXVI. *Secundò* confugit ad *cap. 6. Iohan.* ubi quatuor vicibus mentio facta cibi absq; potu.

LXVII. R. In eo cap. non de Sacramentali: sed de Spirituali corporis CHRISTI manducatione agitur. Itaq; ἀπροσδιονύσως huc transfertur.

LXIIX. Adde quòd non cibi saltem: sed potus etiam mentio inibi fiat, una cum cibo quatuor vicibus.

LXIX. Quòd autem crebrior fit mentio cibi quàm potus, dependet à miraculo in proximè præcedenti historia edito non in potu cujus nulla: sed in cibo vel panibus, quorum summa penuria.

3. LXX. *Tertiò* obsoletum illud apponit Luc. cap. 24. quod CHRISTUS in diversorio Emauntico, fregit panem, de quo paulo antè. Et sanè dicitur CHRISTUS agnitus non ἐκ τῆς κλάσεως: αἰλιολογικῶς: sed ἐν τῇ κλάσει χρονολογικῶς.

4. LXXI. *Quartò* arripit id, quod *Act. cap. 2, 24.* de fractione panis annotatum: At iterum μηδὲν πρὸς ἔπος. Quod enim κλάσις ἄρτου ibi idem, quod μετάληψις τροφῆς, cuivis legenti obvium è v. 46.

LXXII. Tantum etiam de hoc Problemate: Videatur Lutherus *Tom. 4. Ien. fol. 321. Tom. 3. f. 514., 529. Tom. 6. f. 101.* superlunt adhuc *duo*, de quibus itidem quam brevissimè.

PROBLEMA. IX.

An panis in Sacra Synaxi cum alio elemento permutari licitè possit, & utrum ἄζυμα vel fermentatus usurpari debeat.

LXXIII. Duo in hoc Problemate quæruntur: *Prius* est, *de pane ipso*, num cum alio elemento permutandus: *Posterius* verò, de *panis qualitate*, utrum videl. ἄζυμα vel fermẽtatus usurpari debeat nec ne.

I. De priori parte Problematis.

LXXIV. *De priori.* Apud omnes verè Christianos in confesso est, in usu Cœnæ Dominicæ panem adhibendum, neque illum alio permutandum elemento, sicut nec vinum.

LXXV. Hæc namq; illius sunt μέρη ὑποθῆκαι καὶ συμπλοκαί, quæ si quis verteret: ipsum hoc sanctissimum Altaris Sacramentum everteret.

LXXVI. Sacrilegium igitur est extremè hæreticum, quòd Beza cohortis Sacramentariæ Antesignanus scribere non veretur.

Vbi panis aut vini vel nullus est, vel nulla certo tempore copia, num cœna

Domini

Domini nulla celebr. bitur? Imò ritè celebratur, si quod panis aut vini vicem, *vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Epist. 2.*

LXXVII. Et quod Gvilhelmus *Bucanus* Bezam imitatus diserte affirmat:

In ijs regionibus, ubi panis, quem nos habemus, desit, & vinum habere nequeat, cum mente Christi convenire, ut in ijs terrenis alimentis & cibis corporalibus *utantur, quibus omnes homines pro pane & vino, cibo & potu utuntur; & factum Innocentij octavi probat, quod, Volaterrano teste, Norvegianis concesserit, ut mysticum calicem consecrarent ex mulso.*

LXXVIII. *De posteriori ἔξοχον* illius Mysterii *Φειδωδεστάτῳ* CHRISTUM in primæ Cœnæ *Νυκτὶ ἐξ*, panem *ἄζυμον* adhibuisse, extra omnem dubitationis aleam positum est. 2. De Posteriori.

LXXIX. Celebravit enim illam in diebus (n) *τῶν ἀζύμων* festum agni Paschalis. Quo tempore (o) non alius panis, quam *ἄζυμος* apud Judæos in usu erat.

(n) *Matth. 26, 17.* (o) *Exod. 12, 8. Lev. 23, 7.*

LXXX. Idem quoq; Græcas Ecclesias à tempore Apostolorum observâsse, panemq; *ἄζυμον* in Ecclesia usurpâsse, perhibetur.

LXXXI. Et licèt *anno* CHRISTI 1054. Michael Episcopus Constantinopolitanus panis azymi abrogationem tentârit: victo tamen Niceta, Monacho Constantinopolitano, abrogationis istius propugnatore (ab Humberto Monacho Lotharingo, in disputatione, ad quam a Pontifice Constantinopolin Româ ablegatus erat) usus panis azymi in Ecclesia retentus fuit, sicut testantur (p) Scriptores non ignobiles.

(p) *Rup. Tuicensis. de div off. lib. 3 cap. 22.*
Petrus Cluniac. lib. 5. epist. 16. Hist. Magd. cent. 11. cap. 9.

LXXXII. Latinæ autem Ecclesiæ aliquandiu fermentato pane fuerunt usæ usque ad Alexandrum I. Pontificem à Petro VII. *juxta Plantinæ & Onuphrij numerationem.*

LXXXIII. *Iste primus omnium instituit, ut oblatio ex azymo, non fermentato (ut antea consuevit) fieret pane,* teste Polyd. *Vig. lib. 5. cap. 10.* verbis jam allegatis.

LXXXIV. Atq; hic mos ad hodiernum usq; diem, in Ecclesijs etiam nostris, retentus fuit.

LXXXV. Ut igitur quæstio de panis sacri qualitate perspicuè & distinctè decidatur, *geminam* ponimus ἀπόφανσιν.

LXXXVI. I. Panis in cœna usus, ratione qualitatis, est ex numero τῶν ἀδιαφόρων, καὶ ἐν τῷ μέσῳ κειμένων (sicut à Nanzianzeno nominantur,) ἐν οἷς ἂ δεδήλωται ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ. 1. Cor. 7, 15.

LXXXVII. Qua in parte nobis suffragantur etiam nonnulli (q) proceres ex Senatu Zvvinglio-Calviniano.

(q) Beza. Epist. ad quosdam Anglicarum Ecclesiarum fratres. *Panis azymus ne sit, an fermentatus non magnopere putamus laborandum.* *Musc. in Loc. com. fol. 348.* Beuml. *contra Synopsin. fol. 299.*

LXXXVIII. Detestamur itaq; ἐριθείαν illam inter Latinos & Græcos, olim tam acerbâ agitatam contentione, ut illi istos *Azymitas*: isti verò illos *Fermentarios* odiosè cognominârint, sicut annotavit Algerus (Monachus Corbeiensis) citatus in *Hist. Magd. cent. 11. cap. 5. de hæresibus.*

LXXXIX. Multò autem rectiùs respondit Episcopus græcus in Concilio Florentino. A. D. 1439. celebrato:

De pane sive azymus sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet.

XC. Neque illis ex Carolstadij posteris sapientiæ Theologicæ laudem tribuere possumus, qui panis non fermentati usum simpliciter damnant, fermentati autem usum quasi summè necessarium, nimis rigidè & obstinatè urgent.

XCI. Sicut necistud Toleti: Lib. 5. Instruct. Sacram. cap. 25. *DEBET esse azymus panis, hoc est, absq; fermento in Ecclesia Latina; in Græca verò cum fermentato: adeò quod peccaret mortaliter Latinus consecrans in Azymo; quia quisq; Ecclesiæ suæ consuetudinẽ tenetur observare.*

II. XCII. Præferimus tamen panem ἄζυμον, propter exemplum Domini maximè ἀξιομίμητον, præsertim cum hæ accedant rationes.

XCIII. 1. Ἄζυμος enim panis Symbolon est corporis CHRISTI (s) fermento peccati nullatenus polluti, sed planè plenèq; ἀμιάντου; in cujus rei typum (t) præcepit DOMINUS per Mosen, ut omnis oblatio fieret absq; fermento.

(s) *Heb. 5, 15. cap. 7, 26. Lev. 2, 11.*

XCIV. 2. Idem esse potest ἐνθύμημα sinceritatis cordium necessariæ ad dignam & salutarem perceptionem Cœnæ Dominicæ,

in

in qua nobis ὄντως apponitur (u) ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου cujus (x) σκιὰ fuit agnus ille Paschalis in V. T. cum pane azymo comedi solitus.

(u) *in Canon. cone. Nic.* (t) *Exod. 12, 8. 1. Cor 5, 7.*

XCV. Et quanquam noster ἄζυμος non est communis, si quotidianum respicias *familiæ victum*: communis tamen dici debet ac potest, si *communem Ecclesiæ* spectes *usum*.

CXVI. Quanquam autem panes nostri minutiores aut nummulari, sicut à Gregorio Magno appellantur, exiguæ sunt *quantitatis*: sunt tamen ratione substantiæ & *quidditatis* verus & merus panis, adeoq; vim etiam quandam nutriendi obtinent.

XCVII. Pinsuntur enim ex farina cum aqua subacta.

XCIIX. Neque quantitas quicquam substantiæ panis vel addit vel adimit. Mica siquidem panis æquè est panis; atque ingens ejus massa, ut etiam Philosophiæ tyrunculis est notissimum.

XCIX. Omnino igitur Sycophanticum est, quod adversarij panes nostros (c) *spumas* tantùm & *nebulas* panis vocare non erubescunt; siquidem illi à spuma differunt, omnibus quatuor causarum generibus; *1. efficiente. 2. Materia. 3. Forma. 4. Fine.*

(c) *Beuml. contra Synopsin. fol. 300. itemq; Iodocus Naum & Marpurg.*

C. Et si quis est, qui tenuitatis & raritatis causas in placentulis nostris exigat: hæ dari possunt; ut videlicet *non tantùm in usum quotidianum* servari possint tutiùs, atque inter multos *minore* distribui *incommodo* & *periculo*: verùm etiam, ne credatur, panem illum ventri alendo aut corpori nutriendo esse destinatum.

CI. Contra quam opinionem profanam & improbam Apostolus gravissimam instituit dehortationem *1. Cor.* 11, 20. 21, 22.

CII. Atque huc collimat etiam Canon ille Concilij Niceni: *Non multum sumimus, sed* parum, *ut agnoscamus* non ad saturitatem: *sed* ad sanctificationem *hæc sumi.*

X. PROBLEMA.

An necessarium sit, ut minister verbi in ipso Cœnæ actu, panem integrum solenniter in particulas confringat, & quidem eo fine, ut per hanc panis fractionem corporis CHRISTI fractio vel crucifixio repræsentetur.

CIII.

Affirmativa Sacramentariorum.

CII. Sententiam *affirmativam* tuentur, & in Ecclesiis suis observant (y) Sacramentarij, nec verentur apertè affirmare, confractionem panis esse partem Cœnæ principalem & essentialem, eamque ad repræsentationem crucifixionis CHRISTI, tam necessariam, ut nullo modo vel mutari vel omitti possit.

Musculus L. C. fol. 364.

Bez. Epist. 1. Guilielmus Bucanus lib. 48. de Cœna.

Beumlerus contra Synopsim fol. 392.

Angelocrator Abweiser *fol.* 4.

Lib. Marpurg. cui tit. Kurtzer vnd Schrifftmeßiger bericht vom Brod brechen. &c,

Anatomia pag. 9. 11, 28.

Negativa Lutheranorum.

CIV. Nos autem γνησίως *Lutherani* ζητεμένυ istius partem *Negativam* defendimus, adeoq; diserte profitemur, confractionem panis in particulas, in ipsa publica Cœnæ actione, non esse necessariam; idque subsequentes docent & evincunt rationes.

Rationes Negativæ VI.

CV. I. Ritus iste non est à CHRISTO mandatus.

CVI. II. Modus τῆς δέτυλασίας à nullo Evangelistarum fuit explicatus. Quod omnino fieri oportuisset, si exemplum CHRISTI necessariò foret imitatione exprimendum; vel si aliquid mysterij in illa ceremonia lateret.

CVII. III. Ritus iste communi totius Ecclesiæ consensu non est comprobatus.

CIIX. IV. Novus ille τῆς δέτυλασίας ritus jam dudum ab ipso Calvinistarum Coryphæo non inter necessaria: sed inter adiaphora vel non. necessaria fuit relatus.

Beza Epist. 2. & in lib. quæst. & respond. quæst. 194.

CIX. V. Ritus iste nullum habet usum vel finem, ob quem à novis istis Correctioribus fuerit excogitatus.

CX. VI. Est eò directus, ut vera & essentialis corporis Dominici in Cœna *præsentia* commutetur in nudam & umbratilem *repræsentationem.*

CXI. Quæ omnia διεξοδικῶς proposita & expositа in disputatione nostra de Fractione Panis; Quò Lectorem φιλομαθῆ, brevitatis studio, remittimus.

DE

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS SECUNDAE:
Problemata I. II. III. IV.

RESPONDENTE
DANIEL SPALCHHAVERO
Rostochiensi.

Ad diem 14. Decembris horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA

An promiscuè quivis ad Cœnam admittendi, absq; ulla prævia institutione, & exploratione, qualis in nostris Ecclesiis præmitti solet in Confessione privata.

PROPOSITIO I.

IN prima hactenus Decade proposita & exposita sunt partim *Generalia*: partim *Specialia*, de Cœna DOMINI Problemata.

II. *Generalibus* iterum *partim συρράξεως* Eucharisticæ sublimitas: *partim & τῦ ῥητῦ* verborum Cœnæ perspicuitas: *&* essentialis corporis ac Sanguinis CHRISTI, in usu ejusdem, præsentiæ realis veritas, fideli studio vindicata fuit. μετάβασις,

III. *Specialia* spectârunt *Causam Cœnæ materialem*, quæ *duplex*: *Ex qua, & Circa quam*, vel *Objectum* potius aut Subjectum *cui*.

IV. *Materia* ex qua partim *cœlestis* est partim *terrestris*. De utraque in proxima velitatione, *quatuor* Problematis.

V. Succedit *materia circa quam*, vel *Objectum* aut *Subjectum cui*, de quo itidem, hac vice, *quatuor* ventilanda nobis Problemata.

VI. Inter hæc, generalitatis nomine, primum meretur locum istud, de prævia institutione & exploratione, qualis in nostris Ecclesijs præmitti solet, in Confessione privata. ἐυταξία *Lutherana*,

VII. Accessuri enim ad sacram Synaxin suam edunt Confessionem coram Ordinario Ecclesiæ Ministro, petentes absolutionem specialem; atque hac sane occasione, examinantur de ijs, quæ fidem & partim eam vitam eorum spectant; quæ res nihil aliud,

quàm utilis προγευσυὴ δοκιμαστικὴ, ad dignam Cœnæ Dominicæ perceptionem.

ἑτεροξία Zvvinglio-Calviniana.

IIX. Utile hoc piumq; instituтum, *Zvvinglius* Tiguri, unâ cum privatæ confessionis & absolutionis ritu, ex Ecclesia omninò eliminare & proscribere non erubuit. *A. C. 1523.*

IX. De qua mutatione Lodovicus *Lavatherus* Theologus & Historicus Helvetius:

fol. 14. p. 2. c. 14. de tribus Eccl. Tigurinæ:

Privatam Confessionem & absolutionem Tigurina Ecclesia non retinuit: quia caret præcepto & exemplo Scripturæ. Contenta est publica illa Confessione, quæ ab omnibus, ministro præeunte, soli Deo fit.

X. Eandem ἀταξίαν Zvvinglianam Lutheranæ ἑυταξίᾳ surrogare conati sunt Quidam Ecclesiæ *Francofurtensis* ad Menum *Ministri*, Magistri illius sui atro spiritu incitati.

XI. Quibus inauspicatis conatibus Theander Lutherus Scriptum opposuit acre & nervosum, quod habetur *Tom. VI. Ienen. f. 105.*

" XII. Quid Calvinus alter ille Gentis Sacramentariæ Patriarcha, de isthoc salutari nostrarum Ecclesiarum instituto judicaverit: haud obscurè ipsemet innuit, *indiscriminatim* affirmans: *Confessionem & absolutionem privatam è fœtidis Antichristi Romani lacunis originem suam habere, & ab ipso Diabolo invectam esse in Ecclesiam.*

Defens. II. contra VVestph.

Rationes quatuor.

XIII. Sed tempus est, ut expediamus rationes, quibus institutum istud pium nititur, ut & amici & inimici intelligant, nihil hac etiam in parte ἀναπολογήτως fieri.

XIV. *Prima* ratio est, quia illud facit ad δοκιμασίαν illam, usui Cœnæ necessariò præmittendã; tum *Accipientis*: tum *Dantis* respectu.

XV. Et *Accipientis quidem* ex præcepto Apostoli *1. Cor. 11, 28.*

XVI. *Dantis* verò, ex præcepto CHRISTI, *ne dent sanctum canibus &c. Matth. 7, 6*

XVII. Cui respondet hæc Orthodoxæ Antiquitatis:

Cypr. lib. 2. de doct. Christian. c. 40.

Non tantùm is reus est corporis & sanguinis CHRISTI, qui indignè sumit: sed etiam is, qui sciens volensq; indignis porrigit.

NB.

Chrysost. Hom. 83. in 26. c. Matthæi:

Occidi me potiùs patiar, quàm hæc manus Dei contemtoribus judicatis, sancta DOMINI porrigat.

Secundò

XVIII. *Secundò* quia illud non exigua est pars illius ἐυταξίας & ἐυχημοσύνης tantopere nobis commendatæ ab eodem Apostolo 1. *Cor. 14. vers. ult.*

XIX. *Tertiò* accedit autoritas Augustanæ Confessionis, cujus Calviniani hodie se socios esse magna verborũ pompa, sed falsissimè, gloriantur.

XX. Ibi enim Protestantes non in genere duntaxat profitentur, *quòd ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possint, ut prosint ad tranquillitatem* & BONUM ORDINEM in Ecclesia: Sed in specie etiam confirmant isthunc παιδαγωγίας vel γυμνασίας καταχητικῆς, ritum.. *Artic. XI. XV. XX.*

XXI. *Quartò*: Quia abrogatio & intermissio istius προδιδασκευῆς, apud Zvvinglianos ex falso & impio dependet principio, è doctrina nimirum abominabili, de ἀπουσία corporis & sanguinis CHRISTI in Cœna, & insuper horrendam pestilentissimamque parit in Ecclesia ἀταξίαν.

XXII. Unde graviter & non absque Zelo planè Heroico Lutherus, in scripto paulo antè nominato.

Tom. VI. Jen. Germ. f. 109.

Wol ist das wahr / wo die Prediger eitel Brot vnd Wein reichen für das Sacrament / da lieget nicht viel an / wem sie es reichen / oder was die können/vnd gleuben / die es empfahen. Da frist eine Saw mit der andern / vnd sind solcher Mühe billich vberhaben/ denn sie wollen Wüste Tolle Heiligen haben/dencken auch keine Christen zuerzichen/ sondern wollens also machen / daß vber drey Jahr alles verstöret sey/weder Gott noch Christns/ noch Sacrament / noch Christen mehr bleiben. Aber weil wir gedencken Christen zuerziehen/vnnd hinder vns zu lassen/ vnd im Sacrament Christus Leib vnnd Blut zureichen / wollen vnnd können wir solch Sacrament niemand geben / er were denn zuvor verhöret / was er vom Catechismo gelernet/vnnd ob er wolle von Sünden lassen/ die er darwider gethan hat. Denn wir wollen aus Christus Kirche nicht ein Sewstall machen/ vnd einen jedern vnverhört zum Sacrament / wie die Sewe zum Troge lauffen lassen/solche Kirchen lassen wir den Schwärmern.

XXIII. *Quintò*, quia Zvvingliani non omnes hac in re suo Præceptori Zvvinglio sunt ὁμόψηφοι: sed aliqui evidentiâ veritatis adacti & adducti diversum sentiunt.

XXIV. Sistimus, qui plurium instar esse potest, Theodorum *Bezam*, qui apud homines hodie Calvinianos in summa autoritate.

XXV. Ita verò iste non minus piè, quàm verè:

In III. Vol. Oper. fol. 228.

Epist. 20.

Deinde, etsi fides, cujus domicilium, & sedes est in animo, nunquam possit signis externis penitus certis cognosci propter hominum hypocrisin, tamen non frustrà commendata est, & semper in Ecclesiis benè constitutis observata oris confessio, idq; tum ipsius Pastoris Sacramentum administrantis, tum oris illud recipientis causa.

Nam quod ad Pastorem attinet, danda est illi etiam atq; etiam opera, tum ut canes & porcos, id est, manifestos pietatis hostes, tum ut horum mysteriorum ignaros, ac proinde fide destitutos à veris Dei filijs sive credentibus, quantum quidem in se est, distinguat. Nullum autem est certius hujus rei examen, quàm si singuli, interrogati de ijs, sine quibus fides esse nulla potest, sic Pastori satisfaciant, ut illos bona conscientia judicare possit, satis aptos & idoneos esse ad sui ipsorum probationem, sicut inquit Apostolus. Probet autem unusquisq; seipsum. Quid si verò, dicet aliquis, hypocritica & simulata sit responsio? Nempe nihilominus functus erit suo munere Pastor, Dei enim unius est arcana illa cordis scrutari & judicare.

Responsio ad criminationē Zvvinglio-Calvinianam.

XXVI. *Ceterùm*, quòd ritum hunc utilissimum fermenti Papistici nomine suspectum & despectum reddere student: ad id jam olim respondit Mysta θεολλωσοπυρσόσευτος Lutherus, distribuens Confessionem privatam in *duas* partes συζυπικὰς, quarum una spectet *Legem*, altera *Evangelium*. *Tom. VI. Ien. f. 108.*

XXVII. Ad *Legem* spectare dicit peccatorum Enumerationem vel Confessionem specialiter sic dictam, quæ vel *coacta* vel *libera* à *coactione*.

XXVIII. *Coacta* est psychotyrannis illa Pontificia, quâ coguntur ad unum omnes ad Sacram Synaxin accessuri post acuratam examinationem singula & universa peccata, secundùm omnes

cujusque

cujusque circumstantias, præcisè enumerare, idque sub discrimine veniæ ac salutis.

Vide Catech. Rom. f. 319, 320, 321.

XXIX. Ab hac Psychotyrannide & carnificinia conscientiarum in libertatem nostras asseruit Ecclesias, Dei beneficio, Lutherus; in qua etiam adhuc fixo pede stamus, certi & gnari, quod ejusmodi peccatorum ἐξαχείβωσις, non tantùm in censu τῶν ἀδυνάτων: sed etiam in classe τῶν ἀγενφίων, imò ἀνπγενφίων. ψ. 19,15. *Matth. 9, 2. Luc. 7. 48.*

XXX. Quæ enim (a) Bellarminus, è Scriptura affert, planè sunt ἐπεφγενῆ & ἀλλότρια. Non enim de *Sacramentali* confessione, ut ipse loquitur, agunt: sed (præterquam quòd, ipso Jesuita fatente, pleraque omnia figuris saltem constant, & propterea ad probandum invalida) *partim* de confessitone, quæ ipsi Deo fit *immediatè*, sive *publicè* & ἔξωθεν coram cætu Ecclesiæ, sive *privatim* & ἔσωθεν: *partim* de ea, quæ fit *Ministro Dei*, sed absque coactione & duntaxat *in genere*. (a) *lib. III. de Pœnit. c. 3. & 4.*

XXXI. Eâdem ἐπεφγενείας & ἀγνοίας ἐλέγχῳ Sophisticatione veritatis lucem obscurare sudat, in sequentibus Disputationis suæ capitibus, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ubi *partim* è conciliorum decretis: *partim* ex Patrum testimoniis θέσιν φυλάττειν singulari studio laborat.

XXXII. Ibi enim easdem confessionis species, sicut & (b) ἐξομολόγησιν *fraternam*, itemque ἐξομολόγησιν *Ecclesiasticam* vel *ordinariè* vel *extraordinariè* fieri solitam, aliasque species, de quibus eruditè ac scitè (c) Chemnitius, temerè confundit cum illâ, quam Pontificij *Sacramentalem* sive *articularem* vocare consueverunt.

(b) *Iacob. c. 16.* (c) *Ex. Conc. Trid. in Disp. de Conf.*

XXXIII. De *hac* & *non de illis* inter nos & Romanenses disceptatur. Hic Rhodus est, in qua saltandum Jesuitæ; Si Romanæ Thaidi placere voluerit.

XXXIV. Quæ *cap 3 lib. 3. de Pœnit.* declamatoriè disputat, de officio præconum Verbi *judiciali*: ea planè ruinosa sunt & malè materiata.

XXXV. Quòd enim Ministri Ecclesiæ à DEO constituti sint Judices, quibus in Conscientias suorum Auditorum inquirendum, quo demum Scripturæ apice probaverit?

XXXVI. Soli DEO τῷ καρδιογνώστῃ jus istud(d)competit, sicut(e) & jus condonandi peccata. Contra hunc (f) enim solum illa propriè designantur.

(d) 1. *Reg. c. 8, 39. Ier. c. 17, 10. Ioh. c. 2, 25. 1. Cor. 2, 11.*

(e) *Exod. c. 34, 7. Mich. 7, 18.* (f) *Psal. 51, 6.*

XXXVII. Ministri autem Ecclesiæ sunt tantùm DEI *Dispensatores* & Præcones, judicia ipsius annunciantes.

2. Cor. c. 4, 2. 2. Cor. 5, 19. 20.

XXXIIX. Et huc sanè spectant CHRISTI axiomata, à Jesuita allegata. *Matth. 16, 19. c. 18, 18. Ioh. 20, 23.*

XXXIX. Et hactenus de *coacta* Romanensium Confessione, quæ, auspiciis B. Lutheri in nostris Ecclesijs meritò abrogata: eique surrogata *Confessio libera*, (à coactione) qua accessuri ad Cœnam DOMINI sua confitentur peccata Ministro Ecclesiæ in genere, &, si ita visum, in specie etiam ea, quæ maximè gravant conscientiam, eorumque, si ita necessum, in studio pietatis profectus explorantur.

XL. Quæ res usque adeò Sacris non repugnat literis, ut exemplis illarum planè sit analoga.

2. Sam. 12, 13. Psal. 51, 2. 7. Matth. 3, 6.

XLI. Neque demum sub Papatu ab Antichristo Occidentali Ecclesiæ demandata: sed jam olim authoritate orthodoxorum Patrum nobis commendata.

Cypr. lib. 5. Epist. 14. 16. &c. Basil. quæst. 188. Hieron. in Matth. c. 16. & Eccl. c. 10. Ambros. Trip. lib. 9. c. 30. Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio, Augustinus lib. de Visit: infirmorum lib. 2. Epist. 188.

XLII. Et tantum de *Enumeratione peccatorum* vel Confessione *specialiter* sic dicta, quam ad *Legem* refert Lutherus.

XLIII. Ad *Evangelium* verò idem refert posteriorem Confessionis *generatim* sic dictæ *partem*, *Absolutionem* puta *privatam*, quæ & ipsa (g) Scripturæ exemplis analoga, suasq; habet utilitates maximas, de quibus egregiè Lutherus, in Sermone de Confessione, in Postilla Ecclesiastica: Nos inde huc saltem hunc paragraphum annotamus:

In der Predigt fleugt es in gemein dahin/vnd wiewol es dich auch trifft / so bistu sein doch nicht so gewiß. Aber hie (im Beicht-

Beichtstuel) kan es niemand treffen/denn dich allein. Solte stu aber nicht hertzlich fro werden/ wenn du einen ort wüstest/ da Gott mit dir selbst reden wolte? Ja wenn wir einen Engel möchten hören/ so würden wir wol biß an der Welt Ende lauffen. Seind wir aber nicht tolle/elende vnd vndanckbare Leute/die wir nicht hören/ was man vns saget? Da stehet die Schrifft vnd bezeuget/das Gott durch vns redet/vnd das es ja so viel gilt/als wenn er es mit seinem Munde redet. (g) *Mtth. 9, 2. Luc. 7,48.*

XLV. Legendo percurratur integer Sermo, itemque alia Lutheri scripta, de eodem argumento evulgata.

Tom. I, Ien, Germ. Vnterricht der Beichtkinder. *fol. 397.*
Eod. Tom. f. 435. Sermon. Von wirdiger empfahung des Hi. wahren Leichnam Christi.
Tom IV. Ien. Ger. Vnterricht der Visitatorn/ *sub tit.* Von der rechten Christlichen Beicht. *fol. 342.*
Tom. VI. Ien. f. 105; in Epist. ad Senatum Francofurtensem superiùs allegata.
Tom. VII p. 369. in Scripto ad Senatum Norimbergensem.

II. PROBLEMA.

Num illi, de quorum dissensu in doctrina publicè constat, vel de consensu dubitatur, admittendi sint ad usum Sacræ Synaxeos?

XLV. *Duo* in hoc Problemate continentur; *Vnum* respicit eos, de quorum *dissensu* in doctrina *constat*; *Alterum* verò eos, de quorum *consensu dubitatur*. De utrisque succinctè & distinctè disserendum. I. *De priori classe.*

XLVI. De quorum dissensu publicè constat; ij in *duplici* sunt differentia: Vel enim *Dociles* sunt & *Seducti*: vel *indociles ac præfracti.*

XLVII. *Dociles* & *Seducti* leniùs tractandi sunt, & cum Spiritu mansuetudinis rectius informandi, & ad agnitionē Veritatis diligenter exhortandi, secundum institutionem Apostlicam.

Rom. c. 14, 1. c. 15, 1. Galat. 6, 1.

XLIIX. Quòd si, post præviam institutionem, promiserint studium veritatis, à Mensa DOMINI arcendi non sunt, exemplo Apostoli, in casibus aliquàm similibus. *1. Cor. 9. & c. 10.*

XLIX.

XLIX. Et nota optimæ notæ ejusdem sententia, quâ testatur sibi alijsque θεοδιδάκτοις à DOMINO datam ἐξουσίαν, εἰς οἰκοδομὴν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν Auditorum. 2. Cor. 10, 8.

L. *Indociles* verò & *præfracti* duriùs tractandi sunt, observatis tamen gradibus Admonitionum, de quibus *Matth. cap. 18, 16. 17.*

LI. *Primus* cujusque loci pastori; *secundus* toti illius loci Ministerio, vel Superintendenti: *tertius* Synedrio Ecclesiastico competit.

LII. Quòd si tales, neglectis omnibus ac singulis admonitionum gradibus, nihilominùs in errore suo obstinati perstiterint: non modò ad Sacram Synaxin admittendi non sunt: sed, si insuper vel alios seducere; vel certè errorem suum cum offendiculo Ecclesiæ defendere, vel sinceros Ecclesiæ Doctores conviciis proscindere ausi fuerint, excommunicationis pœna afficiendi sunt, de cujus processu, *in Constitut. Eccl. Elect. Saxon. in Art. Gen. tit. XI. m. f. 824.*

Rationes VI. LIII. *Rationes* robore validissimæ, pondere gravissimæ in promptu sunt. Assignamus saltem, ὡς ἐν τύπῳ, præcipuas.

LIV. 1. Severum CHRISTI *interdictum* (g), ne *sanctum detur canibus, neve margaritæ projiciantur porcis*; quales impuri non solùm quâ vitam: sed etiam quâ *fidem*; siquidem & (h) hæresis in Catalogo operum Carnis continetur.

(g) *Matth. 7, 6.* (h) *Gal. c. 5, 20.*

LV. 2. *Dehortationes* Scripturæ passim obviæ, ab ἑτεροζυγίᾳ, & κοινωνίᾳ cum ijs, qui à nostra religione & fide alieni *2. Cor. 6, 14. 15. 1. Thess. c. 5, 21. 22. Tit. 3, 10. 2. Ioh. vers. 11. &c.*

LVI. 3. Periculum *offendiculi* summopere declinandum *Matth. 18, 6. 7. Rom. c. 14, 13. 1. Cor. 9, 13.*

LVII. 4. *Sacramentorum* finis, qui inter alios & hic, ut videlicet sint Symbola fidei & confessionis Ecclesiæ, à qua, cum ἑτεροδόξοι abhorreant; quâ conscientia vel ab ipsis peti: vel à ministris orthodoxis illis dispensari potest Sacramentum Cœnæ?

LVIII. 5. *Lex* de non admittendis, ad esum Agni Paschalis, Gentilibus, nisi facti Proselyti, adeoque Sacramento Circumci-

sionis

sionis suscepto testificati, de consensu in doctrina ac religione Hebræorum. *Exod. c. 12,48.*

LIX. In locum autem Agni Paschalis, Sacramenti Veteris Testamenti, successit in N. T. Sacramentum ἀντίτυπον, Cœna DOMINI, sicut Circumcisioni Baptismus *Col. 2. 11.*

LX. *6. Exemplum Orthodoxorum* circa Arianos, allegatum in Præfatione Colloq. Mompelgartensi hisce verbis:

Et quidem in ea re Christianos Imperatores imitati sumus, qui Arianis, petentibus in communionem Orthodoxorum recipi, non prius postulatum suum concesserunt, quàm illi Orthodoxorum doctrinam approbarent: Tametsi ne ista quidem piâ vigilantiâ cavere potuerint, quin multi ore, & calamo aliud profiterẽtur, quàm corde premebant.

LXI. Et tantum ex *priori* Problematis membro, de ijs, de quorum *dissensu* publicè *constat*. Sequitur in *posteriori* membro, de ijs, de quorum *consensu dubitatur*. II. *De posteriori classe.*

LXII. Hi verò, antequam admittantur, privatim amicè examinandi sunt.

LXIII. Jam si de suo consensu ingenuè testificati fuerint: res plana est.

LXIV. Sin minùs, tractandi sunt, *vel* ut dociles, sit tales: *vel*, ut indociles, si itidem tales extiterint.

LXV. Consulatur de hac quæstione *Constitutio Ecclesiastica Elector. Saxon. Articul. gen. VIII. X. XI.* itemq; *Præfatio in Colloq. Mompelg. paulò ante citata.*

III. PROBLEMA.

An sacra Cœna etiam exhibenda infantibus ac pueris, antequam ad discretionis annos pervenerint.

LXVI. Hoc ut discutiendum proponamus ζήτημα, fit propter Causa θεσις Ἐπιφοδόξους tum *Veteres* tum *Recentiores*: partim propter *Rationem*, παρηλιὴ. quæ affirmativæ patrocinari videtur.

LXVII. Ἐπιφόδοξοι *veteres* fuerunt illi, qui, (i) referente *Cypriano*, infantes etiam ad societatem Cœnæ admiserunt.

(i) *in sermone de lapsis.*

LXVIII. *Augustinus* quoque non rarò dicit, infantes debere edere corpus DOMINI, si salvi futuri sint.

LXIX. Quod παράδοξον conatur efficere ἔνδοξον *Bellarminus* in hæc verba ſcribens:

Lib. I. de Sacram. Euch. c. 7.

Cæterùm non intelligit id fieri debere neceſſariò reipſa. Nam idem Auguſtinus ibidem, & lib. 3. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 4. Et in ſerm. ad infantes, quem citat Beda in comment. 1. Corinth. 10. ſcribit: Infantes in ipſo Baptiſmo communicare corpori Chriſti, & per ſuſceptionē Baptiſmi implere etiam præceptū de ſumtione Euchariſtiæ.

LXX. Forſan commodiùs diceretur: locutum eſſe Auguſtinum, non de Sacramentali: ſed *Spirituali* corporis DOMINICI manducatione, niſi conſtaret, non omnia Patrum apophthegmata eſſe SPIRITUS SANCTI Oracula, qualia in ſola Scriptura θεοπνεύστῳ.

LXXI. *Recentiores* ſunt *Huſitæ* in Bohemia ſic denominati à Johanne Huſſo, Anno 1415. Conſtantiæ exuſto.

LXXII. Hi eò temeritatis progredi ſuo more conſueti, ut infantibus etiam ſex ſeptimanarum, diebus purgationis puerperarum vix exactis, Cœnam porrigant.

LXXIII. Cui mori præpoſtero non parum faviſſe *VVolffgangum Muſculum*, Gentis Sacramentariæ Aſſeclam: apparet ex *L.C. f. 371.*

LXXIV. *Ratio* prætereà, quæ conſuetudini iſti patrocinari videtur, eſt, quòd, Sacramenta communia bona ac κειμήλια totius Eccleſiæ, cujus infantes & pueri membra nobilioris notæ, & flos quaſi Eccleſiæ.

LXXV. Accedit generalis CHRISTI aſſeveratio, qua Auguſtinus ipſe deceptus exiſtimatur. Joh. c. 6.

Niſi manducaveritis carnem filij hominis &c.

Negativa puriorum Eccleſiarum.

LXXVI. Sed noſtræ Eccleſiæ *Negativam tum* quo ad θεωρίαν tenent, *tum* quoad πρᾶξιν exercent, non præbentes pueris Euchariſtiam, donec ad annos diſcretionis pervenerint.

Ratio Analytica.

LXXVII. Ratio adſtat in procinctu, eaque planè ἀποδεικτικὴ. Requiritur enim ab Apoſtolo, ut uſuri ſacrâ Cœnâ ſeipſos probent. Quæ probatio, cum in puerulos, per ætatem, non cadat: rectè fit, quòd ab ea arcentur. *1. Cor. 11, 28. 29.*

LXXVIII. Addunt alij, ἐνθυμηματικῶς & ἐκ τῆς οὐσίας, & alia, ſed *Topica* potiùs quàm Analytica.

LXXIX. Præcipua ſunt, quod Baptiſmus Sacramentum *Initiationis*: Cœnæ autem *Confirmationis*.

LXXX.

LXXX. Et proindè Baptiſmus ad ſalutem ſummè neceſſarius *Ioh. c. 3. 3.* Cœna autem minùs, præſertim infantibus, quorum quippe fides minus eſt obnoxia tentationum fluctibus, atq; Adultorum; & proinde non æquè confirmationis indiga.

LXXXI. Adhæc in Baptiſmo renaſcimur: In Cœna a. paſcimur,

LXXXII. Naſci autem infantibus competit: ſed paſci non æquè.

LXXXIII. In Baptiſmo præterea acquiritur vita ſpiritualis: in Cœna autem hæc acquiſita cóſervatur ac nutritur, cibo ſpirituali.

LXXXIV. Sicut itaque infantes lacte nutriuntur non ſolido cibo: ita quoq; non dũ ſunt idonei ad perceptionem cibi ſpiritualis, vel Euchariſtici, qui ipſis, pro ætate & captu, *cibus* quaſi *ſolidus*, ſicut loquitur Apoſtolus ad *Hebr. c. 5, 12. 13. 14.*

LXXXV. Ubi etiam dicitur, quòd cibus *ſolidus non infantium ſed perfectorum*: Baptiſmus verò imperfectorum, vel eorum, qui *in CHRISTO rudes ad perfectionem ferri* debent *c. 6. 1. & 2.*

LXXXVI. Ceterùm, quòd Rationes attinet: in contrarium jam modò adductas: facilè ad *utramq;* expediri poteſt reſponſio. *Reſponſio ad Rationes.*

LXXXVII. Ad *priorem* per *limitationem*: ſunt enim & infantibus omnia Eccleſiæ bona vel κειμήλια, cum ceteris ejusdem membris, communia, ſed *ſuo modo, loco & tempore*, monente Apoſtolo, in Epiſt. ad *Corinth. capite & verſu* paulò ante allegatis.

LXXXVIII. Ad poſteriorem per *inficiationem*. In cap. *enim VI. Iohannis non* agitur de manducatione *Sacramentali*: ſed *Spirituali*, qua vita ſpiritualis infantium conſervatur; donec idonei evadant ad manducationem Sacramentalem, ad quam obligati ſunt non ἁπλῶς: ſed πῶς, id eſt ſub certa conditione.

IV. PROBLEMA.

An ad Cœnam etiam admittendi ſint Muti, ijq; qui rationis impotes?

LXXXIX. Eſt & hoc Problema *bipartitum*: In *priore* parte quæritur de *Mutis*: in *poſteriore* verò de ijs, qui *impotes rationis*. I. De *Mutis*.

XC. *Mutos* intelligimus eos, qui non tantùm loquelæ uſu: ſed auditu etiam privati; quæ συμπτώματα, propter cauſas naturales, plerunque conjuncta,

XCI. Accidit id vel *Naturâ* vel *Casu.*
XCII. *Casu* Muti & surdi facti: ij fundamenta ex auditu Verbi fidei *vel* jecerunt antea: *vel* nondum.
XCIII. De *illis* nullus dubitandi locus: & potest cum illis scripturâ agi, si legendi rationem calluerint.
XCIV. *De his* verò, sicut & illis, qui *naturâ* muti, in proclivi est dubitatio; siquidem auditus Verbi non capaces *Rom. c. 10, 18.*
XCV. Tenendum autem, quòd & hi non arcendi ab usu Cœnæ *simpliciter*, sed eò admittēdi, si acuratiori præmissâ exploratione, nutibus indicaverint suum utendi Cœnâ desiderium & amorem ardentissimum.
XCVI. Si item gestibus & præsertim digito in hostias intento, manuque & oculis in imaginem CHRISTI crucifixi devotè conjectis ac directis, fidem suam in CHRISTUM repræsentârint.
XCVII. Etsi enim *Ordinario* fidei medio, *ex accidente* sed, non absq; consilio DEI, (k) *qui muti etiam ac surdi opifex*, carendum: *extraordinariâ* tamen ratione DEUS in ipsis etiam fidem accendere & conservare potest ac solet. (k) *Exod. 4, 11.*
XCIIX. Adhortandi tamen sunt, ut diligenter visitent templum, Officinam SPIRITUS SANCTI, & Domum precationis, in quâ & ipsis sua, cum Ecclesiæ precibus, conjungenda suspiria, quæ preces & circa fidem efficacissimæ.

II. De ijs qui rationis impotes.

XCIX. De ijs, qui rationis impotes, quæstio itidem expediri potest, per distinctionem.
C. *Aut* enim *continuè durat: aut per intervalla cessat* illa impotentia.
CI. *Si continuè duret:* præberi nec debet nec potest talibus Eucharistia; eò quod in illos, perinde, ut infantes, propter impeditum rationis usum, non cadit probatio requisita ab Apostolo *1. Cor. 11, 28. 29.*
CII. Quando autem *per intervalla cessaverit* animi impotentia, & haud obscura probationis signa apparuerint: tum utique & talibus ultrò petentibus Cœna non debet negari.
CIII. Quod etiam à Ministris Ecclesiæ observari convenit, in morbis acurioribus, quæ delirium comitari solet.
CIV. Videatur Lutherus Tom. 1. Jen. Germ. in Serm. Von dem Newen Testament *Num. 39. fol. m. 339.*

DE

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS SECUNDAE:
Problemata V. VI. VII.

RESPONDENTE
PAULO WEISS:
Regiomon-Borusſ.

Ad diem 28. Decembris horis locoq; conſuetis.

I. PROBLEMA

An forma Sacramenti Euchariſtici conſiſtat in analogia & σχέσει inter ſignum & ſignatum.

PROPOSITIO I.

μετάβασις.

HActenus ea propoſita & explicata ſunt Problemata, quæ cauſam ſacratiſſimæ DOMINI Cœnæ *materialem* attingunt: ſequuntur ea, quæ ad *Cauſam*, ejusdem *formalem* referri poſſunt ac debent.

Opinio Sacramentorum.

II. Horum familiam ducit iſtud de analogia Sacramentali, quam Sacramentarij, pro ipſiſſima Sacramenti Euchariſtici anima, gloriosè venditare, quamque nunquam non pomposè admodum crepare ſolent.

Crellius in Categ. Rel. p. 46. edit. 7.

Sicut totum eſſe ſigni à ſignato pendet: ita totum eſſe Sacramenti à Sacramento: Sacramentumq; eſſe aliud nihil eſt, *quam ad Sacramentatum referri.*

Beza, Vol. VIII. fol. 360.

Maximè ac inprimis quidem illud quod ducitur ab eſſentiali & συστατικῇ omnium Sacramentorum forma, *quæ eſt in ſumma, ex ſigno & re ſignificata, ſive (ut loquitur Irenæus) ex re terrena & cæleſti conſtent.*

Keckerm. lib. 3. Syſt. Theol. c. 8.

Sacramentum eſt ordo *ſanctus, inter rem externam in ſenſus incurrentem & rem ſpiritualem,*

III. Quid verò Sacramentarijs proprie sit illa Sacramentalis analogia & χέσις, id Antistes eorum non postremus Beza jamdudum dedit explicatum;

III. Volum. oper. f. 557.

Metonymiam igitur Sacramentalem intellige, qua fit ut signum dicatur id esse, cui externis sensibus congruente analogia, & ex DEI *voluntate significando sic adhibetur, ut simul intellectui & fidei præbeatur res illa significata, verè ac reipsa spiritualiter recipienda & obsignanda.*

In Act. Colloq. Mompel. f. 163.

Non quæritur, quomodo in hoc Sacramento signa & res signatæ conjungantur? An ita, ut ubi est essentia signorum, ibi quoque sit præsens essentia rerum signatarum corporis & sanguinis Christi? Hic respondemus, illam conjunctionem sacramentalem non requirere, ut eodem loco, ubi sunt signa, ibi etiam res signatæ sint, sed sufficit, ut signa quandam χέσιν, id est, Relationem & habitudinem habeant ad illas res quas significant, repræsentant, & menti offerunt ac præbent. Hanc conjunctionem seu unionem nos χέσιν appellamus, seu relationem & habitudinem signorum ad res signatas.

Tria πρέσματα.

IV. *Tria* hinc colligimus, Doctrinæ Dipnosophisticæ ψευδόξα ψευδοξότατα.

V. 1. Sacramenta, & sic etiam Cœnam DOMINI pertinere ad Prædicamentum *Relationis, nihilq;* aliud esse quàm *relationem secundum esse.*

VI. 2. Relationem sive χέσιν istam aut ἀναλογίαν versari inter panem & vinum saltem, ut signa *significantia* ex *una*: & inter Corpus & sanguinem CHRISTI, tanquam *res significatas*, ex *altera* parte.

VII. 3. Hanc relationem sive χέσιν aut ἀναλογίαν, inter signa significantia & res significatas, esse *formam* Cœnæ essentialem.

Singulorum πρεσμάτων Confutatio.

VIII. Sed non sufficit hæc ἀποφαντικῶς allegare: sed oportet etiam nos ea ἀνασκευαστικῶς è Sacrario Veritatis ablegare; & quidem ordine singula.

IX. 1. Falsum est, quòd Sacramenta nihil aliud sint, quàm relationes, & proinde ad Relationis Categoriam pertineant.

X. Con-

X. Constat enim quòd sint factæ actiones, ideoque non ad Relationis, sed *Actionis* Categoriam referendæ.

XI. In cujus rei testimonium *non relationes, sed actiones* definiuntur, eorumque usus, extra quem non sunt Sacramenta, Verbis non *relationem: sed actionem* notantibus, in ipsa institutione, designatur, v. g. in Cœna: Verbis *accipiendi, edendi, & bibendi.*

XII. II. Falsum est, quod relatio sive σχέσις aut ἀναλογία versetur inter panem & vinum, saltem *ut signa significantia*: & inter Corpus ac Sanguinem CHRISTI tanquam *res significatas.*

XIII. Distinguendum enim inter signa σημαντικὰ & μεταδοτικὰ, sive *Significantia & Exhibentia.*

XIV. Etsi enim Patres Panem & Vinum Signa & Symbola corporis ac Sanguinis CHRISTI appellant: non intelligunt tamen nuda & pura tantùm Signa *Significantia*: sed *Exhibentia*; sicut testantur ipsorum sententiæ, quæ numero benè magno collectæ à *Philippo Melanchthone*, peculiari libello, ἐλεγκτικῶς obvertendæ ijs, quibus Philippi autoritas sacrosancta.

XV. Et quid moramur Patres hujus mortalitatis? (a) *Pater æternitatis* CHRISTUS cum tabulis Testamenti sui præstò est, suamq; circa institutionem Cœnæ, itentionem inde nobis proponens asserit, non propter τὸ σημαίνειν: sed propter τὸ παρεσΦέρειν, Sacramentum Cœnæ à se institutum esse. (a) Jes. c. 9, 6.

XVI. Panis enim & Vinum non ideo ordinata sunt, sicut Caro Agni Paschalis in Vet. Testam. ut saltem significent & repræsentent, corpus & sanguinem CHRISTI: sed ut hos (b) thesauros substantiales & *proprios Novi Testamenti* exhibeant conferantque ad mensam DOMIMI accedentibus.

(b) *Col. c. 2, 17. Heb. 1, 10.*

XVII. Huc enim tendunt enunciationes Cœlestis hujus Hospitis πάσης ἀποδοχῆς ἀξίαι *Edite: Hoc est corpus meum: Bibite; Hic est sanguis novi Testamenti. &c.*

XVIII. Quæ certè *non* sunt nudè σχετικαὶ, vel, *relativæ signorum panis & vini in terris, ad corpus & sanguinem CHRISTI in cœlis*, quæ Bezæ insania est & offania: sed *exhibitivæ* mediorum panis & vini in terris, cum corpore & sanguine CHRISTI illis Sacramentaliter unitis, itidem in terris, id quod pluribus demonstratum ἐξηγήσει *Probl. IV. Dec. II.*

XIX.

XIX. Jam ἐπιχειρηματικῶς quasi, hoc saltem Logicis Sacramentarijs expendendum proponimus, qua lege inter panem & corpus CHRISTI σχέσις signi ad signatum concedi possit, cum hoc de illo prædicetur in *casu recto*: non autem in *casu obliquo*, quo solo signatum de signo, & correlatum de relato prædicari possunt; siquidem relata ad unum omnia non ἕτερα sed ἑτέρων; sicut è vulgatissima Philosophi regula notissimum *in cap. de Rel.*

XX. Concludimus proinde panem & Vinum in sacratissima Eucharistia, non esse Signa propriè significantia: sed Media exhibentia & conferentia corpus & sanguinem CHRISTI.

XXI. Interim non negamus posse & solere illa etiam appellari significantia, eò quòd corpus & sanguis CHRISTI non immediatè exhibeantur: sed mediatè, & *figurâ* quasi panis & vini vestita ac velata.

XXII. Vide de hoc negotio plura, in Disp. de Baptismo Decad. I. Problem. IV. ubi ὁμωνυμία vocis signi & signati accuratè explicata.

IV. Argumenta contra formam Cœnæ Sacramentariam.

XXIII. Falsum denique est, quòd Relatio sive σχέσις aut ἀναλογία inter signa significantia & res significatas sit ipsissima Cœnæ DOMINI forma essentialis, id quod quatuor potissimùm argumentis ostendimus.

1. *Primum* ex verbis institutionis tale esto:

Quicquid non est fundatum Verbis institutionis: id pro forma Eucharistiæ haberi nec potest nec debet.

Atqui analogia Sacramentorum vel σχέσις illa significativa, non est fundata in verbis institutionis.

Ergo.

XXIV. Ratio nexûs in *Propositione* est; quòd omia σχετικὰ & essentialia Eucharistiæ in Verbis institutionis comprehensa.

XXV. Veritas Assumtionis eluxit ex discussione Problematis III. IV. VI. *primæ Decadis.*

2. XXVI. *Secundum* hoc stylo filoq; teximus.

Omnis forma largitur rei essentiam.

Atqui analogia & σχέσις illa non largitur essentiam Cœnæ DOMINI.

Ergò.

XXVII.

XXIX. *Major* τὸ χεῖον est ἀυτάπιστον. *Minor* indè manifesta est, quòd significatio illa, in qua analogia & χέσις Sacramentaria consistit; *non* est *principium* Sacramentum Cœnæ *constituens*: sed illius ex principijs suis essentialibus jam *constituti adjunctum consequens*. 2.

XXX. Panis enim & Vinum sunt signa corporis & sanguinis CHRISTI *non absentis* à Cœnæ actione *in cœlis*: *sed præsentis* & in actione Sacra cum Pane & Vino Sacramentaliter jam uniti in terris; aliàs expirat ratio inter signum & signatum, remoto è Cœna signato, & relicto ibi Signo non-Signo.

XXXI Id verò intentioni & institutioni CHRISTI repugnat, qua quipppe arctissimam signi cum signato sancijt unionem, è qua realis resultat κοινωνία 1. Cor. 10.

XXXII. Adde, quòd Symbola Eucharistica non nisi mediante actione, signant. Præsupponit igitur signatio actionem. Hæc verò forma est Cœnæ, quam quia signatio præsupponit & sic formam Cœnæ: quo jure ergo illa pro illa forma venditare' poterit?

XXXIII. *Tertium* hujus Syllogismi peplo involvimus:

Si analogia & χέσις illa Sacramentariorum significativa pro forma sacræ cœnæ recipienda: differentia inter Vetus & Novum Testamentum in Scriptura nobis summoperè commendata erit rejicienda. 3.

Atqui hoc est absurdum.

Ergo & illud.

XXXIV. Rationis consequentiæ in copulato veritas indè patet, quòd ἀντιθέσεως inter Vetus & Novum Testamentum, in eo maximè consistit, quòd in Sacramentis Veteris Testamenti Symbola externa tantùm fuerunt σημαντικὰ: In Sacramentis autem Novi Testamenti ea sunt τοῦ σωματος.

Col. 2. v. 17. Heb. 10, 1.

XXXV. Videatur de hoc argumento Problema II. Disputationum, de Baptismo.

XXXVI. Et quid multis opus? Bezæ ipsi Argumenti hujus nervus hæc elisit verba:

Sacramenta Veteris Testamenti, & novi non differunt re: sed dispensatione. In Coll. Mompel, f. 106.

XXXVII. Sic concedit Beza nexum copulati: Absurditas verò assumpti ipsi planè nulla est.

XXXIIX. Sed hæres tu, dic obsecro, si non penitus ἐς τὸν νῦν καπνθησμένον: qui potuit esse eadem res in Sacramentis Veteris Testamenti, quæ est in novo, cum Corpus & sanguis CHRISTI, quæ sunt Res Novi Testamenti, quibus hoc Veteri ἀνυδιαφέιτως, tum nondum extiterint in rerum naturâ

XXXIX. *Sacramenti* quidem *integri* analogia ad usum Spiritualem eadem est Vet. & N. Testamenti: analogia autem *partium* Sacramenti ad se invicem ita differt, sicut *umbra* & *corpus, rei figura* & *substantia.*

4. XL. *Quartum* ad hanc formam normamque Syllogisticam redigimus:

Quicquid largitur τὸ εἶναι rei, illud est ejus forma.
Atqui talis est Vnio Sacramentalis, in Actione Eucharistica.
Ergo.
Et per consequens non analogia Sacramentaria.

XLI. *Major* est στοιχεῖον ἀναμφίδοξον. *Minor declaratione* indiget & *probatione.*

XLII. *Declaratio* consistit in duobus Cœnæ Dominicæ respectibus, quorum *Vno* illa consideratur, ut *totum Sacramentale* ex rebus terrestribus & cœlestibus constans: *altero* ut ritus externus à CHRISTO institutus.

XLIII. *Illo* respectu Cœnæ Dominicæ formam nonnulli constituunt Unionem Sacramentalem: *hoc* actionem Eucharisticam.

XLIV. Verùm hæc *non-disjunctè, sed conjunctè* intelligenda sunt, de Unione rerum terrestrium & cœlestium in actione Eucharistica: & de actione Eucharistica cum unione rerum terrestrium & cœlestium mystica.

XLV. *Probationi* subservit, quòd Verbis Activæ significationis Cœnam instituit CHRISTUS, cumq; his indivulso nexu conjunxit Enunciationem ὁριστικὴν: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis* Novi Test. quibus unionem Sacramentalem, in usu Cœnæ verè sancijt.

XLVI. Et huc tendit Lutheri definitio, quâ & ipsâ utrumq; complexus est, videlicet, *tum* unionem Sacramentalem panis cum corpore, & Vini cum Sanguine CHRISTI: *tum* actionem ipsam, in manducatione & bibitione, versantem.

XLVII. Definitio autem est λόγος δηλωτικὸς τῆς οὐσίας. Hæc verò nihil aliud quàm ipsa essentialis rei forma.

XLVIII.

XLVIII. Quid? Petrus Martyr etiam & ipse Sacramentarius vi veritatis adactus & adductus expresse scribit;

Class. IV. L. C. c. 10. §. 36.

Sacramenta tota in actione consistunt, quâ sublatâ non amplius sunt Sacramenta.

XLIX. Eôdem collimat ἀξίωμα Lutheri in Scholis Theologorum usu maximè tritum scitumq; :

Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum divinitus institutum.

L. Ubi termino usus *non* intelligenda *fides*, quæ est Sacramentariorum σφεβλότης : Fides enim *non* est *principium constituens* Cœnæ *substantiam* : sed *organon fructum* Cœnæ, extra substantiam ejus positum, *apprehendens*.

LI. Verùm, quæ est Lutheri & Discipulorum ejus γνησίων ὀρθότης, *tota actio* Cœnæ visibilis, quæ consistit, docente CHRISTO Sacramenti Eucharistiæ ἐξάρχῳ. 1. in δόσει, ex parte *Dispensantium*: 2. in Λήψει, ex parte *Communicantium*. Sunt n. actiones ἀντίστροφοι.

LII. Δόσις, *generatim* accepta voce, iterum occupatur: in *benedictione*, 2. in *præbitione*.

LIII. Λῆψις verò 1. in *acceptione panis & vini* benedicti, 2. *Panis manducatione, & vini bibitione.*

VI. PROBLEMA.

Qualis sit modus præsentiæ, Corporis ac Sanguinis CHRISTI in Cœna.

LIV. Ad formam rei *modus* etiam referri potest ac solet.

LV. Cum itaque in proximè præcedenti Problemate de forma Cœnæ Dominicæ dictum, à qua vera & realis præsentia corporis & sanguinis CHRISTI in sacra Eucharistia: consequens est, ut de modo hujus præsentiæ paucis disseratur. *Ratio ordinis & causa σκοπ. κατακρίνει.*

LVI. Præsertim cum audacia Dipnosophistarum hodiè eò usq; processerit, ut apertè & exertè dictitent scriptitentq; :

Beza in Colloq. Mompelg. f. 78.

Ex quibus omnibus constat, nos minimè negare veram præsentiam *Corporis & Sanguinis Christi in Cœna Domini: sed eam*

tantùm præsentiam oppugnare, quâ corporibus nostris, & non mentibus, præbeatur

Ibidem fol. 104,

Putas, nos convenire de præsentia *Corporis Christi? Et* verùm *sanè est*, utrinque *hoc constitutum est in sacra Cœna* adesse *verum illud corpus Christi & sanguinem ejus.*

Iterum fol. 172.

In summa convenit inter nos Corpus Christi in Cœna Dominica esse præsens: *sed* de modo præsentiæ *non convenit.*

Item fol. 179.

Dissensio autem non est de præsentia, sed modo præsentiæ.

Responsio. LVII. Respondet ad hanc præsentem quæstionem piè admodùm & scitè *Damascenus lib. 4. ὀρθ. πίς. cap. 14.*

Καὶ πλέον οὐδὲν γινώσκομεν ἀλλ' ὅτι λόγῳ τοῦ θεοῦ ἀληθὴς ἐστι καὶ ἐνεργὴς καὶ παντοδυνάμου, οὐ (NB.) τρόπου ἀνεξερεύνητου.

LVIII. Cui σύμφωνον καὶ συνῳδὸν istud πολυθρύλλητον Durandi. *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.*

Itemque hoc Ecclesiæ:

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

LIX. Quò referendum & istud gravissimum Bernhardi ἀπόφθεγμα.

Epist. 77.

Sacramentum DEI altissimi suscipiendum est non ratione discutiendum: veneratione, ratione in obsequium CHRISTI, *captivâ auctâ, & malè valere jussis speculationibus extra verbum, absurditatibus & contradictionibus rationis humanæ.*

LX. Atque hæc etiam fuit Reverendi Patris Lutheri de præsenti hoc quæsito sententia: quòd nimirum modus præsentiæ corporis & sanguinis CHRISTI in Cœna planè sit ἀνεξερεύνητου ὑπερφυσικὸς & ἀκατάληπτου; quemadmodum videre licet in *Confess. Majore. Tom. III. Ien.* 457, 458.

LXI. Tam frivolum scilicet & frigidum est Hospiniani & aliorum Senatûs Sacramentarii procerum mendacium impudentissimè calumni-

lumniantium: Lutherum *Localem* corporis CHRISTI *in panem inclusionem* statuisse.

LXII. Negativam, Negativam dico statuit & professus est publicè Lutherus in *Confessione VVitebergensi A.C. 1536. primo* mox *articulo.*

Vnd wiewol sie keine Transsubstantiation halten / auch nicht halten/das der Leib Christi Localiter, das ist/ reumblich ins Brodt eingeschlossen / oder sonst beharlich / ausserhalb der niessung des heiligen Sacraments / damit vereiniget werde/ so bekennen sie doch vnd halten / das vmb Sacramentlicher einigkeit willen das Brot sey der Leib Christi: Das ist/ sie halten vnd gleuben / das mit sampt dem Brot warhafftig zugegen sey/ vnd warhafftig dargereichet werde der Leib Christi/etc. *Tom. II. Isleb. f. 366.*

LXIII. Sed *objiciunt* & argumentantur Adversarij: Si modus præsentiæ corporis ac sanguinis CHRISTI in Cœna ἀνεξερεύνητος & ἀκατάληπτος: cur ergò utimini adverbijs *corporaliter, essentialiter, naturaliter, oraliter*? cur terminis *sacramentaliter, spiritualiter*? *Solutio Objectionis per explicationem VI. terminorum.*

LXIV. Respondemus verbis Augustini: *In verbis non verba; sed vera spectanda sunt.*

LXV. Videndum igitur quo sensu adverbia hæc à Luthero aliisque ὀρθοδοξίας δεισπνικῆς Assertoribus usurpari solita.

LXVI. Quod ut distinctiùs intelligatur: de usu istarum vocum tùm omnium *in genere* ἀποφατικῶς κατ' ἄρσιν: tum singularum *in specie* καταφατικῶς κατὰ θέσιν, paucula quædam monenda sunt.

LXVII. *In genere* igitur tenendum, quòd istis Adverbiis in universum omnibus *non* notetur *Modus præsentiæ* Corporis & Sanguinis CHRISTI in Sacramento Cœnæ.

LXVIII. Hic enim, ut dictum, planè est ἀνεξερεύνητος & proin etiam ἀνεκδιήγητος, quem fidei lumine mirari decet: rationis acumine rimari non decet.

LXIX. *In specie* autem sciendum de singulis, ac *primo* quidem de termino *Corporaliter*, quod is respiciat non ad modum: sed ad *subjectum præsentiæ* in Cœna DOMINI, quod *non* nudum Corporis CHRISTI *absentis Symbolon*, vel *virtus*, quæ est Sacramentariorum ἀθεολογία: sed ipsum ipsius CHRISTI *Corpus præsentißimum.*

LXX. Eôdem respectu usurpatur vox *Essentialiter*, ut indicetur ni-

mirum, contra Sacrāmentarios, Corpus & Sanguinem CHRISTI: non ἐνεργείᾳ solùm adesse in sacra Eucharistia: Sicut Sol in terris (Hoc enim simili veritati absimili uti, vel potiùs abuti consueverunt) sed ἀντιτύπῳ οὐσίᾳ.

LXXI. 3. Idem contra eosdem inculcat quoq; terminus *Naturaliter*, monendo videlicet: CHRISTUM in Cœna verè ac realiter adesse nō saltem secundùm Divinam: sed etiam secundum *humanam naturam*, quâ *naturale* ipsius Corpus pro nobis in mortem traditum: *naturalis* item ipsius Sanguis pro nobis in Cruce effusus.

LXXII. 4. Termino *Oraliter* exprimitur Organon sive Instrumentum à CHRISTO destinatum totius Sacramenti, & sic non tam panis & Vini: quàm Corporis ac Sanguinis CHRISTI, perceptioni, uno eodemq; indiviso actu peragendæ.

De Orali Manducatione.

LXXIII. Hic verò Sacramentarij magno impetu in nostras insurgunt & tumultuantur Ecclesias, eò quòd oralem manducationem & bibitionem credunt, adeoque Corpus & Sanguinem CHRISTI, corporeo oris organo, accipi profitentur.

LXXIV. Contrarium enim ipsi tenent & defendunt mordicùs, nusquam non elatâ quasi voce clamitantes: Corpus CHRISTI, *non nostris corporibus adesse: sed menti saltem: non ore*, sed fide illud accipi: qui fuit Bezæ καινισμὸς iterum atque iterum ingeminatus.

In Colloq. Mompelg. *f.* 75. 78. 104. 172. 175.

LXXV. Verùm enimverò ut perspicuè & distinctè mentem nostram de hac controversia explicemus: memoria repetendum, quòd tres sint manducationis species: 1. *Physica* vel *Naturalis*. 2. *Mystica* sive *Sacramentalis*. 3. *Pneumatica*, sive *Spiritualis*.

LXXVI. Inter quas hoc discriminis, quòd *prima & secunda semper & tantùm* in Cœna, & quidē *simul*: tertia verò *non semper & tantùm* in Cœna *simul* cum *primâ & secunda*: sed etiam extra Cœnam, fiat.

LXXVII. *Prima* competit *Pani*, qui suam, etiam post *Consecrationem*, substantiam retinet: cediq, in nutrimentum corpori: pars verò superflua εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ καὶ ἐκβάλλεται, sicut loquuntur *Origines* & *Damascenus* verbis CHRISTI *Matth.* 15, 17.

LXXVIII. *Secunda* competit Corpori CHRISTI, quod in Cœna manducatur unà cum pane; sed diverso tamen respectu, qui diligenter observandus.

LXIXX.

LXXIX. Panis enim manducatur πρώτως ἢ ἀμέσως modò *naturalis*: Corpus autem δευτέρως & ἐμμέσως, *mediatè* pane, modo planè *supernaturali*.

LXXX. *Ore* tamen *corporeo*, quo *utrumque simul* & panis & Corpus CHRISTI accipitur, unde etiam Manducatio illa Oralis nominari solet, ac meritò etiam deber.

LXXXI. Nihil igitur aliud est, quàm cruda & pura Calumnia; quicquid Beza & reliqui Gentis Sacramentariæ contribules de laniena Cyclopica & (b) Capernaitica nostris affricant Ecclesijs.

(b) *Iohan. c. 6, 6. 52. 59.*

LXXXII. *Tertia* deniq; Manducatio competit non Corpori CHRISTI separatim, sed toti CHRISTO, non tàm personæ quàm officij & beneficiorum suorum respectu.

LXXXIII. *Hujus* instrumentum est *fides*: sicut *Naturalis & Sacramentalis OS*. De illa nullum: de hac maximum est inter nos & Sacramentarios certamen.

LXXXIV. In quo ut stationem masculè tueamur nostram, atque adeò feliciter potiri Victoria, cum Veritate gloriosè triumphemus: ὡς ἐν τύπῳ utique tela præmonstrare lubet: tum Φυλακτήρια *nostræ*; tum ἀμυντήρια *adversæ partis*.

LXXXV. Φυλακτήρια nostræ partis sunt hæc potissimùm: I. Φυλακτήρια Propria & nativa Verborum: *Edite, Bibite* significatio, quã evincit: *nostræ* 1. ipse Verborum sonus. 2. quod illa substantialia Cœnæ, quæ verè *partis*. ac propriè actio, 3 Mandati Christi executio illi ἀντίτυπος.

Et biberunt ex eo omnes Marc. c. 14, 23.

LXXXVI. II. Indignorum Manducatio, qui rei fieri dicuntur (c) Corporis & sanguinis CHRISTI *edendo & bibendo*, Reatus verò iste Corpus & sanguinem CHRISTI non tollit: sed præsupponit.

(c) *1. Cor. 11, 27.*

LXXXVII. III. Suffragia Orthodoxæ Antiquitatis, de cujus consensu, Sacramentarij plurimùm gloriantur, & tantum non triumphos agunt. Augustinus epist. 118.

Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.

Item sermo de tempore.

Videte fratres, si justum sit, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur,

ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum proferatur.

Chrysostomus homil. 29. in 2. Corinth.

Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus dominicum.

Item Leo.

Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod dicitur, disputatur.

Gregor. homil. 22. pasch.

Quid sit sanguis Agni jam non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumq; postem ponitur, non solùm ORE corporis, sed etjam ORE cordis hauritur.

Ἀμυντήρια adversæ partis eorumq; vitia.

LXXXIIX. *Ἀμυντήρια* adversæ partis mera sunt Sophismata, quæ facilè dilui possunt; si modò præcipua eorum notentur vitia.

LXXXIX. Quorum I. Processus à proprietate vocum Edendi & bibendi Grammatica vel sensu: ad proprietatem rerum Physicam vel modum.

XC. 2. Neglectus discriminis inter manducationem Physicam & immediatam panis Eucharistici: & hyperphysicam & mediam Corporis Dominici.

XCI. 3. Vitiosa argumentatio à duplici re, terrestri videlicet & cœlesti, ad duplex instrumentum *ληπτικὸν*, siquidem hæc & illa, non ut duo extra unionem: sed, ut *unum Sacramentale*, in unione, & propter unionem Sacramentalem, supponuntur.

XCII. 4. *Ἀξίωμα ἀνάξιον*: Objectum spirituale nequit recipi instrumento corporali. In promptu enim sunt instantiæ in exemplis, SPIRITUS SANCTI, verbi prædicati: FILII DEI in utero beatæ Virginis concepti, à Luthero & aliis illi Axiωmati oppositis.

XCIII. 5. Dissimulatio discriminis inter existentiam corporis CHRISTI naturalem & Sacramentalem, quæ peculiari Verbo institutionis nititur.

XCIV. 6. *Ἀσυλλογισία*, à promissione ad rem promissam, quarum illam sola fide: hanc alio etiam instrumento accipi posse, docent exempla, panis quotidianis, & SPIRITUS SANCTI.

XCV.

XCV. 5 Et tantum etiam de termino Oraliter: V. Vocabulum *Spiritualiter*, in noſtris Eccleſijs, communi loquendi conſuetudine, opponitur ei, quod eſt Naturale & Carnale, eſtque idem quod Sacramentaliter.

XCVI. VI. Hic denique terminus τὸ *Sacramentaliter* reſpicit ad unionem inter Panem & Corpus CHRISTI, cujus Unionis vi, utrumque *in unum Sacramentum* ſimul unitum, ſimul ore accipitur: licet diverſo modo. Atque hinc terminus: *Sacramentaliter*.

XCVII. Quia nimirum Unio iſta panis & Corporis CHRISTI appellatur Sacramentalis, autore (d) *Luthero*, eò quod, ejus vi, *Corpus & ſanguis CHRISTI, tanquam Sacramentum, nobis exhibentur*, (e) eodem interprete.

(d) II. *Tom Isleb. f. 366.* (e) *in Majore Confeſſione.*

PROBLEMA VII.

An manducatio Oralis & Sacramentalis ſe mutuò tollant.

XCIIX. Problema iſtud eſt proximè præcedentis quaſi ὑφ' ἓν quædam.

XCIX. Et ſanè videtur prima facie illud ſupervacaneum, ſiquidem noſtris Theologis, manducatio Oralis & Sacramentalis, *uſu communi*, vulgò ferè Synonyma & ἰσοδυναμοῦντα.

C. Sed neceſſitatem nobis imponunt Sacramentarij, qui dum Oralem manducationem præciſè negant, & hoſtili animo impugnant: interim tamen Sacramentalem conſtanter aſſerunt ſummoque conatu propugnant.

CI. Imò hanc illi opponunt planè ἀνυφαπκῶς, quaſi ſe mutua internecione perimant ac perdant.

CII. Videre id licet, in *Actis Colloquij Mompelgartenſis*, ubi Beza paſſim crepat Sacramentalem præſentiam & manducationem: Oralem verò penitus reijcit & damnat, ex falso Localitaris & abſentiæ realis principio, *f. 104, 115, 136, 137.*

CIII. Sed quòd probè notandum: τὸ Sacramentale nihil ei aliud eſt, quàm Spirituale, ipſo interprete:

Eam præſentiam ego Spiritualem intelligo, qua per fidem menti præſens eſt: Alteram verò conſtituo, qua Corpus CHRISTI *nunc in Cœlis eſt.*

CIV. Quid autem nobis Sacramentalis sit manducatio: id sufficienter explicatum dedimus in proximi Problematis διεξόδῳ.
CV. E qua explicatione apparet, quòd Oralis & Sacramentalis Manducatio adeò à se invicem non discordent, ut suavissima potiùs ἀρμονίᾳ, συνεχείᾳ & arctissimà mutuò concordent.
CVI. Plura non capit chartæ angustia. Remittenda igitur sunt in ipsum συζητήσεως Actum.

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS SECUNDAE
Problemata VIII. IX. X.

RESPONDENTE
M. MATERNO SCHITERO
Lipsensi.

Ad 11. Ianuarij horis locoq; consuetis.

VIII. PROBLEMA.

An recitatio verborum Cœnæ, quam vulgò Consecrationem appellant, sit necessaria, & quid in sacrâ hac actione præstet?

Propositio I.

μετάβασις.

DIsputatione proximè præcedente satis superq; probatum est & demonstratum, *quis* & *qualis* sit *modus præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna*, itemq;, *an Sacramentalis & oralis manducatio se mutuò tollant & evertant.*

II. Hinc jam rectà transimus ad *recitationem verborum Cœnæ*, quæ vulgò *Consecratio* nominari consuevit.

τὸ ζητούμενον.

III. De quâ in præsenti problemate quæritur: *An sit necessaria, & quid ac quantum in actione sacrâ Cœnæ præstet atq; efficiat?*

Ὁμωνυμία vocabuli consecrationis.

IV. Ut autē plenius hoc Problema explicetur: *Primò* sanè omnium ipsa *vox consecrationis*, ita vulgò nuncupatæ, aliquantò pressiùs evolvenda nobis & expendenda venit.

V. *Accipitur* autem *consecrationis vocabulum*, græcis Εὐλογία, διχῶς potissimùm.

VI. Vno

VI. *Vno* modo de impio & superstitioso illo benedictionis commento, quo magi, incantatores & incantatrices. Turcæ item ac Judæi, Papistæ, & id genus consimiles alij, uti, vel potiùs turpissimè abuti consueverunt. ī.

VII. *Altera solennis* illa *& maximè devota actio, quæ & sanctis Patribus, Patriarchis, Prophetis & Apostolis in usu fuit,* hac ipsa voce indicatur. 2.

VIII. Ad hanc classem & consecrationis illæ Sacramentorum in Ecclesia usitatæ meritò referendæ.

IX. Quo in significatu acceptâ voculâ τὸ *Consecrare, sive* εὐλογεῖν 1.Cor.10,16.*notat,* cum gratiarum actionem ad Deum institutam pro salvifica passione ac morte hujusq; Sacramenti ante illam institutione: *tum* precationem, pro digna Cœnæ χρήσει; *tum* elementorum ad hunc sacratissimum usum ordinationem, quâ cum & sub illis dispensatur, accipiuntur & offeruntur verum corpus & verus sanguis Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi. *Propria vocis significatio.*

X. Hæc *de voce rei:* jam *ad rem ipsam,* de quâ hic *duo* quæruntur & sub disputationis aleam vocantur. *Duo τὰ ζητούμενα μέρη*

XI. *Primum* est *de benedictionis* istius *necessitate; secundum* de ejusdem vi & efficaciâ. 1. 2.

XII. *Necessitas* ejus patet ex causis, ob quas illa etiamnum vi & vigore institutionis divinæ in Cœnâ primâ, observanda & celebrãda. 1. *Necessitas consecrationis.*

XIII. Inde nos pro *Affirmativâ* ita concludimus: Quicquid: 1. habet Christi mandatum: 2. facit ad memoriam primæ institutionis in Ecclesiâ recolendam: 3. cujus etiam vis & efficacia à Christo per ministerium in omnes posteriores Cœnas sacras derivatur, *eo fine, ut sub & cum elementis illis corpus simul atq; sanguis Christi distribuantur & sumantur: Illud utiq; ad actionem S. Cœnæ omninò necessarium. Et verò recitatio verborum Cœnæ expressum Christi habet mandatum, &c.* E. *Syllogismus principalis pro astruenda eâdem necessitate.*

XIV. *Major* satis liquet, ideoq; ejus probatione nobis supersedendum censemus: Minor cùm sit τριμερὴς; ejusdem membra singula paucis probanda aggredimur. *Assumti probatio trimembris.*

XV. Ac *primò* quidem *mandatum* Salvatoris *de pronunciatione verborum institutionis* continetur. 1. Mandatum Christi.

XVI. In eo, quòd dicitur: τοῦτο τὸ ποιεῖτε, hoc facite; quod ad benedictionem etiã referri posse, ab Apostolo haud obscurè innuitur.

XVII. Addit enim: ὁσάκις ἂν ποιῆτε, θάνατον τ᾽ κυρίου καταγγέλλετε *Quotiescunq; feceritis, mortem Domini annunciabitis*, id quod εὐλογίας etiam ambitu contineri, non abs re statui potest.

1. Cor. 11, 25, 26.

2. Primæ Διατάξεως memoria.

XVIII. Porrò *ad memoriam primæ* illius Διατάξεως in Ecclesiâ *re-colendam* plurimùm facit, idq; *duobus modis*:

1. XIX. *Vno, ut* hoc pacto fides auditorum περὶ ἁγίας, cumprimis verò περὶ παρουσίας Corporis & Sanguinis Christi in Cœna, magis magisq; accendatur & confirmetur.

2. XX. *Altera* verò, ut de fructu salutari hujus Sacramenti, qui est remissio peccatorum, certiores reddamur; ideoque etiam Verba Cœnæ, non suppressâ, sed expressa voce pronunciari convenit.

3. Vis benedictionis primæ Cœnæ in omnes posteriores.

XXI. *Benedictionem* denique hanc ex Cœnâ à Christo primitus institutâ per ministerium Ecclesiæ transferri ad omnes alias Cœnas sacras: *id* liquidò patet ex illustri canone Apostolico: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι.

1. Cor. 10, 16.

XXII. Ubi inprimis observandus articulus ὃ, *quo* nempe εὐλογία hæc *ad objectum* suum, τὸ ποτήριον videl. non ad autorem institutionis istius, refertur & accommodatur.

XXIII. Unde postmodum is resultat effectus, quòd nimirum factâ & peractâ solenni illâ actione, elementa, ab omnibus aliis usibus profanis separata, Διανομῇ Corporis & Sanguinis Christi ultrò subserviunt.

4. Vis & efficacia Consecrationis.

XXIV. Tantùm de priori Problematis membro: restat posterius, quod est de Consecrationis vi & efficaciâ.

Ἐπεγδόξων opinio duplex:

XXV. Hic verò περὶ τὴν ἀλήθειαν ἀφορῶσι τῶν ἐπεγδόξων agmina, quorum: 1. *Papistarum*: 2. τῶν παπιζόντων.

1. Papistarum;

XXVI. Papistæ docent, vi consecrationis panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem commutari, adeoque Sacramentum Eucharistiæ integrum confici, verbis illis: Hoc est Corpus Meum, *Hic enim est Calix sanguinis*, ut loquitur *Bell. l. 4. de sacr. Euch. c. 12. & seqq.*

2. Παπιζόντων.

XXVII. Παπιζοντες appellantur; qui in reliquis August. Conf. addicti, *contendunt*, post factam consecrationem nihilominus durare unionem sacramentalẽ, licet usus istius Sacramenti nõ accedat.

XXIIX. His Nos nostram opponimus sententiam, quæ statuit,

Conse-

Conſecrationem nõ conſiſtere in occultâ quadam vi, ſeu facultate, unionis Sacramentalis σωρικῇ, etiam extra uſum: ſed *in ſolo uſu*, quo ſublato, deſinit etiam ipſa ἕνωσις μυϛικὴ. *Orth. ſententia.*

XXIX. *Fundamenta* hujus *Noſtræ affirmativæ* è & cum Libro Chriſtianæ Concordiæ *ponimus ſubſequentia:* *Ejus fundamenta.*

Epit. p. 599. art. 3. & 4. Declar. p. 747.

XXX. Quia *præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Simpliciter & in ſolidum Omnipotentis Dei virtuti & Verbo, inſtitutioni atq; ordinationi Domini noſtri Ieſu Chriſti, aſcribenda.* 1.

XXXI. 2. *Verba illa Chriſti Veriſſima & Omnipotentia, in primâ inſtitutione* ab eo *pronunciatâ, non tantùm in primâ illâ Cœna fuêre efficacia: ſed & Eorum vis, virtus & efficacia* adhuc *hodiè durat & valet.* 2.

XXXII. Unde *eorundem* verborum *virtute & potentiâ, in omnibus locis, ubi Cœna Domini juxtà Chriſti Διάταξιν celebratur, & verba ejus uſurpantur, Corpus & Sanguis Chriſti verè præſentia diſtribuuntur & ſumuntur.* 3.

XXXIII. *Chriſtus* enim (ubicunque adhuc inſtitutio ipſius obſervatur, & verba ejus ſuper pane & vino recitantur, & panis ac vinum benedictum diſtribuuntur,) *per verba illa recitata, Virtute Primæ inſtitutionis, hodie* etiam *Verbo ſuo, quod repeti vult, efficax eſt.*

XXXIV. 4. *Iſta tamen εὐλογία*, ſeu pronunciatio verborum Inſtitutionis, *Sola non conſtituit ſacramentum, niſi tota Cœnæ actio, prout à Chriſto ipſo ordinata, obſervetur.* 4. Pag. 794.

XXXV. Ut itaque primum hoc Problema noſtrum tandem finiatur, recitationem verborum Cœnæ ſuo modo neceſſariam eſſe, plurimumq; ponderis & momenti, non quidem *ad efficiendam*: *ſed ad ſtabiliendam* corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam, obtinere, ex hactenus dictis *ſtatuimus concludimusq;*:

Ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

IX. PROBLEMA.

Quid ſi: ſentiendum de ceremoniis, quæ circa adminiſtrationem & uſurpationem Cœnæ adhiberi ſolent,

Ut ſunt:

1. Uſus altarium. 2. modus accipiendi panem & vinum benedictum. 3. Ornatus Sacerdotalis. 4. Vaſa ſacra, Patheneñ/Kelche/ & *idgenus alia.*

XXXVI. Quod Oecumenicus ille gentium Doctor Paulus passim præcipit reperitq; πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω: itemq; πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1. Cor. 14. 26. 40.

XXXVII. Idipsum quoque ZWinglio Calviniani sibi dictum putare & observare omninò debeant.

XXXIIX. Verùm quid ab ipsis hac in parte paucis ab hinc annis in vicino principatu Anhaltino susceptum gestumq; sit, notius, proh dolor, quàm expedit.

XXXIX Quanto enim ibi cum fervore Zeli, quanquam nimis ἀκαίρως καὶ ϗ κατ' ἐπίγνωσιν, *Rom. 10. v. 2.* imagines hinc inde in templis passim dejectæ indèq; ejectæ fuerint, altaria diruta & eversa istius Deformationis potuis, quàm Reformationis Ecclesiasticæ, tum institutæ, eventu abundè satis testatus est & comprobavit.

XL. Quod cùm ita sit, visum est hac in συζητήσει hoc ipsum quoque Problema ventilandum suscipere: *Quid nimir. statuendum de Ceremonijs, quæ circa Cœnæ administrationẽ in nostris vulgò adhibẽtur Ecclesiis.*

Ceremoniæ 4.

XLI. Ex earundem verò censu *hæ* 4. sunt omnium potissimæ: *1. Vsus altarium. 2. Modus accipiendi panem & Vinum benedictum. 3. Ornatus Sacerdotalis. 4 Vasa sacra*: Patehnen/ Kelch, & hujuscemodi alia De singulis paucula.

1. Altaria.

I. DE ALTARIBUS.

1. Nomen altaris

XLII. Ut autem ab ipso statim nomine ordiamur, initiò sanè libenter istud Adversarijs concedimus, *nomen Altaris*, græcis θυσιαστήριον Hebræis מִזְבֵּחַ χετικὸν esse, *& in numero τῶν πρός τι.*

XLIII. Respexit enim in Ecclesia olim *V. T. Sacrificia*, quotidiè celebrari, nec non& *Eleemosynas* à pijs *in N. T.* ad arã offerri solitas.

XLIV. Ut ut verò, hoc τὰ ἀμφαῖν ipsis largimur: *χέσιν tamen istam, planè expirãsse, nosq; in Ecclesijs etiamnum altaria eyusmodi non habere aut retinere*, ultrò profitemur.

XLV. Non est igitur, quod Anhaltini hoc ipso nomine tantoperè in nostras Ecclesias desæviant ac debachentur, *clamitantes, ista adhuc apud eas horrendis sacrificiorũ idololatricorũ βδελύγμασι deservire.*

XLVI. Nota enim & trita est, vel saltem esse illis debebat regula illa Dialecticorum: *Sæpissimè omnes linguæ relativis utuntur loco absolutorum, seu fundamentorum.*

1. Objectio.

XLVII. *Veruntamen*, longè aliud quid gravius huic suo institu-

eo subesse, mox dictitant, dum nempè, altaribus, seu mensis lapideis passim destructis & dejectis, earundem loco ligneas substituunt, inq; illis S. S. Eucharistiam solenniter administrant:

XLVIII. Prætendentes hæc ipsa quoq; in parte ipsius Christi, Σωτῆρος ἡμῶν ϑυμπρεσάτυ, exemplum, Cœnam primam super mensâ, non super altari, in publico quippe καταλύματι instituentis ac celebrantis.

XLIX. Benè nimirum ac perbellè ab ipsis istud factum & peractum! optimè sic Satanas secum consentit! Scilicet.

L. Nihil in eo positum esse, ipsemet eorundem Dux & antesignanus *Theod. Beza* jamdudum fassus est, *an in altari lapideo, vel in mensa ligneâ, Cœna Domini celebretur*, annexâ simul hac ratione: *Est enim res adiaphora*. In Colloq. Mompelg. fol. 424. *Resp.*

LI. Eundem itaq; prius sibi ipsi concilient necesse est, quàm nobiscum hac de re depugnent ac digladientur quàm accerrimè.

LII. Ad Christi exemplum respondemus, ratione loci, in quo prima Cœna ab eo peracta, non potuisse eam super altari celebrari: Cur autem in hospitio publico, non in templo Hierosolymitano, eadem instituta, non à nobis, Sed à Christo ipso rationem hujus instituti Antagonistæ nostri deposcant, qui procul dubio suo hoc: Ita placuit, ipsis responsurus.

LIII. Prætereà & hoc nobis objiciunt: *Altaria ad cultum N. T. non pertinere, quia in eo Sacrificia interventu mortis Christi in cruce penitus consummata* sint planeq; sublata, ita ut nullus ampliùs eorũdem usus. *2. Obj.*

LIV. Cujus sui objecti hanc addunt rationem: quia Ἀρχιερεὺς *N. T. Christus non sit satus* aut procreatus *è tribu Levi, vel Aaronis, qua altaribus opus habuit ad quotidiana sacrificia.*

LV. Sed idipsum quoq; facilè diluitur, *negando 1. consecutionis rationem: 2. dicendo*, committi hîc *paralogismum τὸ μὴ αἰτίᾳ ὡς αἰτίᾳ*. *Resp.* 1.

LVI. Ratio negationis est, quia non sequitur: Sacrificia in V. T. usitata non sunt ampliùs in usu: E. nullus hodiè usus altarium. 2. 1.

LVII. Licet enim iste jam eorundem usus in N T. planè cessavit: attamen alium omninò nob. etiamnũ præstant usum, & quidem eundem, quem olim mensæ Christo & Apostolis præstitêre. *Fall finium.* 2.

LVIII. *Fallaciam* deinde τὸ μὴ αἰτίᾳ committunt, dum Sacrificijs in N. T. abolitis, ipsorum etiam altarium abrogationem conatu sanè maximo, modo non planè irrito, moliuntur. *Fall. non causæ.*

LIX. Hoc ipſorum fundamento deſtructo, facilè quoq; jam collabaſcit, quod ei ſuperſtructum.

LX. 1. Licet enim altaria non ampliùs ſacrificijs deſerviant, uti in V. quondam Teſt. nullũ tamen etiam de eorundem demolitione expreſſum in N. T. continetur mandatum.

LXI. 2. Etſi Chriſtus non fuit ἀρχιερεὺς ſecundum ordinem ſacerdotum Leviticorum, fuit tamen ἱερεὺς κατὰ τάξιν μελχισεδὲκ *teſte epiſtola ad Heb. c. 7. v. 17. Pſ. 110. v. 4.*

LXII. 3. Quanquam & ſacrificia & totus cultus Leviticus in N. T. deſiit: nihilominus tamen Chriſtus hodie quoq; præſtò eſt ſuis cum beneficijs, quandocunq; Cœna ſecundum ipſius inſtitutionem celebratur.

3. Obj. LXIII. Urgent porrò: *Altaria in Eccleſiâ* N. T. *meris nititi humanis traditionibus, accerſita ex Lege Moſaicâ*, adeoq; ad cultũ planè inutilia.

LXIV. *At enim verò*: 1. hic iterum nobiſcum non pugnant: *ſiquidem* ſemper negavimus, & adhuc negamus, altaria in N.T. *jam cultus gratia* uſurpari

Reſp. 1. 2. LXV. 2. Concedimus *& ipſi*, iſtæ in libero Eccleſiæ uſu tanquam τὰ ἐν μέσῳ κείμενα, *ut Nazianz. loquitur*, poſita, quippe quæ 3. in ſcriptura nec expreſſè mandata, nec prohibita.

LXVI. 3. *Committimus* eos denuò cum Ductore & Doctore ſuo Beza, qui jam pridem id ipſum etiam noſtratib. conceſſit, Cœnam nim. *Domini* in altari poſſe celebrari: *Coll. Momp. fol.* 425.

LXVII. Quô pertinet exemplum altaris illius marmorei, quod idem ibidem refert, Loſannâ Bernam in Helvetia fuiſſe translatum, in quo Cœna Domini ibi celebretur. *p. eund.* 425.

4. Ob. LXIIX. Cæterùm cauſæ ſuæ præſidium haud vulgare in eo etiam ponunt, quod appellatio S. Cœnæ, quâ dicitur Sacramentum altaris, ex medio papatu orta, adeoq; in ſcript. nullum plane habeat fundamentum.

LXIX. Sed reſpondemus: 1. Non omne nobis ſordere ilicò debere, quod è Papatu profectum, quodq; etiam κατὰ τὸ ῥητὸν in S. lit. nuſpiam expreſſum.

2. LXX. 2. Verum ſanè eſſe, & nos ingenuè fatemur, Cœnam Domini

Domini nominari *Sacramentum altaris*; more tamen peregrinque & in orthod. Ecclesiam jamdudum invecto.

LXXI. Idq; exemplo laudatissimorum Patrum, inter quos eminent: *Athanasius, Augustinus, Chrysost, & Theophylactus.*

LXXII. *Athanasius: Christus in sancto altari dat nobis Manna Corpus suum.* Cont Arium.

LXXIII. Cum quo perpulcrè consentit *Theophylactus: Ipsum Corpus Domini est panis, qui in altari sanctificatur.* In cap. 26 Matth.

LXXIV. Non tamen dissitemur, magis proprie quadrare structuræ huic lapideæ τραπέζης τῆς κυριακῆς appellationem, quàm altaris, uti paulo superiùs ostensum.

LXXV. 3. Neq; est, quod Patrum, & in primis Athanasij, authoritatem hic magnoperè aversentur: cum ipsi ejusdem citent Epistolam ad Agentes vitam solitariam, indeq; probare nitantur in puriori primitivâ Ecclesiâ, eodem Athanasio vivente, non altaria: Sed mensas ad S. Cœnæ administrationem fuisse adhibitas.

LXXVI. Objectant insuper: Eadem altaria κακοζηλίᾳ quadam à Iudæis partim, partim à sacrificijs Missiticis, originem suam traxisse.

LXXVII. Verum: 1. & hoc crimen, quod nobis intendunt, nondum ipsi probarunt.

LXXVIII. 2. Notum est illud ritum *Abusum rei tollendum, substantiam* verò *eius salvam manere debere.*

LXXIX. 3. Hoc pacto, non tantùm altaria: sed & templa essent destruenda, quia nim. pleraq; omnia idolomaniæ olim Pontificiæ inservière.

LXXX. Obvertunt adhuc B. Lutheri autoritatem, rejicientis & taxantis errorem eorum, *qui altaria ad usum Cœnæ S. necessaria esse*, inscitè opinantur ac prærendunt. Tom 2. Jen p 20.

LXXXI. Sed & hoc loco Lutherum Luthero opponimus, propterea quia idem eod. tom. p. 29. disertè docet ac profitetur, hoc omninò esse ἀδιάφορον sive Cœna Dominica in altari, sive in mensâ, administretur. Et quis est nostrûm, qui Altaria ad usum Cœnæ necessaria pronuncier?

LXXXII. Eandem nobis cramben reponunt, contendentes, aras idololatricas juxta tenorem Scr. S. demoliendas seriò præcipi:

5. Obj.

Resp. 1.

2.

3.

6. Obj.

Resp.

7. Obj.

altaria verò Pontificia sceleratæ idololatriæ, sub Sole in toto mundo inauditæ, inservijsse, nempè in Dei Moazim honorem condita & erecta.

Resp. 1. LXXXIII. Veruntamen pervertitur hîc rursus ab ipsis: 1. *status controversiæ. Committitur* ab *ijsdem* ὡς διαλογισμὸς τῆς συμβεβηκότος.

LXXXIV. Interdicta de aris idolomaniæ olim Pontif. destinatis nos non feriunt, quia, sacrificiis illis apud nos abrogatis, altarium longè alius usus quiq; ab omni idololatriâ alienissimus.

LXXXV. Unde *secundo* loco respondemus, *abusum cum usu vero* ac legitimo *confundi*, & sic, quod ex accidenti rei inest, ei καθ' αὑτὸ tribui & ascribi.

3. LXXXVI. 3. Addimus & hoc, nos hodiè non horrendum illum abusum altariũ, in Papatu exerceri solitum. Sed eum potiùs usum, qui in arbitrio libertatis Christianæ positus, urgere maximè; de quo *Paulus admonet Gal. 5. v. 1.* τῇ ἐλευθερίᾳ ἧ Χριστὸς ὑμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε.

LXXXVII. *Quod de pientissimis Magistratibus*, cùm *olim in populo Iudaico, tum nostris temporibus*, contra nos *affertur*: ei equidem tantum abest, ut repugnaremus, si nempè altaria etiamnum eo fine, quo tum à nobis usurparentur; ut potiùs omninò ipsis ratione officij eorundem demolitionem incumbere statueremus.

II. DE MODO ACCIPIENDI.

2. *Ceremoniarum genus. Modus accipiendi panem & vinum Eucharisticum.*

LXXXVIII. Progredimur porrò ad *ceremoniarum genus* in administratione S Cœnæ usitatũ, *modũ* nempè *accipiendi panẽ & vinum benedictũ.*

LXXXIX. Miras hic denuo ψευδάδελφοι nostri Anhaltini movent tragœdias de Modo, quo particulam panis sacri in manũ dandam esse contendunt communicantibus, itemq; poculum benedictionis illis porrigendum.

XC. Sed, antequam ad hoc refutandum accingamur, *illud cumprimis* observandum, *quòd* τὸ λάβετε vel λαβεῖν quàm latissimè pateat, adeoque quamvis λῆψιν, quocunq; fiat organo, quóve corporis membro, denotet.

XCI. Hoc præmisso, ad objectiunculam modò allatam facilis est responsio, eaque tergemina.

1. XCII. 1. Nulla ab ipsis istius ritus probatio adhuc adducta.

2. XCIII. 2. Iampridẽ Coryphæus gentis Calvinianæ *Beza*, & hunc secuti alii, ejusdẽ socienni, moris istius omissione nihil omninò Sacramento Eucharistico vel *accedere, vel decedere*, nostratib. *concesserũt*

XCIV. 3. Ἀπόκρισις eorum eò conſpectior hinc evadit, quòd negendo præſentiã corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, ceremoniarũ hujosmodi ἀΔιαφόρων obſervatores ſe præbẽt accuratiſſimos. 5.

XCV. Sed iterum hic *oggannıunt: Chriſtum non dixiſſe: Admovete huc os veſtrum: ſed, Accipite & Manducate, Carere itaq;*, inquiunt, hoc omni Scripturæ fundamento. 2. ἔνς.

XCVI: Mirum profectò hic iterũ apparet in Adverſariis acumen! *At enimverò ei ſic occurrendum: τὸ Accipere generatim ibi à Salvatore accipi: Proinde parum referre, utrum panis & vinum benedictum à miniſtro prius porrigantur communicantibus, oriq; inſerantur: an verò illa ipſorum communicantium manibus ſumantur, vel etiam ore excipiantur.* Resp.

XCVII. Atq; hinc eſt, quòd λῆψις illa mox *ad ſpeciem* reſtringitur, addito ei verbo φαγεῖν, quod ſolius *oris* proprium.

XCIIX. Atqui ulteriùs inſtant: *Manum, æquè ac os, ſanctificatã à Chriſto.* 3. ἔνς.

XCIX. Reſp. 1. *Præſenti in negotio ori illud tribuitur, nõ manui. 2. Sanctificatio illa in actione Cœnæ, ſive manuũ, ſive oris, non fit à Chriſto ἀμέσως: ſed, mediãte pane & vino benedicto, uti pia & orth. antiquitas πανταχῆ teſtatur.*

C. Urgent inſuper: *Propterea hoc obſervandum, quia panis & vini benedicti acceptio illa, à Chriſto mandata & manufacta, ſit μνημόσυνον ejus, quòd Chriſtus cum beneficiis ſuis uniuscujusq; ſit propius.* 4. ἔνς.

CI. Verùm quò hæc eorundẽ ἔνστασις vergat, & quòd è falſa orta hypotheſi, inde facilè apparet: 1. *quia hoc modo ſpiritualem ſuam κοινωνίαν cum Chriſto, tanquam finem manducationis Sacramentalis præcipuum, nobis obtrudere ſatagunt*; de quo in præcedente πρόσλαλέξει. Reſp. 1.

CII. Deinde haud obſcura *hinc emicant analogiæ iſtius Sacramentariæ veſtigia, quam* ſubinde *inculcant inter ſignum & ſignatum*, adeoq; inde conãtur evincere, *S.S. Euchariſtiam nudum tantùm ſignum* eſſe *Chriſti, ejusq; beneficiorum.* 2.

III. DE ORNATU SACERDOTALI. 3.

CIII. Sed de his plus ſatis: pergamus *ad tertiam ceremoniarum claſſem*, ad quam *Ornatus* refertur *Sacerdotalis.* *Ornatus Sacerdotalis.*

CIV. De hoc ſententia & confeſſio *noſtrarum Eccleſiarum hæc, quòd* cum Rev. P. Luthero veſtitum Miſſaticum, ornatum Eccleſiaſticum & ſimilia, in genere rerum indifferentiam eſſe reputemus. Tom. II. Ien. Germ. f. 20. 63. item: Tom. 3. Ien. p. 26. 61. 62. 63. 106. 107. Et Tom. 2. Ien. p. 24. *Confeſſio nocum ſtrarum Eccleſiarum de hac ceremon.*

CV. Quod ipſum etiam autoritate Confeſs. Auguſt. invariatæ *Teſtimonium*

comprobatur, ubi in genere de ejusmodi ceremoniis docetur, eas *tantùm observandas, quæ sine peccato retineri possunt.* Artic. 15.

Regula D. August. de adiaphorist. serem.

CVI. Quò etiam spectat *regula* illa D. Augustini maximè ἀξιωμνημόνευτος, eâ de re epistolâ ad Ianuar. 118. hunc in modũ differentis:

Totum illud genus rerum liberas habet observationes, nec disciplinâ in his ulla melior gravi prudentiq; Christiano, quàm ut eo modo agat, quò viderit Ecclesiam agere, ad quamcunq; fortè devenerit. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores est, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum.

CVII. Quæ ab Anhaltinis hic rursus agitari solent de vestitu istiusmodi, *nusquam à Christo, vel Apostolis præcepto, nec unquam usurpato, imò ex adverso naturæ N. T. repugnantem:* ea sine ullâ veritatis jactura ipsis concedimus:

CVIII. Quandoquidem *nos* ritus istos nullâ sub opinione cultus etiamnum retinemus: sed tanquam tales quos penes Ecclesiam, vel servare, vel abrogare.

IV. DE VASIS SACRIS.

4. CIX. Deinceps à *tertio* ceremoniarũ genere ad *quartũ* procedimus. nempe ad *Vasa dispensationis*, cujusmodi: *Calices*, Pathenen/ &c.

Vasa Sacra.

Opinio Sacramentariorum.

CX. Pro quorum abrogatione hîc iterum Sacramentarij, tanquam pro aris & focis, nobiscum, vehementer admodum dimicant atque contendunt.

Ejus confutatio.

CXI. Sed tantâ opus non erat ipsorum vehementiâ: siquidem & ista singula ac universa à nostratibus absq; ulla *necessitatis, vel superstitiosæ λατρείας opinione* observari consueverunt.

Λύσις ἐνστάσ.

CXII. Neq; quicquam illud præjudicare nostris Ecclesiis potest, *quod vasa illa antea à Pontificiis usurpata, profanataq;.*

Resp. 1.

CXIII. 1. Repetimus enim *hic* quod & superiùs dictum: *Tollatur abusus, & maneat substantia.*

2. CXIV. 2. Patrocinatur nobis hac in parte meritò exemplum Judæorum, qui vasa illa, quæ rex Belsazar è templo Hierosolymitano abstulerat & multis modis profanaverat, æque ac priùs, ad sacra sua adhibuêre, postquam ipsis à Cyro restituta: *1. Esdr. 5. v. 14, 15.*

3. CXV. 3. Tuemur nos privilegio libertatis Evangelicæ, uti in reliquis ritibus, Ecclesiasticis: ita & hic.

4. CXVI. 4. Non apparet ulla necessitatis causa, cur calices hujus

aut

aut illius, vel materiæ vel formæ, usitatos in Ecclesiis abrogere velimus, inq; horum locum alterius materiæ, vel formæ ποτηρια substituere.

CXVII. 5. Quibus ὀκ περιουσίας addimus Lutheri testimonium, quo probatur, etiam in vasis domesticis, non consecratis, si urgeat necessitas, Cœnam Domini administrare licere. 50

CXVIII. Hic tamen cautione ist hac opus: *Non statim, quod libet & licet, id semper faciendum: sed tantùm τὸ συμφέρον unicè spectandum* 1. Cor. 6. 12. 1. Cor. 23. 33.

PROBLEMA X.

Quo loco & tempore Cœna sit administranda ac celebranda.

Duæ circumstantia administr. S. Cœn.

CXX. *Quæritur* hic *de duabus* potiss. περιστάσεσιν, ad S. Cœnæ administrationem pertinentibus; quarum una *Locus*, altera *tempus*.

1. *Locus*

CXXI. *De Loco* Calvinianis nobiscum non convenit. Ipsi namq; *censent, non* licere Cœnam Domini, nisi in loco plublico, administrare:

Testimon. Bezæ.

CXXII. Hinc *Beza quæst. & resp. 239. fol. 363.* Locum, nempè publici Ecclesiæ cœtus, Dominus instituit, cùm eam inter discipulos suos ordinaret, nec diceret: Hoc facite unusquisq; : Sed hoc facite: Et Paulus dicit: ὅταν συνέρχησθε, *cùm convenitis*: id quod etiam indicat συνάξεως nomen & veteres omnes liturgiæ ostendunt: & ipse etiam scopus horum mysteriorum, in quibus mutua cum Christo consociatio sancitur, id flagitat.

ἀναπόδειξις sententiæ Calvin.

CXXIII. Sed respondemus eidem Bezæ, adhibito *distinctionis* maximoperè necessariæ temperamento *inter locum ordinar. & extra cas. necess. & extra ordinarium, inq; casu necessitatis* versantem.

4.

CXXIV. Quod enim rationes modò *ab ipso adductas attinet*, concernunt illæ omnes & singulæ locum dispensationis S. Cœnæ ordinarium, adeoq; eum, qui extra necessitatis casum positus.

CXXV. Verùntamen de Loco *extraordinario, eoq; inprimis, qui in casu necessitatis* ad ægrotos spectat, nobis hic sermo potissimum est & esse maximè debet.

CXXVI. Idem proximè subsequenti quæstione concedit celebrationem Cœnæ in domib. privatis, si Ecclesia: cœtus communis

nis inibi conveniat, ſicuti veteribns illis temporibus ſub Roman. Imperatorum tyrannide neceſſitas poſtulat, & noſtris adhuc temporib. nimis multis in locis neceſſe eſt.

1. CXXVII. Præterea, dum idem Cœnam Domini non alibi, quàm in communi & publico cœtu, celebrandam ſuadet, & quidem propterea, quod Cœna Domini non ſit privata familiæ alicujus actio: ſed merè Eccleſiaſtica: ſibimetipſi non conſtare satis videtur, utpote qui anteà conceſſit, *in privatis ædibus Cœnam Domini celebrandam, ſi Eccleſia; id eſt, cœtus communis, in ijsdem conveniat.*

Cauſæ celebrationis Cœnæ privatim adminiſtrandæ.

CXXVIII. Huc etiam accerſendæ ſunt cauſæ, quib. probatur, Cœnam rogatu ægrotorum domi quoq; adminiſtrandam.

CXXIX. Quarum ſanè complures afferri poterant: ſed ex ijsdem potiſſimas duntaxat hic delibabimus.

1. CXXX. 1. *Ab exemplo inſtitutoris Chriſti* petitur, quippe qui primus Cœnam inſtituit, & eandem ſimul celebravit.

CXXXI. Et quidem non in templo Hieroſolymitano, aut Synagogà quapiam Judaicà; ſed *in palatio, in diverſorio publico* ad illam adornato, & eo fine peculiariter ab eodem conducto.

2. CXXXII. 2. *Ab interdicto*, de Cœnâ privatim celebrandâ nuſpiam in Script. expreſſe.

3. CXXXIII. 3. A Nomine κοινωνίας, 1. Cor. 10. ex quo haud ineptè *D. Hieron.* colligit, Cœnam Domini omnib. promiſcuè cùm malè, tùm benè valentibns, communem eſſe debere.

4. CXXXIV. 4. *A voce Eccleſiæ, utriq; cœtui*, publico pariter ac do-
5. meſtico, communi, teſte Paulo: *Rom 16. v. 4. & ad Philem. v. 2.*

CXXXV. 5. *A promiſſione παρουσίας Chriſti, pijs* itidem *cum publicâ* συναγωγῇ Eccleſiæ, *Matth. 18. v. 20. & c. ult. v. ult. communis.*

6. CXXXVI. 6. A pari jure uſus, cùm auditus Verbi & uſurpationis Sacramentorum, tum Baptiſmi, eoq; tam plublico, quàm privato, atteſtante Cypriano. *Lib. 4. epiſt. ep. 7.*

2. *Tempus. Sententia:* CXXXVII. Porrò de *Tempore* miris modis *Pontificij* à noſtris Eccleſijs *diſſentiunt.*

1. *Pontificiorum.* CXXXVIII. Sic *enim traditur in Iur. Can. De conſecratione diſt. 2. Can 16. p 69. Etſi non frequentius, ſaltem in anno, ter laici homines communicent* niſi fortè quis majoribus) quibuslibet criminib. impediatur) *in Paſcha* videlicet & *Pentecoſte. & Natali Domini.*

139. Quod

CXXXIX. Quod ipsum repetitur, ibid. c. 19. *Seculares, qui in Natali Domini, Paschâ & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*

CXL. Quò etiam pertinet, quod *Beza quæst. & resp. 138. Audimus, à Iudæis Christianos rideri, qui tam manè cœnent, & quidem contra Christi ipsius & vetustissimæ & Apostol. Ecclesiæ morem.*

CXLI. Verùm nostratium constans confessio & doctrina hac de re est: 1. *Nihil de Tempore in institutionis verbis à Christo præceptum:*

CXLII. 2. Imò, quod maximum & caput hujus rei, in matutino potiùs conventu, quàm vespertino, Cœna Domini celebranda ideò, ut ad auditum verbi Dei, & mysterium S. Eucharistiæ Φιλακροάστου, summâ cum attentione & reverentiâ tractandum, eò paratioribus animis accedatur.

CXLIII. Causæ autem cur Christus hoc sacratissimum suum epulum vespere. non manè, celebraverit, afferri possunt duæ.

CXLIV. 1. Namq; voluit, typum, sive illud N. T. quod ab ipso hîc institutum, Sacramẽtum hoc modo respondere suo antitypo: Pascha enim olim in V. T. inter duas vesperas mactari consueverat.

CXLV. 2. Veteribus in more fuit positum, semel duntaxat, vesperi nim. discumbendo Cœnam sumere.

CXLVI. Colophonis loco, præsenti huic probl. mox imponendi, placet hîc paucis attexere causas τὰς ἐγκαταρτικὰς, eas q; cùm γενικὰς tũ εἰδικὰς, ob quas ad mensam Domini sæpiùs accedendum.

CXLIII. Quarum 1 Rigor mandati ipsius Salvatoris: Hoc facite, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε ἢ πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. 1. Cor. 11. v. 25. 26.

CXLIIX. 2. Gloria & cultus Dei, subinde in nob. magis magisq; excitandus consideratione accuratiori Φιλοστοργίας Christi Ἐστάτερ erga nos ineffabilis.

CXLIX. 3. Utilitas, cum necessitate summâ conjuncta, remissionis nempè peccatorum & vitæ æternæ, nobis promissæ.

CL. 4. Necessitas vividæ cõsolationis, cõscientiæ, memoriâ passionis & mortis Christi in usu Cœnæ sæpiùs *repetendæ & corroborandæ.*

CLI. 5. Necessitas invocationis seriæ, & gratiarum actionis pro beneficijs Christi innumeris, quin etiam totius Christianæ pietatis, usu Cœnæ, æquè ac auditu Verbi, Subinde in nobis adaugendæ; de quâ videatur D. Luth. in exhortatione ad usum Cœnæ frequentem, Tom. V. Ien. p. 351. & in c. 3. Ioël.

2. *Iudæorum.*

3. *Orthod. sententia, eiusq; rationes.*

2.

Beza in resp. & quæst 138. p. 363.

Causæ duæ cœnæ circa vesperam à Christo institutæ.

2.

Causæ τῶν καταρτικῶν accessionis crebrioris ad Mens. Domini.

1.

2.

3.

4.

5.

DE

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS TERTIAE:
Problemata I. II. III.

RESPONDENTE

M. JOHANNE TRUSBACHIO
Freibergensi, Alumno Electorali.

Ad diem 18. Januar. horis locoq; consuetis.

I. PROBLEMA

An & cur Oralis manducatio ac bibitio Corporis ac Sanguinis DOMINI nostri JESU CHRISTI sit necessaria, & ad quid conducat.

PROPOSITIO I.

Ordo & causa necessitatis.

IN secunda ab hac Διατριβῇ justa fuit instituta tractatio, de *Orali manducatione*, adversus Sacramenti perdas, quorum tanta importunitas, impietas tanta, ut & istud, de *necessitate & utilitate Oralis manducationis*, Problema sub Disputationis aleam vocare cogamur.

II. Omni enim deposito pudore pro, palàm dictitant scriptitantque, *nec necesse* esse *nec utile*, ut corporea oris instrumento, corpus & sanguis CHRISTI in sacra Synaxi, edatur & bibatur; sufficere enim manducationem ac bibitionem spiritualem, quæ fide fiat.

Sacramentariorum κακοδοξία.

III. Ut enim silentio præteream, quòd *olim* (a) Oecolampadius, ætate *crassioris* adhuc & *crudioris Sacramentarismi*, pronunciare non exhorruit: non magnopere necessariam esse manducationem corporis CHRISTI in Cœna sacra, quandoquidem fides nostra nulla egeat re externa: *hodie* certè, ætate *subtilioris* & *elaborationis Sacramentarismi*, non desunt, qui peræquè crassa voce eandem cantilenam canere non reformidant.

(a) *in lib. de verb. Dom.*

IV. Sed

IV. Sed tamen ut horrenda cantilenæ illius δυσφωνία aliqua ex parte obtundatur: CHRISTI utique & Lutheri autoritatem intercinunt; perinde ut & *Oecolampadius* (*b*) Lutheri tempore.

Trewhertzige Vermahnung/der Pfältzischen

Kirchen *fol. m. 49. ed. Anno 1609.*

In welcher meinung vns auch das bestetigt: das wir finden in der heiligen Schrifft: daß Christus das leibliche Essen vnd Trincken seines Leibs vnd Bluts anderßwo außdrücklich hat verworffen: Mit diesen zweyen Gründen: Denn erstlich / so werde er gen Himel fahren / da wir jhn mit vnserm leiblichen Mund nicht werden ergreiffen vnd Essen können.

Darnach so sey auch solch leiblich Essen vnd Trincken seines Leibes vnd Bluts nichts nütze zur Seligkeit.

In libello cui inscriptio.

Was die Reformirten Kirchen in Teutschlandt gleuben oder nicht gleuben f. m. 137. ejusd. edit.

Ist demnach auch in diesem stück/ die Widerwertigkeit zwischen der heiligen Schrifft vnd D. Luthers Meinung vnverneinlich: Das nemlich die heilige Schrifft sagt/das Fleisch Christi Leiblich oder Mündlich gessen/sey NICHTS nütze: D. Luther aber sagt/das Fleisch Christi Leiblich oder Mündlich gessen / sey JA nütze.

(*b*) *in Maj. Conf. Tom. III. Ien. Germ. 358. 361. & seq.*

V. Etsi verò piæ menti sufficit Verbum sui DOMINI, (c) sacris edoctæ literis, nihil ab ipso vel constitutum vel institutum, quod ociosum, siquidem is αὐτοσοφία *Sapientia ipsa*, itemque ἀγαθὸς παναγαθὸς καὶ ὑπεραγαθὸς ὅλος ὢν ἀγαθότης, ἀλλὰ τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος οὐκ ἐπεχόμενος μόνον εἶναι τὸ ἀγαθὸν ὑπὸ μηδενὸς μετεχόμενον, juxta *Damascenum, lib. IV. Cap. 14. quæ est de Cœna* DOMINI.

(c) *Syr. c. 40, 21. c. 43, 26.*

VI. Interim tamen quia hortante Apostolo τὰς βεβήλους καὶ Lutheranorum κενοφωνίας δεῖ περιΐστασθαι: volvendum nobis est & hoc saxum, ὀρθοδοξία. cujus *duo* quasi acumina.

VII. *Vnum* est Oralis manducationis *necessitas*, *Alterum* ejusdem *Vtilitas*.

I. Tractatio διδακτικὴ. 1. De oralis manducationis necessitate.

IIX. *Utrumq;* asseremus διδακτικῶς: ad ἀντιπίπτοντα Adversariorum nos posteà accincturi ἐλεγκτικῶς.

IX. Ut igitur, de *priori*, priori loco disseramus: *duplex* utiq; istius instituti SALVATORIS necessitas à Luthero Ecclesiis commendatur. *Tom. III. Ien. Germ. f. 379.*

X. Prior DEUM: posterior *fidem nostram* concernit.

XI. *Necessitas DEVM respiciens* est, ut honor veritatis ipsi, adversus omnes μυθολομαστιγας, illibatus constet, juxta authenticam Apostoli.

Roman. cap. 3.

Num incredulitas illorum, fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax, quoniam admodum scriptum est. Vt justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

XII. *Necessitas fidem nostram* concernens est, ut ea respondeat suo correlato, id est Verbo, quo nititur, Verbo inquam institutionis, quo non nuda panis manducatio: sed realis ipsius carnis CHRISTI cum pane communicatio sancita.

XIII. Quòd si contingat fidem à suo hoc fundamento averti: quia non animadvertit eam hoc ipso everti, vel certè fidem veram perverti, & in falsam converti?

XIV. Quàm necessaria autem est salus; tàm necessaria est etiam vera fides, cum hæc causa: illa hujus effectus planè εἰκεῖον.

2. De utilitate. XV. Sufficiant hæc ἀκροθιγῶς de necessitate Oralis manducationis ac bibitionis corporis ac sanguinis Dominici: proximum est, ut de *utilitate* etiam paucula afferantur.

XVI. Acerrimus Sacramentariorum (dum Spiritus intus agebat) Antagonista (d) *Lutherus tres* potissimùm utilitates recenset: quibus *B. Chemnitius aliquas* adhuc alias ἐκ περιουσίας superaddit. Utrasque, ὡς ἐν τύπῳ hic exhibemus.

(d) *Tom. III. Ien. Germ. f. 376.*

XVII. Utraque à *Luthero* ordiamur: *prima* sapientissimæ illius CHRISTI Κατάξεως Utilitas est, ut opinione sapientiæ secularis tumidi confundantur in cogitatione cordis sui. *Luc 5. 51.*

XIIX. Humiles verò & ex agnitione indignitatis timidi erigantur, & in simplicitate fidei, Sacra DOMINI Cœna πανωφελῶς καὶ παναξίως utantur; de quib. contrariis effectis grandævus Simeon ἰσχυροφόρος προγνωστικῶς:

Luc.

Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.

XIX. *Secundam* illius rei utilitatem cum (e) *Irenæo* constituit Lutherus confirmationem fidei nostræ de resurrectione corporum nostrorum in novissimo die.

(e) lib. 4. c 34.

Quemadmodum qui est è terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra Eucharistiam percipientia, jam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia.

XX. Quò etiam collimat Canon Concilij Niceni:

Ἀπὸ τῆς θείας τραπέζης μὴ τὸ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν: ἀλλὰ ὑψώσαντες τῇ διανοίᾳ πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτους ὄντως τῶν ἱερῶν θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αἷμα καὶ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἀναστάσεως ἡμετέρας σύμβολα.

XXI. *Tertia* utilitas à Luthero educitur è Verbo DEI, quo oralis carnis & sanguinis CHRISTI manducatio & bibitio sancita.

XXII. Verbo autem DEI nihil utilius, nihil efficacius.

Esaiæ cap. 55, 8. Rom. c. 1, 16. & passim Ps. 119.

XXIII. Utilitates quas (e) *B. Chemnitius*, γνήσιος Lutheri Discipulus, his à Præceptore commendatus ἐκ περισσοῦ superaddit, sunt potissimum hæ, quæ jam subsequuntur.

XXIV. *Prima* est *fidei nostræ confirmatio*, cujus gratiâ CHRISTUS se nobis apprehendendum exhibet, in ea etiam natura, in qua *Frater* noster, & quidem *non in loco* quodam *vago* & *incerto extra Cœnam:* sed, *sub certis iisq; visibilibus panis & vini symbolis*, in ipso Cœnæ actu, occultans tubillis quasi majestatis suæ radios, quos in hac fragilitate ita nudos, & his quasi indumentis exuros, ferre nō possumus.

XXV. *Secunda* est *spiritualis communio cum DEO*, cujus fundamentum & vinculum non natura CHRISTI divina, quippe quæ per se nobis (f) ignis consumens: sed humana, quam ex nobis in DEUM assumptam, vitaque ac sanctitate repletam, in Cœna nobis reddit, ut massa hæc nostra peccatrix & mortalitati

obnoxia particeps fiat illius ζωλικῆς καὶ ἁγιαστικῆς δυνάμεως, in Carne & ex carne sibi ὁμοχοίῳ.

(f) *Deut. c. 4, 24. c. 9, 3. Heb. 12, 29.*

XXV. *Tertia* est *applicatio specialis*, vel potiùs *individualis* beneficiorum CHRISTI, quæ ipse, corpore & sanguine suo, per passionem ac mortem suam, peperit, *non generibus saltem singulorum: sed & singulis generum.*

XXVI. Quàm certò enim singuli accipiunt corpus ac sanguinem CHRISTI: tam certò etiam singuli credere debent: *hoc ipsum corpus*, quod edunt, pro se etiam in mortem fuisse traditum: & hunc ipsum sanguinem, quem bibunt, pro suis etiam peccatis in ara crucis in eorundem remissionem fuisse effusum.

XXVII. Ideoque non tantùm pro aliquibus, absolato quodam DEI decreto eò destinatis: sed pro omnibus & singulis *indiscriminatim* Cœna DOMINI instituta est, neque ulli ad eam præclusus est aditus.

XXVIII. *Quarta* est, *fœderis* (g) *in baptismo initi redintegratio*, & obsignatio, peragenda eo ipso sanguine, sanguine inquam Novi Testamenti, quo illud ab ipso sancitum. (g) *1. Pet. c. 3, 21.*

XXIX. *Quinta est fidei*, (h) *qua πνευματικῶς vivimus, excitatio & sustentatio*, beneficio vivificæ carnis & sanguinis CHRISTI, ne in æstu tentationum expiret. (h) *Hab c. 2, 4. Rom. 1, 17.*

XXX. *Sexta fraternæ dilectionis operatio*, in membris mystici corporis CHRISTI, cujus ipse caput habitans & operans in illis, eâ naturâ, quâ frater noster. *1. Cor. 10, 17. c. 12, 13.*

XXXI. Et hactenus quidem de necessitate & utilitatibus manducationis ac bibitionis corporis ac sanguinis CHRISTI in sacra Eucharistia *διδακτικῶς*.

XXXII. Quæ doctrina cum apud Sacramentarios minimè vigeat: fieri utique non potest, quin apud illos etiam usus Cœnæ valdè frigeat.

II. Disputatio ἐλεγκτικὴ. 1. De dicto Joh. 6. 6.

XXXIII. Supereſt, ut ad *ἀντιπίπτοντα* eorum nos accingamus *ἐλεγκτικῶς*, quorum potissimùm *duo*.

XXXIV. *Primum* est effatum CHRISTI, quod *Oecolampadio*, Lutherotesta, *murus ahneus* Joh. 6:

Spiritus est qui vivificat: Caro non prodest quicquam.

35. Hic

XXXV. Hic enim vocabulom Carnis torquent ad Carnem CHRISTI, quasi hæc non prosit quicquam: nec vivificandi virtute prædita.

XXXVI. Verùm enimverò ut hæc celebris CHRISTI sententia à ψευδερμηνείᾳ vel potiùs βλασφημίᾳ Calviniſtica potentiùs evidentiùsq; vindicetur oſtendemus: κατ' ἄρσιν & ἀποφατικῶς, quòd interpretatio iſta menti CHRISTI non conveniat. 2. καθ' ἑαυτὸν καταφαλικῶς quænam interpretatio eidem conveniat.

XXXVII. Quòd iſte Sacramentariorum interpretatio menti CHRISTI non conveniat: plurima docent & confirmant. 1. κατ' ἄρσιν

XXXVIII. Ac primò quidem omiſſio Pronominis, ſiquidem CHRISTUS loquitur indefinitè de carne, absque additione pronominis MEA; ſecus atque ab ipſo factum, in omnibus illius capitis locis, in quibus de ſua carne ſermocinatus.

XXXIX. Ibi etiam ubique diſtinctionis ergo, & non absq; emphaſi ſingulari, vel pronomen illud, vel nomen FILII DEI, addidit, ſicut manifeſtum, ex verſ. 51, 52, 53. 55, 56.

XL. 1. Aperta CHRISTI aſſertio, qua carnem ſuam vivificatricem eſſe teſtatur.

verſ. 51.

Ego ſum panis VIVUS, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, VIVET in æternum, Et panis quem dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi VITA.

verſ. 54.

Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.

XLI. Unde in Anathematiſmo XI. Concilij Epheſini:

Caro DOMINI eſt vivifica, propterea quod propriè facta eſt Verbi, quod omnia vivificat.

XLII. Cui σύμψηφον καὶ εὐαρμόστον aureolum iſtud Cyrilli.

Lib. IV. in Johan.

Quoniam Salvatoris noſtri caro VERBO DEI *(quod naturaliter vitæ eſt) conjuncta vivifica effecta eſt: quando eam comedimus: tunc vitam in nobis habemus illi conjuncti, quæ vitæ affecta eſt.*

XLIII. 3. Abſurda blaſphemia, & blaſphema abſurditas; ipſam ipſius FILII DEI carnem, qua, ut re omnium precioſiſſima, redemti, nihil quicquam prodeſſe.

XLIV. 4. *Oppositio Carnis & Spiritus*, qualis inter Carnem CHRISTI & SPIRITUM SANCTUM nullum invenit locum, cum illa hoc uncta sit absque mentura *Psal. 45, 8. Ioh, c. 3, 34 Act. 10. 38.*

XLV. Ceterùm *interpretationem mentis* CHRISTI *convenientem* Lutherus Interpres Scripturæ sagacissimus his proponit verbis.

Tom. III Jen. Germ. f. 364.

II. κατὰ ῥῆσιν. I. Lutheri interpretatio.

Fleisch heist hie nicht Christus Leib: Sondern gewißlich den alten Adam/vnd dz da wider den Geist oder je one Geist/ vnd nu Geist.

XLVI. Et hunc in modum etiam interpretatur hunc locum *Chrysostomus, Hom. 46:*

Non de ipsa Carne dicit: Absit: sed de his, qui Carnaliter accipiunt quæ dicuntur.

XLVII. *Fundamenta* hujus interpretationis poni possunt præ ceteris, *duo*, quorum *primum*, CHRISTI *scopus*; alterum ἀντιθεσις *Carnis & Spiritus.*

XLIIX. *Scopus* CHRISTO propositus est, dehortari auditores ab opinione Capernatica, qua Verba ipsius præcedentia, de esu carnis suæ & potu sanguinis sui, intelligebant, *sensu carnali*, de corporis, & quidem nudi hominis, laniena crudeli & horrenda, non absque stupore dicentes:

Durus est hic sermo, quis potest eum audire?

XLIX. Ad eundem Scopum *Theophylactus* quoque istam CHRISTI ῥῆσιν: Caro non prodest quicquam &c. refert in Comment. in cap VI. Joh.

Quoniam (ut sæpè diximus) carnaliter exponentes ea, quæ dicebantur à Christo, offendebantur: dicit quòd spiritualiter intelligenda sunt ea, quæ dicuntur à me, hoc est, prodesse. Caro autem hoc est, carnaliter illa exponere, nihil prodest, sed offendiculi occasio fit. Sic igitur illi qui carnaliter audiebant, quæ à Christo dicebantur, offendebantur. Subdit igitur, verba quæ ego loquor, Spiritus sunt, hoc est, spiritualia sunt, & vita, nihil carnale habentia & vitam afferentia æternam.

L. ἀντιθεσις *Carnis & Spiritus* urget & perurget Lutherus, hanc inculcans Regulam:

Tom. III. Jen Germ. f. 364.

Nu wollen wir den spruch Christi für vns nemen/ Fleisch ist kein nütze/ vnd sehen/ ob wir jhn besser möchten handeln denn die

Schwer-

Schwerther. Vnd sey vnser Grund ker/ Das/ wo die zwey wort/ Fleisch vñ Geist in der Schrifft gegẽeinander gesetzt werden. Da kan Fleisch nicht Christus Leib heissen/ sondern heist allwege das alte Fleisch/ das vom Fleisch geboren ist/ Johan. 3. Was vom Fleisch geboren wird/ das ist Fleisch.

LI. Sacramentarij, exceptionis loco, reponunt, Scripturæ loca, in quibus caro & Spiritus quidem sibi in vicem opponuntur, & nihilominus tamen Carnis Vocabulum, non nisi de ipso ipsius CHRISTI corpore accipi possit ac debeat, v. g. *Resp. ad Exceptionem Adversariorum.*

1. Tim. 3. v. 16. Rom. 1. v. 4. 1. Pet. 3. v. 18.

Ausführlicher bericht/ was die Kirchen in Teutschland gleuben C 5. fol. 144.

LII. Sed fumos vendunt, dum non attendunt, quòd Lutherus loquatur de oppositione inter τὸ Caro nudè positum & ἄνευ προσ-ῤῥήσεως: & τὸ Spiritus.

LIII. In locis autem allegatis ponitur τὸ Caro μετὰ προσ-ῤῥήσεως CHRISTI, cujus illa caro.

LIV. Verùm enim verò ne habeant Adversarij, quod desiderent huic Lutheri interpretationi ἐκ προσῤῥήσεως, addimus adhuc unam: quæ & ipsa menti ac scopo CHRISTI conveniens. 2. *Alia interpretatio.*

LV. Capernaitæ concionem CHRISTI intelligebant de *carne nudi ac puti hominis.* Et talis utique carnis esus & usus vere nihil quicquam prodest. Et sic errabant *non tantùm* in manducationis *modo*, sicut paulò antè dictum: sed etiam in ejus *objecto*.

LVI. Ut igitur de utroque rectiùs instituantur CHRISTI Auditores, docet, Carnem quidem *nudi ac puti* hominis nihil prodesse; sed *suam carnem* esse *præditam Vivificatrice Virtute, ex inhabitatione SPIRITVS SANCTI Vivificantis, quo absq; mensura unctus.*

LVII. Cujus rei τεκμήριον apparitorum in gloriosa suâ ad Cœlos Ascensione. Ideoque hæc immediatè præmittit:

Hoc vos offendit? quid si igitur videritis Filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius?

LIIX. Et ita fuit *prius* Sacramentariorum ἀντίπτωσον, ab autoritate CHRISTI posterius nectunt ex *authoritate Lutheri*, quasi eodem modo, quo Calviniani verba illa CHRISTI: Caro non prodest quicquam &c. intellexerit. II. *De Autoritate Lutheri.*

Ausführlicher Bericht CV. f. 137. 69. Sed

LIX. Sed quòd præter rem istud affingatur Luthero, Hespero clariùs effulget ex jis, quæ paulo antè adducta sunt, ex Libro: Das die wort &c. noch fest stehen/ ubi πλίξ καὶ πλάξ illam Sacramentariorum impugnat.

LX. Testimonia ab adversariis, ex Luthero, in loco modò nominato citata planè sunt ἀπρόσκοπα; siquidem inibi sermo est Luthero de spirituali manducatione, per fidem, sine qua oralis manducatio utiq; nihil prodest: Sed *hac cum illa conjuncta* longè plurimùm; planè ut in Catechesi, in Responsione ad quæstionem:

Quî potest illa corporalis manducatio tantas res efficere?

LXI. Pervolvarur legendo scriptum Lutheri, cujus jam modò mentionem fecimus sub Tit. das die wort etc. noch fest stehen.

Tom. III. Ien Germ. à fol 358. usq; ad finem.

PROBLEMA II.

An responsio Lutheri in Catechesi ad hanc quæstionem: *Quî potest illa corporalis manducatio tantas res efficere?* loquatur, de substantia Cœnæ, vel de manducatione salutari, & quo sensu & respectu, hæc verba: *Pro vobis datur & effunditur in remißionem peccatorum*, inibi dicantur *principale caput* in Sacramento Cœnæ.

Occasio.

LXII. Incidit jam mentio Responsionis Lutheri in Catechesi, ad quæstionem illam: *Quî* potest illa corporalis manducatio &c.

Causa σεχ καταχρηστικὴ

LXIII. Quâ occasione etiam hoc Problema proponere placet idq; propter Neo-Calvinianos in Hassia, qui in libellulo, cui titulus Sprüchbüchlein aus Lutheri Schrifften/ Responsionem illam Lutheri, sensu Calviniano interpretari non veriti.

Enodatio Problematis.

LXIV. Ibi enim responsionem istam Lutheri directè ad Sacramentalem manducationem & Cœnæ substantiam, referunt.

LXV. Sed ut hujus Problematis tabulæ manum admoveamus, *duarum* illud est partium.

1a Pars.

LXVI. *Prior* est: *num* responsio illa Lutheri loquatur de *substantia Cœnæ, & manducatione Sacramentali.*

LXVII. Ajunt *Neo-Calviniani*: Nos negamus, docentes non de substantia: sed de fructu Cœnæ ibi agi, cujus percipiendi instrumentum fides.

LXVIII. Confirmant noſtram hanc ſententiam *1. Methodus Lutheri*, qua in *prima & ſecunda* quæſtione de ſubſtantia Cœnæ: in *reliquis* verò tribus, de fructu ejusdem tractare voluit.

LXIX. 2. *Sonus verborum* in tertia & quarta quæſtione, quarum hæc cum illa indiſſolubili nexu cohæret:

3. quæſt. *Quid verò PRODEST ſic comediſſe & bibiſſe.*

4. quæſt. *Qui poteſt corporalis manducatio tantas res* (ſcilicet remiſſionem peccatorum, vitam, juſtitiam ac ſalutem, de quibus in proximè præced. *Reſp.*) *EFFICERE?*

LXX. E quo patet: ut in tertia quæſtione de fructu per ſe: ita in quarta propriè de medio vel inſtrumento, quo fructus illius participes fieri poſſumus, quæri.

LXXI. Remittit igitur nos Lutherus in Reſponſione ad fidem, his eam concludens Verbis:

Qui credit his verbis: ille habet, quod dicunt, & ſicut ſonant: nempe remiſſionem peccatorum.

LXXII. Quis hîc non videt, non *de perceptione corporis & ſanguinis Dominici* ſermonem eſſe: ſed de *perceptione remiſſionis peccatorum: Hujus* medium & inſtrumentum eſt fides: *illius autem* os?

LXXIII. *Poſterior* pars Problematis eſt: *quo reſpectu* hæc verba: Pro vobis &c. dicantur à Luthero *principale caput* in Sacramento. 2. Pars.

LXXIV. Conſtat verò ex his, quæ jam dicta, quòd id non intelligendum ratione ſubſtantiæ; ſed fructus Cœnæ, de quo quippe ibi ex profeſſo agitur.

LXXV. Et, quod probè notandum, eulogium hoc manducationis ſalutaris, *non ſeponit aut excludit* manducationem Sacramentalem & oralem; *ſed ſupponit includit.*

LXXVI. Ideoq; Lutherus non ſimpliciter dicit, quod verba illa de ſalutari manducatione, ſint principale Caput in Sacramento Cœnæ: ſed ita ſuam format & adornat orationem:

Quæ verba ſunt, VNA CVM corporali manducatione, caput.

PROBLEMA II.

An indè, quòd CHRISTUS Cœnam ſe ſuam inſtituiſſe profitetur, in ſuam ἀνάμνησιν, abſentia corporis & ſanguinis ipſius evinci poſſit?

ἀφορμὴ. LXXVII. Inter cæteras utilitates Cœnæ Dominicæ, de quibus hactenus, non postrema est, quòd CHRISTUS nos Cœna uti jubet in suam ἀνάμνησιν vel *recordationem sui.*

Opinio Calvinianorum. LXXVIII. Quid *Calviniani?* Hunc hujus epuli sanctissimi usum pium, in abusum impium convertunt, dum inde absentiam corporis & sanguinis Dominici astruere allaborant.

Trewhertzige Vermahnung fol. 49.

LXXIX. Vulgò autem levis armaturæ argumentulum, quod, ex vocabulo ἀναμνήσεως, consarcinant:

Paulus de Cœna DOMINI verba faciens, non meminit realis præsentiæ: sed solius ἀναμνήσεως.

1. Cor. c. 11. 24. 25.

Responsio Philosophorum ad Minorem. *Atqui ἀνάμνησις est rerum absentium non præsentium.*
Ergo Paulus non statim realem corporis ac sanguinis CHRISTI *in Cœna præsentiam.*

LXXX. Hic est ille aries bicorniger! Philosophi *Minus* cornu, id est, Propositionem *Minorem*, aggrediuntur, idque securi *inficiationis* resecandum censent, productis, instantiæ loco, in contrarium è Scriptura exemplis, v. g. *DEI ubiq; locorum præsentissimi, cujus tamen recordatio Eccles. 12,* 1. Itemq; CHRISTI, qui passim nobiscum usque ad consummationem seculi; de quo tamen 2. Tim. 2,8. μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν.

LXXXI. Verum enim verò si pace eorum velimus ἀπελθολογεῖν ἀνάμνησις utique est propriè rerum non ἁπλῶς: Sed πῶς, id est, quatenus illæ *præteritæ* vel *pridem factæ.*

LXXXII. Idque vel sonus appellationis arguit: ἀνάμνησις enim non planè idem est, quod commemoratio: Sed idem quod *recordatio, recommemoratio.*

LXXXIII. Rerum v. *præsentium* quatenus præsentium, propriè non est recordatio sed, vel *sensus*, si fuerint *sensiles*: vel *cogitatio* & *consideratio*, si fuerint *insensibiles.*

LXXXIV. Ad exempla Scripturæ facilis est responsio. *1. Ecclesiastæ c. 12 1.*, jubentur juniores recordari finis, cujus gratiâ à DEO Creatore suo conditi, vel certè Creatoris, qui, illorum opinione, absentissimus.

LXXXV. 2. Tim. c. 2. v. 8. non nudè & absolutè dicitur μνημόνευε

Ἰησ

Ἰησοῦν χριστὸν: sed indivulso nexu cohærent hæc: ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν.

LXXXVI. Unde cuivis legenti obvium, quòd sermo sit Apostolo de CHRISTO: non ἁπλῶς considerato: sed πῶς, respectu videlicet resurrectionis, quæ non in censu *præsentium*: Sed absentium, ac rerum pridem *factarum* vel *præteritarum*.

LXXXVII. Sed hæc nos bonâ cum gratiâ remittentes ad Philosophos, ad *majus* illius arietis *cornu*, id est, *Propositionem Majorem*, quæ nititur autoritate Apostoli, animum advertimus, quodq; cornu illud totum sit morbidum, ἐπαριθμήσει vitiorum, quibus laborat, ultrò demonstramus.

Responsio Theologorum ad Minorem instituta ἐπαριθμήσει vitiorum, quibus laborat.

LXXXVIII. Primum vitium est *petitio principij*, quod Apostolus non realis præsentiæ: Sed saltem ἀναμνήσεως mentionem faciat. Contrarium enim in præcedentibus Disputationibus luculentissimè ostensum est.

LXXXIX. 2. *Confusio eorum*, quæ de *substantia* & *fructu* Cœnæ agunt inter quæ tamen tantum discriminis, quantum inter *rei substantiam*: & id, *quod extra rei substantiam* positum. inter *interna* & *externa*: inter *rei constitutionem*, & rei *constitutæ consequens*.

XC. Verba enim: *Hoc facite in mei commemorationem*: *non* pertinent *ad substantiam* Cœnæ, quam jam instituerat & definierat DOMINUS: sed ad *fructum* Cœnæ, quem verbis: *Hoc facite*: sancit, exponens videlicet, & imperans, quo fine, vel cujus fructus gratiâ, Cœna jam à se instituta, manducatione corporis ac sanguinis sui, celebrari debeat? Quomodo igitur ἡ ἀνάμνησις everteret παρῳχημένα ἀδαμῶς.

XCI. 3 *Parologismus compositionis*, dum τὸ ἀνάμνησις referunt ad CHRISTI corpus & sanguinem *absentem*, referendum, ad *passionem ac mortem* CHRISTI *præteritam*, qua corpus suum tradidit, & sanguinem effudit, teste eodem Apostolo in versu sine intervallo subsequenti: 3.

Quotiescunq; ENIM manducabitis panem hunc, & calicem hunc biberitis: MORTEM DOMINI annunciabitis.

XCII. Adde, si τὸ ἀνάμνησις referendum ad absens corpus & sanguinem CHRISTI: tum sequetur, quòd in prima Cœna *aut* CHRISTUS corpore ac sanguine suo *non adfuerit*: aut quod vocabulũ illud tum fuerit *supervacaneum*. Atqui utrumq; est absurdum. Ergo.

IV. PROBLEMA.

An & quomodo contemptores Sacramenti Cœnæ, ad ejus usum cogi possint ac debeant?

σωνέχεια. XCIII. Quæ de utilitate sacræ Eucharistiæ disputata sunt hactenus, piis omnibus *ὑπεκκαύματα* & *ὀρεκτήρια* omnium efficacissima, quibus eorum animi, ita inflammantur & incitantur, ut nihil prius & antiquius sibi esse patiantur, quàm frequentem Cœnæ

τὸ δέον. Dominicæ usum.

XCIV. Atq; hinc ardor ille in primativa olim Ecclesia, in qua aliqui singulis diebus ad sacram synaxin accedebant, referente *Augustino*, & ex Augustino Juris Canonici *Compilatore Gratiano de Consecr. Dist. II. cap. 13.*

CXV. Debebat eundem ardorem in nobis etiam excuscitare, inter alia, vel maximè VOX SALVATORIS: QUOTIESCUNQUE, &c.

CXVI. Hac enim haud obscurè monet: non semel atque iterum saltem Cœna à se instituta utendum: *sed multoties.*

τὸ συμβαῖνον. XCVII. At enimverò apud nostros hodie homines ardor ille non modò refriguit: sed apud complures penitus elanguit, imò, ut dicam quod res est, evacuit.

XCIIX. Eò enim, proh dolor, res rediit, ut non desint, qui à Sacramento hoc summè venerando adeò abhorrent, ut, per annos sanè plusculos, eo non utantur.

Caput ζητήματος. XCIX. Quæritur proinde quid cum hujus fecis & farinæ hominibus agendum, *num & quomodo* ad usum Cœnæ Dominicæ cogi possint ac debeant.

Decisio per distinctionem inter coactionem. C. Nos, ut rem in pauca contrahamus, quæstionem hanc practicam decidendam censemus beneficio *distinctionis*, inter *coactionem βιαστικὴν, externam & corporalem*: & *ἀβίαστον internam & spiritualem.*

CI. *Primam* meritò repudiamus, tum propter periculum indignæ *χρήσεως* tum ideò, quia cultus DEO præstandus cum (g) *Εὐδοκίᾳ* & *αὐθυμίᾳ* (h) *οὐκ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως*, & (i) *Spiritu spontaneo.*

(g) *2. Cor. c. 11.* (h) *1. Pet. c. 5. 3.* (i) *Psal. 51. 12. Psal. 110, 3, Psal. 119. 108.*

CII. Et huc tendit etiam judicium Lutheri:

Tom. V. Jen. f. 188.

Vnd das Predigampt hat doch Gott nicht dazu gestifftet/ das es jhme solche sichere faule Prediger / vnd vnwillge gezwungene Christen machen/ vñ wer nicht willig vnd gerne ein Christ sein wil/ vnd nicht gern zum Sacrament gehet/ der bleibe nur weit davon / vnd fahre/ wohin er fehret/ Gott mag keinen gezwungenen Dienst haben/ wie S. Paulus sagt/ 2. Corinth. 9. Einen frölichen Geber hat Gott lieb. Sondern dazu ists gestifft/ das es die Leut soll herzubringen/ locken vnd ziehen/ das sie willig vnd gerne komen/ Ja/ das sie mit gewalt lauffen/ ringen vnd dringen.

CIII. Cum quo consentit illud Δ'ηλον *Damasceni* lib. 4. ὀρθ. πίσ. cap. 20.

ἀβίαστον εἶναι περὶ τὸ καλὸν.

CIV. *Coactionem* verò *alteram* omnibus modis commendamus, ut summè necessariam, & ut partē Ministerij Ecclesiastici, maximè præcipuam.

CV. *Quomodo* autem isthæc coactio instituenda: id fideli studio monstrat Lutherus, in exhortatione seria, ad frequentandum usum Sacramenti Cœnæ, qua causas πρεσβυτικὰς numero plurimas, pondere gravissimas, robore validissimas complexus est. *De modo.*

Tom. V. Ien. f. a. fol. 189. usq; ad f. 202.

CVI. Has Ministri Ecclesiæ Cœnæ comtemptoribus subindè inculcent, non *publicè* tantùm & *in genere*: sed etiam *privatim* in *individuo*, effectum piis precibus committentes DEO, in cujus manu corda hominum, quique φυτεύσῃ nostræ ἄυξησιν promisit prolixissimè.

Esaiæ c. 55. 1. Cor. c. 3.

CVII. Videatur τάξις ἐκκλησιαστικὴ Elect. Saxon. *Cap. VIII.* quod est *de Communione m. f. 314.*

DE SACRAMENTO COENÆ,
DECADIS TERTIAE.
Problemata V. VI. VII.

RESPONDENTE

M. SIMONE SALICHIO
Magdæburgenſi,

Ad diem 18. Februar. horis locoq; conſuetis.

V. PROBLEMA.

An ſacroſancta Cœna ideò ſit inſtituta, ut etiam ſit Sacrificium propitiatorium verè ac propriè ſic dictum, adeoq; pro vivis ac mortuis pariter offerendum?

PROPOSITIO I.

Μετάβασις. VErſamur adhuc in ea, Doctrinæ de Cœnæ parte, quæ eſt de *fine* & *fructu* ejus, cujus gratiæ eam Cœleſtis Ἐπιστάτης CHRISTUS ſancijt.

II. In proximâ συζητήσι fructûs præcipuos delibavimus, &, quâ ratione, Epuli hujus ſacratiſſimi Contemtores, eò, ut fructuum illorum participes reddantur, compelli poſſint ac debeant, monſtravimus.

III. Illis verò fructibus Cœnæ DOMINICAE *veris* ac *genuinis* PſeudoCatholici in Papatu finem opponunt *falſum* & *aduiterinum*.

IV. Qualis iſte? Fingunt ac fabulantur; DOMINUM unâ & eâdem Διατάξει inſtituiſſe Cœnam: *non modò* ut foret *Sacramentum*, quo ipſe ſuum corpus & ſanguinem nobis offerat edendum & bibendum: *ſed* ſimul *etiam ſacrificium propitiatorium*, quo corpus & ſanguis ejus, pro vivis & mortuis, Deo offerenda.

Opinio Romano Catholicorum.

V. Ita

V. Ita ēnim Jesuita Canisius in Catechesi sua.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis novæ sacrificium & oblatio munda, cruentis legis Iudaicæ sacrificijs incruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Vnde fit, ut Eucharistia non solùm *à fideli populo* sumatur: sed etiam *pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie* immoletur, *semperq;* oblata *fuerit in Ecclesia Dei.* m. fol. 19.

VI. Expressiùs verò Areopagitæ Tridentini:

Can. I. de Missa:

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & propriam Sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

Canon. II.

Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliíque Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem, anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, ut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.

VII. Nec non horum præco vel ἐξαγγέλτως χαλκεόφωνος Bellarminus:

lib. II. de Missa cap. 1.

Contrarium docet, ac docuit semper Catholica CHRISTI *Ecclesia, & Synodus Tridentina, ut rem totam penitus declararet, sess. 22. Can. 3. apertè docuit:* sacrificium Missæ non solùm propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solùm pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus atque adeò mortalibus: Id enim significat, cum ait. Crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. Præterea non solùm impetratorium esse spiritualium beneficiorum; sed etiam temporalium, & idcircò offerri posse pro peccatis, & pro quibuscunque alijs necessitatibus.

IIX. Ex his quivis intelligens intelligit, quòd sententia Romano-Catholicorum, quoad præsens istud Problema, ad hunc aphorismum revocari possit ac debeat.

Eucharistia non tantummodo est Sacramentum: sed etiam Missa, id est, sacrificium externum verè ac propriè sic dictum, idq; propitiatorium, in quo corpus & sanguis CHRISTI, *pro vivis pariter & defunctis in purgatorio, offerenda.*

I. Structura istius ἀιρεσπόλεως diruitur. πανοπλία Syllogistica X. membrorum.

IX. Contra hanc *ἀιρεσπόλιν* Monarchiæ AntiChristianæ depugnandum nobis acriter & alacriter, in hoc circo Theologico, *duplici* armorum genere, quorum *uno* illius *structura*: *altero* structuræ istius *fulcra* funditus diruenda.

X. Arma vel instrumenta, quibus *structura* illius *ἀιρεσπόλεως* diruenda, huic machinæ Syllogisticæ appendimus:

Quæcunq; doctrina ex diametro pugnat. I. cum Scripturæ Divinitus revelatæ autoritate. 2. cum institutione Cœnæ DOMINICÆ; 3. cum perfectione sacrificij crucis CHRISTI: 4. cum veritate æterni sacerdotij CHRISTI: 5. cum natura Novi Testa, 6. cum systemate penè toto articulorum fidei: quæ insuper 7. extructa est ex puris ingenii humani commentis: quæ præterea 8. laborat contradictionibus; 9. longè post Apostolorum demum tempora: in Ecclesiam invecta: quæ denique 10. infinitis propemodum abominationibus scateat: *ea doctrina caret fundamento, impia est & nova: ac proinde ex Ecclesiæ pomariis proscribenda.*

Atqui talis est doctrina Romano-Pontificiorum de Missa jam indicata, id est, pugnat cum Scripturæ Divinitus revelatę autoritate. Ergo.

XI. Connexi in *Propositione* solidam veritatem, & veram solidiratem nemo negaverit, nisi *ἄθεος*.

Probationis singulorum X. membrorum. I. Pugnat cum Scriptura.

XII. *Assumptionis decem* sunt membra, quæ, qua fieri potuerit brevitate ac perspicuitate, ordine confirmanda singula.

XIII. Ac *primò* quidem, quòd doctrina de Missa *pugnet cum Scripturæ Divinitus revelata autoritate*: inde exsplendescit, quòd Scriptura in Novo Testamento nulla alia agnoscit Christianorum Sacrificia, præterquam 1. interna illa & Spiritualia, quæ (a) *εὐχαριστικὰ*, & *metaphoricè* sic appellata, solumque solius CHRISTI sacrificium, in ara crucis semel peractum, quod (b) *ἱλαστικὸν* & propriè ita dictũ.

(a) *Psal.*

(a) *Psal. 50, 14. 23. Psal. 51, 19. Psal. 141, 2. Oseae 14, 3. Rom. 12, 1. Heb. 13, 15, 10, 1. Pe. 2, 5. Lutherus Tom. 1. Ien Germ. f. 366. & seq.*

(b) *Heb. 9, 12, 14. 26, 10. 14.*

XIV. Maximè autem non tàm ἄγραφον: quàm ἀνάγραφον, quòd missam volunt esse sacrificium externum visibile, propriè ita dictum: & tamen *non cruentum*: sed *incruentum*.

XV. ἄγραφον est, quia ne minimum quidem jota de tali Sacrificio novi Testamenti in universa Scriptura, cui soli nos religiosissimè astricti, quippe quæ ἀκριβὴς ζυγὸς ἁπάντων καὶ γνώμων καὶ κανὼν, docente Chrysostomo.

Homil. 1. in 2. Corinth.

XVI. Ἀνάγραφον verò est, quia Scripturæ nullum Sacrificium expiatorium, nisi cruentum.

Heb. 1. 9. 12, 14, 16, 18, 22, 25.

XVII. Ac proinde esse Sacrificium propitiatorium: sed incruentum est ἀνυπερίμφορον ἐν παρατεθειμένῳ, somnium sine somno, taliumque terminorum connexio, qui mutuâ, se invicem internecione tollunt; posterior siquidem repugnat naturæ priori, quam distinguere debebat.

XVIII. Et II. *quidem quòd* Missa pugnet *cum institutione Cœnæ Domini*, adeò verum est, ut etiam omnibus quatuor causis invicem differant, sibiq; mutuò adversentur.

II. *Pugnat cum institutione Cœnæ DOMINI.*

XIX. 1. *Causa efficiente*: Missæ enim autor est Pontifex Romanus, vel Antichristus, ut ex canonibus Missaticis constat: Cœnæ autem Dominicæ ipse CHRISTUS.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

XX. 2. *Materiâ*. Missa non constat ex pane & vino cum corpore & sanguine CHRISTI sacramentaliter unitis: sed in corpus & sanguinem CHRISTI per transubstantiationem transmutatis: Cœna verò DOMINI instituta est, ut unâ cum pane & vino, extra omnem mutationis aleam positis, corpus & sanguinem CHRISTI accipiamus.

XXI. 3. *Formâ*. In Missa sacrificuli actio & intentio primaria & *interna* est, conficere ex pane corpus CHRISTI, itemque offerre sacrificium incruentum pro vivis pariter & mortuis, quod utrum-

que

que à DEO nec mandatum nec institutum, quemadmodum nec actiones externæ, cujus modi multi variæ, eæque perquam ridiculæ gesticulationes, de quibus Sleidanus.

Lib. 21. sub initium anni 1550.

XXII. Cœna autem DOMINI constat actionibus à DEO mandatis *internâ* commemoratione mortis CHRITI, &c. *externis* συλλαδόσ λήψ.

XXIII. 4. *Fine.* Finis enim Missæ principalis est offerri DEO sacrificium ἱλαστικὸν: Cœnæ verò ut fides in nobis confirmetur, nosque ἑνώσ μυστικῇ CHRISTO inseramur.

III. *Pugnat cum sacrificio crucis.*

XXIV. III. Quòd Sacrificium Missæ pugnet cum *sacrificio crucis*, & proinde nequaquam unum & idem sit, cum hoc; propalam, & tanquam in tabellula quadam, exhibent & ante oculos constituunt sequentes *sex* differentiarum gradus, quibus toto, quod dicitur cœlo, invicem distant discrepantq;.

XXV. Ac I. quidem *origine & autoritate*: Sacrificium enim crucis (e) ὡρισμένη θεοῦ βουλῇ factum & peractum est: abominatio autem Missæ ab Antichristo Romano, instinctu Satanæ, primitus nata & procreata fuit (c) *Actor. 1. Daniel 11. 38.*

XXXVI. 2. *Personis offerentibus.* Illic est ipsemet summus & unicus noster Pontifex, JESUS CHRISTUS, qui semetipsum obtulit (d) itq; παντελῶς, ὁσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν τωλῶν: hic vero sordibus & impurus sacrificulus, ibi idem ὁ ἁμαρ πρὸσ θεὸν καὶ πρὸσ φερόμενος hic verò ille ab hoc longè est diversissimus. (d) *Hebr. 7.*

XXVII. 3. *Materiâ.* In cruce enim CHRISTUS proprium suum corpus propriumq; suum sanguinem obtulit. In Missa verò sacrificulus nudum putumq; panem & vinum immolat.

(e) *1. Pet. 2, 24. Heb. 10, 10. Heb. 9, 12.*

XXVIII. 4. *Formâ.* Sacrificium enim Crucis fuit cruentum: Illud verò Missaticum est incruentum, adeoq; hoc ipso, quia incruentum, remissionis peccatorum non impetratorium. *Heb. 9, v. 22.*

XXIX. 5. *Adjuncto temporis & numeri.* CHRISTUS enim SEMEL se obtulit, sicut Epistola ad Hebræos particula isthac (f) ἅπαξ *quinquies*, & voce (g) μιᾷ *bis* reperita testatur: Missifices verò suum illud sacrum subinde iterant.

(f) *Hebr.*

(f) *Hebr. 7, v 27. cap. 9, 12. 2. 6, 28 cap. 10, v. 10.*
(g) *Heb. c. 10, v 12. 14.*

XXX. Præ reliquis autem maximè ἐμφατικὸν est, & aperta Negationis & Affirmationis ἀντιθέσει conspicuum istud:

Heb. 9.

Non enim in manu facta sancta ingressus est CHRISTUS, *exemplaria verorum, sed in ipsum Cœlum, ut appareat nunc in conspectu DEI pro nobis.* NEQUE *ut sæpius offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur in sancta singulis annis, per sanguinem alienum, quia oportuisset illum sæpius passum fuisse à condito mundo.* NUNC *autem semel sub consummationem sæculorum, ad profligationem peccati, per immolationem suiipsius apparuit.*

XXXI 6. *Adjuncto perfectionis.* CHRISTI enim sacrificium absolutè est perfectissimum, perfectissimeq; absolutum, adeoq; (*h*) PERFECTOS reddit in PERPETUUM eos, qui sanctificantur, & proinde nullius plane reiterationis indiget: sacrificium autem Missaticum indies offertur, & sane hoc ipso imperfectionis manifestò arguitur. (h) *Hebr 10, v. 14.*

XXXII. IV. Quòd Missa pugnet cum *Sacerdotio* CHRISTI exinde patet: quod CHRISTUS est & dicitur (*i*) Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedeci, & cujus proinde Sacerdotium ἀπαράβατον, quiq; semetipsum DEO obtulit SEMEL per SPIRITUM SANCTUM, &c. Id quod de Sacerdotibus Missificis nullo planè jure enunciari potest. (i) *Psal. 110, v. 4. Hebr. 9, v. 26.* *IV. Cum Sacerdotio CHRISTI.*

XXXIII. V. Quòd Missa pugnet cum *natura Nov. Testam.* vel ex eo apparet, quòd universa Lex ceremonialis, una cum toto sacerdotio Levitico, quod in sacrificijs maximè occupatur, in N. T. penitus sublata & abrogata. *V. Cum Nat. N. T.*

XXXIV. VI. Quòd Missa pugnet cum *systemate plurium* fidei articulorum, hac aliquot saltem eorundem ἐπαγωγῇ, ὡς ἐν τύπῳ, ὁλοσχελῶς ex Symbolo Apostolico ostendimus. *VI. Cum pluribus Articulis Fidei.*

Contra I. Symb. art.

Dicitur missificus creator sui creatoris.

Contra II. art.

1. *Sacrificuli gloriantur se qnotidie creare* CHRISTVM, *quem virgo* MARIA *semel tantùm peperit.*

2. *Duplex constituunt* CHRISTI *corpus, unum quod ex Maria virgine, alterum quod è pane consecrato conficiatur.*

3. CHRISTVM *denuò, quantum in se, crucifigunt, & trucidant, qui tamen semel mortuus dicitur peccato, nunc{q3} in æternum vivere* DEO. Roman. 6.

4. *Sessionem ejus ad dexteram æterni Patris, atq{3} inde, sicut & ex mysterio unionis, dependentem omnipræsentiam pariter & omnipotentiam ejusdem negant, suam dum victimam, per angelum Deo Patri offerri volunt.*

Contra III. Articulum.

1. *Quod toti Christianorum ordini commune est, sibi solis missifici arrogant.*

2. *Operi operato sacrificuli tribuunt remissionem peccatorum, soli solius* CHRISTI *merito unicè adscribendam &c.*

VII. Extructa est ex duris commentis.

XXXV. 7. Quòd Idolum Missæ extructum sit ex puris putisque *commentis*: id confirmant utique nugæ & fabulæ Romanensium *de transsubstantiatione, de invocatione Sanctorum, de Purgatorio*; quibus tota sacri illius strues tanquam fundamentis nititur.

VIII. Laborat contradictionibus.

XXXVI. VIII. Quòd figmentum illud Pontificium *multis laboret contradictionibus*, tàm clarum est, quàm cum Sol in mero meridie lucet.

XXXVII. Oculis, *ὡς ἐν σκιαγραφίᾳ*, subijcimus tantummodò nonnulla, quæ, in Concilio Tridentino, Sess. Sexta in proœmio & cap. I. hinc inde sparsa in Proœmio:

Esse sacrificium singulare: & esse hostias vel sacrificia, in numero plurali, quod posterius Canon Missæ affirmat.

In cap. I.

CHRISTVM consummàsse eos, *qui sanctificandi crucis sacrificio: & tamen nihilominus sacrificium missæ subinde esse celebrandum, in remissionem peccatorum.*

Esse illud Sacrificium visibile; *& tamen corpus* CHRISTI ibi nõ videri.

IX. Longe post Apostolorum tempora in Ecclesiam invecta.

Hostiam unam & eandem *offerri, quæ in cruce oblata; sed* incruento *modo, &c.*

XXXIIX. IX. Quòd Sacrificium Missæ Papisticum *longè post Apostolorum tempora in Ecclesiam invectum*; vel ipsius Bellarmini testimonio & confessione constat. *Lib. II. de missa c. 20.*

XXXIX. Ibi enim canonis missatici de antiquitate disputans expressè scribit.

PRIMVM igitur illud constat, Canonem nostrum integrum, ut eum nunc in Missalibus habemus, fuisse in usu Ecclesiæ ante annum Domini DCCC.

XL. Unde in promptu est colligere: sacrificium Missæ Papisticum, longè demum, post Apostolorum tempora, fuisse excogitatum, & in Ecclesiam introductum,

XLI. Apostolos verò quod attinet: Platina certè testis est, ipsos nudè & simpliciter celebrâsse cœnam, sicut & eorum successores, usque ad Sixtum I.

XLII. VIII. Quòd Missa infinitis ferè *abominationibus* scateat: notius est, proh dolor, quàm expedit.

XLIII. Audiamus modò aliquas è Canone Missatico, in quo:

1. *Pro* CHRISTO *intercedunt ut ipsum pro hostia acceptare velit.*
2. *Ineptâ κακοζηλίᾳ verba de donarijs piorum eorumq; memoria propter exemplum piæ imitationis retinent.*
3. *Eadem impiè transferunt ad defunctos, istisq; oblationibus & sanctis redemtionem animarum & spem salutis assignant.*
4. *Petuntut,* DEVS *pane nondum consecrato placetur.*
5. *Somniant panem & vinum in corpus & sanguinem* CHRISTI *transubstantiari.*
6. *Transformant Sacramentum Cœnæ in sacrificium.*
7. *Mutilant verba institutionis.*
8. *Laicos usu Calicis sacrilegè privant.*

Et quæ sunt hujus generis alia, partim inepta, partim blasphema, partim superstitiosa,

XLIV. Quibus ita expeditis stat firma fixaq; conclusio: quòd videlicet doctrina Flaminum Romanorum careat fundamento, sit impia & nova, ideoque ex pomerijs Ecclesiæ proscribenda.

XLV. Et sic structura illius *ἀκρογωνίου* diruta: diruamus jam etiam ejusdem fulcra.

II. *Diruuntur istius structuræ fulcra.*

XLVI. *Fulcra* verò, quæ Romanenses structuræ illi supponunt, sunt quædam Scripturæ oracula, quæ homines illi, (q) Petri sententiâ, *ἁμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι*, ad suum illud missale sacrum torquent. (q) 2. *Epist. c. 3.*

XLVII. A qua violentiâ ut vindicentur præcipua, instituti nostri

jam fert ratio, postulante id dominâ Veritate, cui nos devictissimi.

XLIIX. Observabimus *Ordinem Biblicum*, ubi, *primò* omnium in nostrum prodit conspectum *cap. 14. Geneseos*, unde (r) *Bellarminus* arripit historiolam de Melchizedeco, quòd Abrahamo, cum vernis, ex prælio reduci, obtulerit panem & vinum.

(r) *lib. 1. de Missa c. 6.*

XLIX. Infert inde: Christus est sacerdos secundum ordinem Melchizedeci. Jam verò Melchizedecus panem & vinum obtulit. Ergo & Christus sub pane & vino, offerendus est, & quidem, in Eucharistia, sub specie panis & vini institutâ. Sed *il plex* committit *Sophisma petitionis principij.*

L. *Prius* enim quod attinet: ne uno quidem apice probari potest; quod Melchisedecus panem & vinum obtulerit DEO: sed simpliciter dicitur;

Et Melchisedech Rex Salem protulit (הוֹצִיא eduxit vel fecit exire) *panem & vinum*, septuaginta reddiderunt ἐξήνεγκεν ἄρτους. trug Brot vnd Wein herfür.

LI. 2. Et sanè quòd vocabulum panis attinet: illud utiq; ἰδιωτισμῷ Hebrææ linguæ, non tantùm accipitur pro pane proprie sic dicto in specie: sed pro quibusvis etiam cibis in genere.

Gen. 18, v. 5. cap. 43, 31. cap. 49, 20. Luc. 14, v. 1.

LII. Quòdq; istthæc significatio etiam hujus sit loci, verbum הוֹצִיא haud obscurè arguit.

LIII. 3. Si interpretatio Jesuitæ haberet locum: sequeretur oblationem Melchisedeci non DEO: sed Abrahamo servisq; ejus factam fuisse. *His* enim, non autem DEO, panem vinumq; protulisse legitur.

LIV. Sequereturr *item*: sacrificium panis & vini non esse proprium Melchisedeci; siquidem Aaronici quoq; sacerdotes, panem & vinum obtulisse consueverunt, quibus tamen ille *ἀνυδίνημος*.

Heb. c. 7, 11.

LV. Sequeretur *præterea* sacrificium illud Melchizedeci fuisse illegitimum, cum nullibi in Scriptura præscriptum; secùs ac, circa cætera Veteris Testamenti sactificia omnia ac singula, factum.

Seque-

LVI. Sequeretur *denique*, si maximè concedendum foret sacrificium à Melchizedeco oblatum: illud fuisse (f) Εὐχαριστικὸν, non verò ἱλαστικὸν, quale sacrificulis Missa. (f) *Gen. c. 14, 20.*

LVII. Et quid multis? omnes textûs illius circumstantiæ ostendunt, nihil aliud describi ibi, quàm hospitalitatis officium à Melchizedeco exhibitum Abrahamo, qualia exempla & alibi in Scriptura literis consignata extant. *Gen. c. 18. c. 19. 2. Reg 6.*

LVIX. *Posterius* porrò quod spectat: ad Hebræos quidem c. 7. typus ille Melchisedecianus accuratissimè evolvitur & explicatur: de oblatione tamen illa panis & vini, quæ vel per Melchisedecum vel per Christum illius antitypum præstita fuerit, verbum omnino nullum.

LIX. In quibus verò typus Sacerdotij Melchisedeciani, ad quem *Psal. 110.* digitus intenditur, propriè consistat; non ex cerebro Bellarmini Cardinalitio: sed ex Apostolo eo loci intelligi datur.

LX. Ac sanè quod impletionem illius typi attinet, nequaquam ad Sacrificulorum missas ea referenda est, Aliàs enim falsum foret Christi apophthegma. *Ioh. c. 19.*

CONSUMMATUM est.

LXI. Falsum item foret, Christum in cruce non fuisse Sacerdotem, secundùm ordinẽ Melchizedeci, quod impiè negat Pistorius: affirmat Scriptura *Heb. 5, v. 6. & seqq.* & veritatis convictus Bellarminus *lib. 1. de Missa c. 6.*

LXII. II. Ex Exodo *c. 12.* producunt figuram Agni Paschalis, cui successit Eucharistia, per illam olim adumbrata. II.

Bellarminus. lib. 1. de miss. c. 7.

Pistorius Wegweiser/ *fol. 395, 396.*

LXIII. Resp. 1. Regerimus illud Thomæ: *Theologia symbolica non est argumentativa*, itemq; hoc Augustini: *Figura nihil probat.*

LXIV. 2. Inficiamur, quòd Agnus Paschalis propriè fuerit sacrificium. Contrarium enim ex adjunctis illius ullo negocio doceri potest.

LXV. 3. Quatenus Agnus ille typus fuit Christi, Agni, inquam, illius immaculati tollentis peccatum mundi, eatenus is à Christo ablolutissimè fuit impletus, teste Apostolo 1. Cor. *cap 5. itemq; Evangelista Iohanne c. 19, 36.*

LXVI. 4. Si in missa quotidiè immolandus est CHRISTUS, ut satisfiat typo Agni Paschalis, sequentur hæc ἄτοπα: 1. Christum non perfectè impleviſſe legem. 2. Immolationem illam oportere esse cruentam, id quod negant Adversarij 3. CHRISTUM oportere quotidie mori, quod contra illud *Rom. 6, 9.*

III. LXVII. III. Eandem responsionem quoq; damus ad figuras ceterorum sacrificiorum, in quibus ulterius (t) *Bellarminus* errori suo patrocinium quærit. (t) *lib 1. Missa c. 8. c. 9, 10.*

IV. LXIIX. IV. Adducit (u) vaticinia Prophetarum, in quibus *partim* Sacerdotum & Levitarum, *partim* oblationum, munerum & sacrificiorum fit mentio:

(u) 1. *Sam.* 2, 35. *Prov.* 9, 1. *Ies.* 19, 20. *Ier.* 33, 17. *Dan.* 8, 11. *cap.* 12, 31. *lib.* 2. *de missa cap.* 9. *item* 3 *Mal.* 1, 11. *ibid. c.* 10.

LXIX. Sed fallit & fallitur impudens Jesuita gemino σοφισμῷ.

LXX. *Primus est τῷ ἑπομένῳ à genere ad speciem definitam* vicioſiſſimam instituens collectionem, non absimilis lupo, qui Magistro in disciplinam traditus, ad singulas semper literas ingeminabat: agnus, agnus, agnus.

a. lamb.

LXXI. *Alter est ὁμωνυμίας* in vocabulo sacrificij, quod ut supra annotatum, in oraculis Prophetarum, accipitur, de sacrificijs Christianorum *εὐχαριστικοῖς*.

LXXII. Et scire sanè debebat Jesuita, si non esset in sacrarum literarum monumentis hospes & peregrinus: Prophetas describere cultum Novi Testam. vocabulis & phrasibus ceremoniarum, quæ in V. T. tum erant usitatæ.

V. LXXIII. V. Affert dictum (x) *Ioh. 4, 21. 24.* Sed hoc de cultu adorationis, non autem de sacrificio Missæ accipiendum esse: tum *verborum sonus*, tum CHRISTI *scopus* clarissimè ostendunt.

VI. *lib. 1. de Miß. cap. 11.*.

LXXIV. VI. Pistorius *ex verbis institutionis* urget participia διδόμενον, κλώμενον & ἐκχυνόμενον præsentis temporis, indeq; confici somniat: CHRISTUM corpus & sanguinem suum obtulisse in præsenti Cœnæ actu Wegweiſer. 399, 400.

LXXV. Obvertimus nos 1. *Versionem Veterem*, cui decreto Synodi Tridentinæ Antagonista astrictus, ubi habetur tradendi verbum in futuro, 1. Cor. 11, 24.

LXXIV. 2. *Consuetudinem Scripturæ*, describendi res futuras & præsertim beneficia Christi passione ac morte ipsius acquirenda verbis præteriti vel præsentis temporis: *tum* propter certitudinem: *tum* respectu ad DEUM, cui futura æquè nota atque præterita; imò nihil futurum nihil præteritum, verùm *præsentia* omnia.

LXXV. Exempla passim obvia sunt. Maximè verò huc quadrant, quæ extant:

Ioh. 10, v. 15. Ioh. 13, 31. Luc. 22, 22.

LXXVI. 3. *Circumstantiam temporis.* Incidit enim Cœnæ institutio, in eam noctem, qua Christus jam Judæis traditus, promissione nimirum vel sponsione prodirionis, qua Passionis Christi factum initium.

Ioh. 10, 17. 1. 1. Cor. 11, 23.

LXXVII. VII. Ex ijsdem *verbis institutionis Bellarminus & Pistorius* jactant, vel maximè imperativum HOC FACITE. VII.

Lib. 1. de Missa c. 12. Wegweiser *f. 403.*

LXXIIX. Sed confundunt linguas, *Hebræam, Latinam & Græcam.*

LXXIX. In *Hebræa* עָשָׂה offerendi & sacrificandi quidem significationem habet: sed tum demum modò, quando cum re, quæ sacrificanda, componitur. Talis verò res per τοῦτο in verbis institutionis intelligi nequit; quandoquidem illud non ad panem & vinum: sed ad τὸ accipere, edere, & bibere referatur.

LXXX. In lingua verò *Latina* τὸ *Facere* absolutè positum nullibi significat idem quod sacrificare: sed quandocunq; in hac accipitur significatione: tum semper res sacrificanda *casu sexto* additur. τὸ Hoc autem in verbis institutionis non esse sexti, sed *quarti casus*: patet ex Græco τοῦτο.

LXXXI. In lingua deniq; *Græca*, quâ verba institutionis descripta extant, verbum ποιεῖν nec absolutè nec constructè sacrificandi sensum admittit.

LXXXII. VIII. (*y*) Ex *Actor. 13, 2* verbum λειτουργεῖν depromit, quod ministerium publicum significat. IIX.

(*y*) *l. 1. de Miss. c. 12.*

LXXXIII. *Resp.* à ministerio publico ad Missam Jesuiticam Jesuitica, id est, planè informis & ἀσύστατος est Collectio.

LXXXIV. IX. (z) Subjungit textum ex *1. Cor. 10, à v. 15. usq; ad 22.* è quo tamen plus elici non potest, quàm nos participes fieri corporis & sanguinis Christi pro nobis immolati in ara crucis; non autem in mensa, quemadmodum nec εἰδωλώθυτα in mensa offerri consueverant. (z) *lib. 1. de Miss. cap. 14.*

PROBLEMA VI.

An & quomodo Cœna DOMINI conferre dicatur remissionem peccatorum?

Occasio. LXXXV. Inter fructus, qui redundant ex usu Cœnæ Dominicæ, de quibus hactenus, περίεργημα sibi vendicare potest is, quo illa dicitur conferre remissionem peccatorum.

LXXXVI. Ita enim θεόρρητον σῶμα Lutherus in Catechesi sua, hoc proponens & exponens erotema:

Quid verò prodest, sic comedisse & bibisse?

RESPONSIO.

Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in Remissionem peccatorum; *Nempe, quòd nobis per verba illa in Sacramento* Remissio peccatorum, *vita, justitia, & salus donentur. Vbi enim* Remissio Peccatorum *est, ibi est & vita & salus.*

Zvvinglio Calvinianorũ opinio. LXXXVII. Contrà insurgunt & tumultuantur *Zvvinglio-Calviniani*, transformando Sacramenta non tam Veteris, quàm Novi Testamenti (& sic etiam Sacramentum Cœnæ) in nuda ac pura *signa significantia*, quibus nihil virtutis, ultra significationis usum, tribuendum: Zwinglius de peccato Orig.

Signa (id est Sacramenta) NIHIL QVAM *externæ res sunt, quibus* NIHIL *in conscientia efficitur.*

Idem in Confess. ad Carol. V. art. 5.

Credo, imò scio: omnia Sacramenta tàm abesse, ut ne gratiam conferant, ut afferant quidem aut dispensent.

Tossanus in script. cont. D. Marbach. p. 234.

Falsò à nobis doceri, asserit, Sacramenta Novi Testamenti esse à Deo instituta, ut sint Instrumenta seu Media, per quæ Christum unà cum remissione peccatorum accipiamus, Sacramenta enim Novi Testamenti non habere reverâ

&

& essentialiter in se thesauros & cœlestia bona, quasi per illa nobis donetur remissio peccatorum: sed TANTVM *esse Signa & Sigilla.*

Beza parte II. Resp. ad Coll. Mompelg. f. 117.

Neq; Verbo, neq; Sacramentis; Vltra significationis usum, vel TANTILLVM *virtutis tribuendum est.*

LXXXIX. Sed pugnandum est pro Sacro hoc Catecheseos Lutheranæ Palladio, adversus μυστηριομάχους; tùm καταπλαστικῶς, tùm ἀναπλαστικῶς. καταπλαστικὴ sententia Lutheri.

XC. καταπλαστικῶς ostendendum, quod *vera* sit Lutheri assertio, *Donari* videlicet *nobis* remissionem peccatorum *in Sacramento Cœnæ, per verba illa pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.*

XCI. Fundamentum hujus Assertionis ponit Lutherus in Emphasi verborum: PRO VOBIS IN REMISSIONEM PECCATORUM.

XCII. Atqui hæc indivulso nexu cohærent, cum his Accipite, Edite,: Accipite, Bibite, quibus Christi manducationem sui corporis, & bibitionem sui sanguinis sancijt.

XCIII. Ideoq; Lutherus, in sequentis quæstionis expositione, remissionem peccatorum non disjungit: sed conjungit cum manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi.

Quæ Verba (inquiens) *sunt VNA CVM corporali manducatione caput & summa hujus Sacramenti.*

XCIV. Et sic fructus hic spiritualis annexus est manducationi & bibitioni corporis ac sanguinis Christi: sed sub conditione fidei, qua is in hoc Verbo apprehendendus.

XCV. *Duo* enim hic nobis proponuntur: *1. Res*: *2. Verbum.*

XCVI. *Res* sunt Corpus, ac Sanguis Domini. *Hæc* ore accipiuntur.

XCVII. *Verbum* est de traditione corporis, & effusione sanguinis Christi Pro Nobis in remissionem peccatorum.

XCIIX. *Hoc* & thesaurus *in hoc*, remissio videlicet peccatorum, ut apprehendatur, in usu Cœnæ manducando corpus & bibendo sanguinem Christi, requiritur fides, innuente id Christo, dum postulat ut Faciamus *hoc*: *in sui* Commemorationem.

XCIX. His enim verbis comprehendit non tantùm generalem beneficiorum Christi commemorationem: sed etiam specia-

lem eorum applicationem per fidem, ſicut 2. *Tim. c. 3, 8.* interprete Philippo IX, artic. Bavarico.

C. Fides quippe ὄργανον ἀντιληπτικόν, quo theſaurus nobis ille applicandus in Cœna Domini, in qua is ſemper *omnibus* in univerſum communicantibus *offertur*.

CI. Si enim nudum verbum Evangelij *offert* omnibus remiſſionem peccatorum: *confert* Credentibus: quantò magis id præſtabit verbum, quo corpus & ſanguis Domini comprehenſa, quodque Sacramentalibus ſignis confirmatum & obſignatum.

CII. Rudioribus poteſt iſtud negotium declarari exemplo Baptiſmi, qui & ipſe operatur remiſſionem peccatorum: ſed id non nuda efficit aqua: ſed fides cum aqua & verbo, aquæ addito conjuncta, interprete Luthero;

Quî poteſt aqua tàm magnas res efficere?

RESPONSIO.

Aqua certè tantas res non efficit, ſed Verbum Dei, quod in & cum aqua eſt, & Fides, quæ Verbo Dei aquæ addito credit, &c.

CIII. Ita etiam Euchariſtia confert remiſſionem peccatorum: ſed effectum hunc nobiliſſimum non gignit nuda corporalis manducatio & bibitio: verùm fides unà cum corporali manducatione ac bibitione in hæc verba: *PRO VOBIS datur & effunditur in remiſſionem peccatorum.*

CIV. Sic enim idem veritatis Evangelicæ ἐπεξεργαστὴς ſtrenuus, in ἐκθέσει proximè inſequentis Erotematis:

Quî poteſt corporalis illa manducatio tantas res efficere?

RESPONSIO.

Manducare & bibere illa certè non efficiunt, ſed illa VERBA, quæ hîc ponuntur; Pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum, *quæ verba ſunt* UNA CUM *corporali manducatione caput & ſumma hujus Sacramenti:* Et qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt, & ſicut ſonant, nempe, remiſſionem peccatorum.

CV. Et hactenus quidem κατασκευὴ ſanæ ac germanæ ſententiæ Lutheri.

1. ἀνασκευὴ. CVI. ἀνασκευαστικῶς contra Sacramentarios diſputatum eſt, in ἐξηγήσει Probl. IV. I. Decad. Diſput. de Baptiſmo.

CVII. Jam hæc duo saltem περίσματα quasi superaddo.

CIIX. 1. *Calvinianos verè appellari Sacramentiperdas.*

CIX. Istâ enim suâ περιτολογίᾳ, quâ nihil ampliùs præstare contendunt Sacramenta, quàm ut fructus spirituales, v. g. in Baptismo ablutionem à peccatis: in Cœna animæ refocillationem saltem significent & repræsentent, ipsam naturam & essentiam Sacramentorum funditùs *perdunt* & evertunt.

CX. 2. Eos nequaquam socios: sed Hostes esse Augustanæ Confessionis.

CXI. In hac enim conceptis verbis docetur, *quòd Sacramenta instituta sint non modò ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad* EXCITANDAM ET CONFIRMANDAM FIDEM *in his, qui utuntur, proposita. Itaq; utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta* EXHIBENTVR *& ostenduntur.* Artic. 3.

VII. PROBLEMA.

An Sacramentarij in rei veritate Cœnam Domini etiam habeant pro Symbolo ac notâ discernente veram ac falsam Ecclesiam hujusq; & illius membra quoad externam professionem?

CXII. Hactenus de *fructibus* Sacræ Synaxeωs *primarijs* ac *principalibus: secundarius* ac *minùs principalis* ejus finis est, ut sit nota publica, & in oculos incurrens confessionis, quæ veram & falsam Ecclesiam hujusq; & illius membra discernat. *Continuatio. Cœna est nota Ecclesiæ & professionis publica.*

CXIII. Calculo id suo Augustana comprobat Confessio, apertè ac diserrè affirmans, quòd Sacramenta ideò etiam sint instituta, *ut sint notæ professionis inter homines.* Artic. 13.

CXIV. Qua de causâ quoque Eucharistia *ordinariè* non in privato quodam angulo: sed in cœtu Ecclesiæ publico, celebrari debet ac solet.

CXV. Et hinc nomen συνάξεως Græca in Ecclesia originem traxit suam; quò & Apostolus digitum quasi indicem videtur direxisse, scribens: *1. Cor. 11.*

συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτό.

CONVENIENTIBUS *vobis in eundem locum.*

CXVI. Quamobrem si quis apud nos, qui Confessioni Lutheri ὁλοψύχως sumus addicti, (unde & Lutherani, distinctionis ergò, nuncupari consuevimus) ad sacram synaxin accedunt: ij hoc ipso facto pactoque ὀφθαλμοφανῶς declarant: se γνησίους esse Lutheranos, adeoq; confessionem nostrarum Ecclesiarum παμψηφεὶ approbare.

Sacramentarij in hoc capite cum Lutheranis consentiunt quoad θεωρίαν.

CXVII. Quid verò ajunt aguntque *Sacramentarij?* Dicam duobus verbis. Si θεωρίαν, & id *quod fieri debeat*, consideres, nobis *consentiunt*: sin verò πρᾶξιν & *id quod fiat* spectes: multos à nobis *dissentire*, ὡς ἐν αὐτοφώρῳ, deprehendes.

CXVIII. Æquè enim, ut nos, perspicuè docent: quòd Cœna Domini *debeat esse* nota & testificatio publica professionis fidei.

CXIX. Imò non defuerunt, qui finem istum Eucharistiæ minus principalem commutantes, *in principalem* asserere non veriti: Sacramenta esse SOLUM externa signa & notas professionis, attestante id *Curæo* & ipso Factionis Sacramentariæ Socio.

CXX. In *Exegesi* enim suâ expressè scriptitat:

> *Sacramentarios priores, Carolostadium, Oecolampadium & Cinglium nimiùm extenuasse Sacramenta, quasi essent solùm externa signa, vel notæ professionis Christi absentis, tanquam Agamemnonis in Scena, neq; concessisse Sacramenta prodesse ad fidei confirmationem.*
>
> fol. 88.

Dissentiunt quoad πρᾶξιν.

CXXI. Interim *contrarium* à Sacramentarijs quibusdam *fieri in* πράξι tum *Sermone*: tum *Facto* eorum ostendi potest.

δείξις. 1. τῷ λόγῳ.

CXXII. *Sermonem* quod attinet: jampridem in orbe Christiano percrebuit: Bezam ejusq; Collegas, libello supplice, ab Illustrissimo Principe ac Domino Dn. Friderico Comite Wirtenbergico & Mompelgartensi, inter alia petijsse, ut liceret Suæ Confessionis fratribus, suam confessionem, sine ullo alterius præjudicio, Retinentibus, sacram Cœnam, ex aliorum manibus percipere; & ita mutuam fraternitatem colere ac testari:

> *In Act. Coll. Mompelg. f m. 569.*

CXXIII. Et eò quoque tendebat callidum Bezæ Consilium, quì dudum Gallis exulibus scripserat, ne uspiam Mompelgartensem Ecclesiam offenderent: sed absq; multa disputatione ILLIC communicarent, sicut annotatur in ijsdem Actis. *m. f. 571*

CXXIV. Sed piè ac rectè factum tùm ab Illustrissimo Principe: tùm à Theologis, quod in talem *συγχεπτσμὸν* consentire noluerunt, nec concedere, ut Galli *sub sua Confessione*, quod iterum atq; iterum petebant, communicarent.

CXXV. *Factum* porrò Sacramentariorum quod spectat: notius est proh dolor, quàm expedit, aliquos eorum, in Ecclesijs, quas Lutheranæ *ὀρθοδοξίαι* devinctissimas: à Calviniana autem *κακοδοξίᾳ* alienissimas esse constat, ad sacram Synaxin accedere, cum tamen ne unica quidem sanguinis verè Lutherani in præcordijs ipsorum guttula: veneno autem Calvinistico affecta & infecta omnia. 2. τῷ ἔργῳ

CXXVI. Hîc scilicet est hominum istorum candor! hæc ingenuitas! hæc fides! Quas virtutes si in homine Politico non deprehenderis: an non ipsum meritò reprehenderis ut hominem nigrum, dolosum, perfidum & perjurum?

CXXVII. Papistæ certè hac in parte multò sunt candidiores. Cum Lutheranis enim ad sacram synaxin accedere ipsis religio est. Ideoq; communicaturi in ea se conferunt loca, ubi hodieque Papatus viget.

CXXIIX. Calvinianis autem Deum & homines ludificari nulla planè religio, formido nulla.

CXXIX. Et quid mirum, cum talem sibi & Deum in cerebro suo fingant & imaginentur?

CXXX. Sed finimus, & ex his quæ prolata & disputata sunt hactenus, *duo* elicimus *πορίσματα*, quorum unum *Præcones Verbi*, alterum *Auditores* concernit. 2. *πορίσματα*

CXXXI. *Præcones Verbi* enitantur quantum in se. ne Sacramentarij in Ecclesias fidei suæ commendatas irrepant.

CXXXII. Quod si omni ex parte prohibere non potuerint: caveant ne cum alijs ad Cœnam accedentes infirmioribus sint scandalo, Deumq; & Ecclesia tàm frivolè ludant.

CXXXIII. Qua ratione autem id fieri conveniat: monstratum est suprà,

Problemate II. Decadis II.

CXXXIV. *Auditores sciant* se apud illos, qui à nostra religione vera ac sincera abhorrent, non posse sanâ conscientiâ uti Cœnâ.

Idcò

CXXXV. Ideò si vel studiorum, vel opificij, vel mercimoniorum gratiâ inter illos conversari NECESSUM habeant: abstineant potiùs ab usu Cœnæ, quàm ut conscientiam vulnerent suam.

CXXXVI. Referatur huc Lutheri Epistola, quæ habetur.

Tom. VI. Ien. f. 4.

Item.

Responsio ad V. quæstiones ἐπιγραφικὰς.

Tom. V. Ien. f. 262. 263.

DE SACRAMENTO COENÆ,

DECADIS TERTIAE.

Problemata VII. VIII. IX. X.

RESPONDENTE

M. JACOBO BRANDESIO

Quedlinburgensi.

Ad diem 22. Februar. horis locoq; consuetis.

PROBLEMA VII.

Quinam propriè dicantur & sint Indigni, quidq; ipsi in sacra Eucharistia percipiant?

PROPOSITIO I.

ἀΦορμὴ.

POstrema Lutheri quæstio est de dignâ ἀξίᾳ Cœnæ Dominicæ.

II. Hanc exponit per distinctionem Dignorum & Indignorum.

III. Non igitur inconveniens fuerit, si hoc loco de Indignis disseramus.

IV. Præsertim cum Gentis Sacramentariæ παιγνία περὶ τοῦ μέσου.

μεθοδείαν τῆς πλάνης & hic non ociosa sed negociosa admodùm, *aberrando* (a) *à veritate & subvertendo quorundam fidem.*

(a) *Eph. c. 4, 14. 2. Tim. 2, 18.*

V. Figimus & erigimus autem *duas* quasi statuas Mercuriales, quas inter tota hæc decurret Disquisitio. Διάταξις

VI. Ad *priorem* statuimus priorem Problematis partem, *quinam videlicet propriè sint & dicantur Indigni.* De priori parte.

VII. Ad *posteriorem* verò sistemus posteriorem illius partem, *quid nempe Indigni in sacra Eucharistia percipiant.*

IIX. De *priore parte duæ* sunt sententiæ, *Una* ὀρθοδόξων, quæ *nostra: altera* τῶν ἑτεροδόξων, quæ nostrorum *Antagonistarum.*

IX. *Nos* cum Libro Christianæ Concordiæ docemus & profitemur: ὀρθοδοξία Lutheranorũ.

Unum tantùm genus *esse* indignorum *convivarum: ij sunt soli illi, qui non credunt. De his scriptum est: Qui non credit, jam judicatus est, Et hoc judicium indigne Sacræ Cœnæ usu cumulatur & aggravatur.*

Articulo VII. qui est de Cœn. Domini in Epit. thes. VIII.

X. *Sacramentarij* quia intelligunt & probè persentiscunt δεινότητα ἑτεροδοξίας (a) Authenticæ Apostoli, de Manducatione indignorum: nec tamen audent *aperto Marte* cum illo congredi, ideò *opertâ arte* rem aggredi nituntur. *Sacramentariorum.*

1. Cor. 11, 27. 29.

XI. Quomodo autem? Distinctiunculas quasdam Indignorum fingunt & fabricántur.

XII. Qualis illa *Buceri* olim: inter indignos *omni: & aliquo* modo.

In Declar. Articul. Concord. Anno 36. VVitteberge sancitæ, II. Tom. Isleb. f. 364.

XIII. *Omni modo* indigni erant ipsi homines profani & manifesti contemtores Dei ac verbi, omni verâ fide vacui.

XIV. De his pronunciabat, quòd nudum ac purum panem ac vinum in sacra percipiant Eucharistia.

XV. *Aliquo modo* indignos appellabat non satis præparatos, id est, eos, qui quidem fide in Christum præditi, sed languida; unde fiat,

ut majestatem tanti mysterij, non eo, quo par attendant & perpendant, modo.

XVI. De his statuit, quòd & ipsi quidem verum corpus & sanguinem Christi percipiant: sed indignè & ad judicium.

XVII. Et de his, loco jam allegato, ab Apostolo ferri sententiam.

XIIX. Eosdem fumos textui Apostolico offundit Senatûs Calviniani Dictator Beza, secutus vestigia suorum Ducum, *Buceri*, (b) *Aretij*, &c. (c) *Petri Martyris*.

Resp I. aij Act. Colloq. Mompelg. f. 61.

(b) *Serm. III. de Cœn. Domini.*

(c) *in comment. in 1. Corinth. c. 11.*

XIX. Vixit & in hac Academia Theologus, Vir aliàs pietatis & eruditionis laude celebris, qui, nescio quo genio & ingenio, consimilem Indignorum διχοτομίαν Doctrinæ de Cœna immiscuit, quam tùm temporis Theologi Φιλολήθηροι: *D. Simon Musæus, D. Hieronymus VVellerus, VVestphalus & Iudex*, ingenuè reprehenderunt.

Osiander Cent. XVI. f. 752, 814.

Refutatio triplex. I.

XX. Et meritò quidem. Nam I. est ἄγραφος, adeoque adversâ, quod dicitur, fronte impingit, in ἀπαγόρευμα Apostolicum;

1. Cor. cap. 4.

μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν.

XXI. II. Planè ἀντίγραφος. Etenim I. Scriptura *duo* duntaxat hominum in Ecclesia agmina constituit, ἀντιδιῃρημένα: Credentium *unum*: Incredulorum *alterum*.

XXII. 2. Apostolus non distinguit inter Indignos; sed simpliciter eos, qui de pane & poculo benedicto comederint, biberintq;, in duas distribuit classes.

XXIII. In *unam* reponit eos, qui *se probant*; & hi omnes ipsi sunt Digni: in *alteram* verò eos, qui *se non probant*, & hos vocat indiscriminatim Indignos.

XXIV. Quodq; hi in universum omnes omni fide vacui: haud obscurè innuit, quod simpliciter ediderit: eos sibi ipsis edere & bibere judicium: De ijs autem, qui fide præditi, contrarium docetur. *Ioh. c. 3, 24.*

XXV. Neq; est ut objiciatur è *vers. 2.* quòd multi ex illis dicantur *dormire.*

XXVI. Metaphora enim illa etiam de impiorum & incredulorum morte usurpatur.

1. Reg 14, 20. 31. Dan 12, 2. 1. Cor. 11, v. 18.

XXVII. Vel potiùs intelligi id potest, de ijs, qui suum ante obitum resipuerunt.

XXVIII. 3. Scriptura infirmam fidem etiam habet pro fide. Nota enim est dulcissima Vox Prophetæ de Christo (d) ἀρχηγῷ καὶ τελειώτῃ πίστεως:

Esaiæ c. 42.

Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium.

(d) *Hebr. 12, 2.*

XXIX. Et *2. Epist. c. 1.* B. Petrus de ijs in universum omnibus, quibus suam inscripsit Epistolam (inter quos non paucos fuisse ὀλιγοπίστους, extra omnem dubitationis jactum positum est) diserte pronunciat, quòd *secum & ceteris cum Apostolis sortiti ἰσότιμον πίστιν.* 2. Pet. 1.

XXX. Ac tantum abest, ut infirmi fide, indigni sacratissimi istius Epuli convivæ, censeri possint ac debeant, ut, propter hos vel maximè illud sit institutum, & ipsemet Cœlestis convivator Christus tales inprimis blandissimè eò inviret, seq; in infirmitate virtutem suam perfecturum spondeat. *Matt. 9, 12. c. 11, 28. 2. Cor. 12, 9.*

XXXI. Eodem spectat, quòd Gentilium ἰσροφάντης infirmos in fide suscipi imperat.

Rom. c. 14, 1.

XXXII. III. Accedit quòd illa νεοδιαφορὰ vel καινοτομία, nihil aliud quàm, ἔμπλαστρον ῥάκους ἀγνάφου, panniculus impexus vestimento veteri, (id est, veteri illi Dipnosophistarum phantasmati, quòd corpus ac sanguis Domini, non nisi, fide Spiritualiter percipi possit) assuendus. III.

Matt. 9, 16.

XXXIII. Et tantum de *priori* Problematis parte, ubi quinam Indigni sint, dedimus explicatum: ad *posteriorem* transitum facimus, ubi jam cognata exurgit quæstio. II. *De posteriore parte.*

XXXIV. Hæc videlicet: *Quidnam Indigni in ſacra Euchariſtia percipiant.*

XXXV In Calvinianos verè hîc quàdrat iſtud Philoſophi: ἑνὸς ἀπόπτου δοθέντος συμβαίνει τἆλλα.

XXXVI. Corpus & ſanguinem, ut res ſpirituales, non poſſe, niſi inſtrumento proportionato, id eſt, itidem ſpirituali, Fide videlicet, in Cœna percipi, στοιχεῖον ipſis eſt πρῶτον καὶ ἄμεσον.

Opinio Sacramentariorum.

XXXVII. Ideoq; Indignos, quia hoc ſpirituali inſtrumento, fide nimirum deſtituti, nihil niſi purum putum panem ac vinum percipere: ipſum autem corpus ac ſanguinem Chriſti cum pane & vino minimè, mordicùs contendunt.

Carolſtad. de verbis Cœnæ.

Impij, qui ſunt abſq; timore Dei, corpus Chriſti neq; accipere neq; comedere poſſunt: panem autem Domini poſſunt ad judicium accipere.

Oecolampadius in Epiſt. ad Bucerum.

Aſſerimus, incredulos ac prophanos, conſpurcatores Myſteriorum peccare in ipſum Chriſtum, & reos corporis ac ſanguinis fieri, etiamſi nec corpus nec ſanguinem Chriſti contingant, niſi συμβολικῶς.

Muſculus in Loc. p. 377 & 381.

Indigni licet Sacramentaliter edant ac bibant: reverà tamen corpus & ſanguinem Domini, neque edunt neque bibunt: Sed tantùm *panem & peculum.*

Syllogiſmus καθολικὸς.

XXXVIII. Ut autem iſtud Sacramentariorum βωμολόχευμα & Sacrilegium confundatur & confutetur: hunc producimus Syllogiſmum Catholicum & Cardinalem:

Quodcunq; dogma 1. ex falſo ortum principio, 2. contradicit Apoſtolo 3. & inſuper κατὰ μέσον pugnat, cum unione Sacramentali; 4. impingit inſtitutionem Sacramenti Cœnæ, 5. adverſatur ſuffragijs Patrum & Lutheri: *id erroneum eſt & novum.*

Atqui tale eſt βωμολόχευμα Sacramentariorum, quòd indigni nihil niſi purum putum panem & Vinum in ſacra Euchariſtia percipiant.

Ergò.

Λύσεις Syllogiſmi in V. membra.

XXXIX. *Quinq;* hic Syllogiſmus complectitur μέσα vel argumenta

menta tertia, quorum *quatuor* priora dogmatis istius Zwinglio Calviniani *falsitatem: quintum* sive postremum verò *novitatem* confirmant.

XL. Eruamus & astruamus singula, brevitate ac claritate, quâ fieri potest maximâ.

XLI. I. Dogma istud *ex falso ortum est principio*, inde nimirum, quòd Sacramentarij fidem ad substantiam Cœnæ Dominicæ pertinere opinantur. I.

XLII. Sed perperam, siquidem illa non ad substantiam, sed ad salutarem fructum Eucharistiæ spectat: non verò ad substantiam: neq; organon est percipiendi sacramentum: sed *fructum* sacramenti, sicut suo loco copiosiùs demonstratum præsertim

In I. Dec. Probl. VI. Disp. de Baptismo.

XLIII. Jam ἐπ ἀβυσσίας superaddimus, si principium illud Calvinisticum concedendum: tum sequeretur 1. integritatem Sacramentorum pendére *non à veritate instituentis: Sed à fide Utentis*, & sic illam nostra infidelitate reddi posse irritam, quod absurdum, & ἀπρεπέστατον negatum ab Apostolo. καλῶς

Rom. 3, 2. 2. Tim. 2, 12.

XLIV. 2. Sequetur item Hypocritas non integram accipere Baptismum: ac proinde rebaptizandos; cum eatenus eadem sit ratio Baptismi, quæ Cœnæ Domini, id quod itidem absurdum & ab Augustino etiam refutatum. 2.

3. lib. contra Donatistas.

Non interest, cum de Sacramenti integritate *quæritur, atq; sanctitate tractatur*, qui credat aut quali fide *imbutus sit, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad* salutis viam. *Sed ad* Sacramenti quæstionem *nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.*

XLV. II. *Contradicit Apostolo.* Is quippe plenâ planaq; oratione pronunciat: Indignos fieri reos corporis & sanguinis Christi, manducando panem, qui est communicatio corporis Christi, & & sic unà cum pane, ipsum ipsius Christi corpus: & bibendo vinum, quod est communicatio sanguinis Christi, & sic unà cum vino ipsum ipsius Christi sanguinem.

XLVI. Verba ejus πάσης ἀποδοχῆς ἄξια & κατ' ἐμφασιν & διηρθρωμένα pro lata hæc ſunt:

1. Cor. c. 11, 27.

Itaq; quisquis ederit panem Hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane Illo edat, & de poculo Illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, judicium ſibiipſi edit & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Refutatio exceptionis, ex plurimis textus vocabulis.

XLVII. *Excipiunt* Adverſarij & præſertim eorum Dux & Anteſignanus *Beza.*

In annotationib. in N. T. ſuper hunc locum.

In editione Francof. Anno 91.

Qui manducant indignè, rei fiunt ſpreti *corporis*, &c. *ut ſignificarent reatum contrahi* non manducando: ſed ſpernendo *Corpus Chriſti.*

In edit. Franciſci Junij m. Anno 1603.

Qui ſacra ſymbola contemnit (*id eſt, minùs rectè ijs utitur*) *non panis & vini: Sed rei ipſius* (*id eſt Chriſti*) contemtor *habetur & ejus ſceleris graves pœnas luet.*

In Homil. 2 de Cœna Domini.

Quemadmodum cenſetur majeſtatis Cæſareæ reus, violatur ſtatuæ, vel imaginis ejusdem, ita indigni ſunt rei corporis & ſanguinis DOMINI, *non quæ acceperint: ſed quæ incredulitate ſuâ rejecerint.*

XLVIII. Verùm futilem & ſutilem hanc gloſſam ſingula propè textus Apoſtolici vocabula, conjunctis quaſi copijs, certatim confutant. Notamus ſaltem præcipua.

XLIX. I. Eſt *conjunctio ratiocinativa* ſive *illativa* ὥστε Itaque, qua indicatur: hoc eſſe πόρισμα, quod jam inferatur ex præcedenti textu, in quo, ex *verbis inſtitutionis*, oſtenſum: in Cœna nobis porrigi non ſimplicem panem: Sed Illum panem, de quo Filius Dei, qui Veritas ipſa, enunciat: quod ſit ſuum Corpus, &c.

L. Ac proindè qui indignè manducet de pane Illo, reum fieri non nudi panis: ſed corporis ipſius Filij Dei, quod unà cum pane indignè manducet.

Ll. 2, 3 *Edere* ac *Bibere*, quo, *non* ſimpliciter *ſpernendo* ſive *reſpu-*

endo

edendo corpus & sanguinem Domini: sed illud ipsum Corpus *edendo*, & illum ipsum sanguinem *bibendo* reatus contrahi dicitur.

LII. 3. Est *articulus* ὁ item q; *pronomen* ὅτος hic ille, *hoc illud*. Non enim dicitur simpliciter: ὃς ἂν ἐδίῃ ἄρτον: *Quisquis ederit panem*: sed ὃς ἂν ἐδίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον. *Quisquis ederit panem Hunc.*

LIII. Utrumq; enim tùm articulus, tùm pronomen, singularem habent emphasin, adeoq; non nudum panem: sed adhuc aliquid aliquid, quòd multò excellentius, significat.

LIV. Adde, quòd pronomẽ Hunc & Illo simul sint *relativa*, quæ reducunt nos ad illum panem, ad illud poculum, de quo ex verbis institutionis, in textu proximè præcedenti, affirmatum fuerat, quod *ille* sit *corpus* Christi: *hoc* novum Testamentum, in *sanguine Christi. vers. 24. 25.*

LV. Ad illum item panem: ad illud poculum, de quo in Cap. 10. clarâ ac sonorâ voce pronunciaverat; quod *ille sit corporis*: *hoc sanguinis Christi* κοινωνία & μετοχή, *vers. 16, 17. 21.* vel μετάληψις interprete Basilio.

LVI. 4. Est προσδιορισμὸς, quod non dicitur purè poculum: sed μετὰ προσθέσεως: *poculum Domini*: *non tantùm generali* ratione, propter Autorem institutionis: sed & *hac speciali* consideratione, de qua ibi ex professo, quòd nempe, in illo poculo, sanguis Domini, vel is, qui ex latere Domini effluxit, interprete Chrysostomo in Commentario in verba illa, *poculum benedictionis.*

1. Corinth. 10.

ὃ γὰρ λέγω τοῦτό ἐστιν, ὅτι τοῦ ἐν τῷ ποτηρίῳ οὖν ἐκεῖν ἐστι, τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν καὶ ἐκεῖνο μετέχομεν.

LIIX. 5. Est τὸ ἔνοχον, quod *non* refertur propriè *ad pœnam vel genus supplicij*, (quod quippe paulò pòst phrasi *manducare ad judicium*, indigitatur) sed *ad objectum*, ex cujus violatione, reatus ille contrahatur.

LIX. 6. Ideò sine intervallo subjicitur, quòd reatus ille non committatur in *pane & Vino*, *Sacramentalibus Symbolis*, sicut Beza ineptit: sed in ipso ipsius Christi *corpore & sanguine*, *sacramentalibus thesauris.*

Reus erit (non panis & vini, sed) *Corporis & sanguinis Domini.*

7. Est

LX. 7. Est *distincta mentio* distinctarum hūmanæ Christi naturæ partium: corporis puta & sanguinis, ex quorum distinctâ perceptione, *distinctè* etiam contrahitur *illius & hujus* reatus.

LXI. Quòd si hîc, ex Sacramentariorum sententiâ, eâ tantùm ratione contraheretur reatus, qua circa diplomatum & insignium regiorum violationem: tùm ista tàm accurata panis & poculi manducationis & bibitionis distinctione opus non fuisset: sed omninò sufficisset *indistincta* saltem Christi, in quem contumelia ista redundaret mentio.

LXII. 8. Est, τὸ Διακρίνειν, quo notatur causa istius reatus, eaque transfertur ad neglectam Διάκρισιν, sive dijudicationem hujus cibi mystici, à cæteris cibis vulgaribus, secundùm verba institutionis, quibus non nudi panis & vini, sed corporis & sanguinis Christi cum pane & vino realis communicatio sancita.

LXIII. Hæc est norma illius Διακρίσεως, ad quam nos tacitè deducit, idem Oecumenicus gentium Apostolus, de hoc argumento verba facturus.

1. Cor. 10. *Vt prudentibus loquor* (κρίνατε) Judicate vos, quæ dico, *Poculum benedictionis, &c.*

LXIV. 9. Est addita *restrictio*, quia illud τὸ Διακρίνειν *non ad panem & sanguinem* Christi refertur: *sed* ad Corpus Domini.

Non dijudicans (quid? num panem? non: sed) Corpus Domini.

III. LXV. III. κατὰ Διάμετρον *pugnat cum unione Sacramentali*, qua, vi & virtute institutionis Christi, panis & corpus Christi, Vinum & sanguis Christi in *unum-Sacramentale* ita sibi invicem conjunguntur, ut unum absq; altero percipi nequeat.

LXVI. Cum itaq; Indigni Panem Eucharisticum accipiant: itemq; Vinum Eucharisticum: nulla utiq; fieri potest ratione, quin simul uno & eodem actu, unà cum pane Eucharistico, simul corpus Christi, uno & eodem actu, unà cum vino Eucharistico, simul Sanguinem Christi accipiant.

LXVII. Si negaveris id: hoc ipso ilicò everres Sacramentum Cœnæ, & efficies manducationem, & bibitionem *non sacramentalem*, quòd absurdum.

4. Impin-

LXIIX. IV. *Impingit in institutionem Sacramenti Cœnæ*, qua quippe *non dimidiatum*: sed *integrum* sancijt Sacramentum. IV.

LXIX. Si igitur ex Calvinianorum opinione indigni, non simul cum pane accipiant Corpus Christi, & cum vino Sanguinem Christi: consentaneum fuerit, quòd planè nullum accipiant Sacramentum.

LXX. Ac proinde non posse nec debere eos eo nomine accusari, quasi profanârint Sacramentum Domini, cum non acceperint Sacramentum.

LXXI. Abusus enim vel profanatio alicujus rei rem ipsam (Huic enim tanquam accidens subjecto suo inhæret) *non tollit: sed præsupponit.*

LXXII. Neque est ut excipiant Adversarij: si Indigni simul in Cœna acciperent carnem & sanguinem Christi, tum secuturum, quod etiam vivificarentur. Jam cum non vivificentur, sed planè contrarium experiantur effectum: veritati consentaneum videri: eos participando panem & vinum, non simul participare corpore ac sanguine Christi.

LXXIII. Sed laborat elumbe hoc argumentum *quatuor* potissimùm *vitijs*:

LXXIV. 1. Est παραλογισμὸς τοῦ συμβεβηκότος. Quod enim Caro Christi in impijs non exerit suam virtutem ζωοποιητικὴν: id fit *ex accidente*, διὰ τὸ ἐμπόδιον τῆς ἀπιστίας. 1

LXXV. Potest id appositè illustrari exemplo prædicationis Evangelij, de quo Apostolus conceptis verbis hunc in modum pronunciat:

2. Cor. c. 2.

Christi bona fragantia sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam.

LXXVI. 2. Est *Sophisma causæ alienæ.* Indigni enim *non* ideò non vivificantur, quod carnem & sanguinem Christi in Cœna non percipiant: *Sed* quòd *indignè* percipiant *absq; fide*, quæ *non ad perceptionem per se: sed ad perceptionem dignam & salutarem*, necessaria. 2

LXXVII. Et sic culpa defectus illius *non* est *in re agente*: sed in sub-

ſubjecto non benè prædiſpoſito, neq; ita affecto, & præparato, ut poſſit aut velit *rei illius effectum* capere ac ſapere.

LXXIIX. 3. Eſt *Confuſio Naturaliter & Voluntariè vel liberè Agentium.*

LXXIX. *Naturaliter* enim *Agentia* non poſſunt ſuſpendere actionem: ſed neceſſariò agunt, & vires exerunt ſuas, licèt diverſo modo.

LXXX. *Voluntariè* autem & *liberè Agentia*, quale Agens Chriſtus, cum Corpore & Sanguine ſuo: ea utiq; actionem poſſunt ſuſpendere, ſuaſq; vires liberrimâ voluntate retrahere.

LXXXI. Et huc optimè quadrat iſtud ipſius Chriſti effatum.

Joh c. 5.

FILIVS, quos vult, vivificat.

LXXXII. 4. *Ignoratio principij Theologici*, quo conſtat: Chriſtum non tantùm eſſe *primariò Salvatorem & vitam* reſpectu *Credentium*: ſed etiam *ſecundariò Iudicem & mortem* reſpectu incredulorum.

Johan. c. 3.

Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſervetur *mundus per eum.*

cap. 9.

In Judicium *ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.*

5. LXXXIII. V. *Adverſatur ſuffragijs Patrum & Lutheri*; id quod pluribus doceri poſſet teſtimonijs, numero non exiguo comportatis à B. Chemnitio.

Cap. X Fundam. de SS. Cœna.

LXXXIV. Sed ſufficiant pro re nata hæc paucula partim ex Patribus: partim ex Luthero, in gratiam tyronum SS. Theologiæ, huc tranſcripta, & in compendiolum quaſi redacta & reducta.

Auguſt. tract. 28. in Johan.

Sacramentum de menſa Dominica à quibusdam ad vitam ſumitur, à quibusdam ad exitium, res verò ipſa, cujus eſt Sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium ſumitur.

Idem in Enarrat. in Pſal. 10.

Quid nobis fecit Chriſtus, qui traditorem ſuum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primùm Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commen-

mendatam, ſicut cæteris Apoſtolis, traderet? Quid vobis fecit Chriſtus, qui eundem traditorem ſuum, quem Diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini ſui, nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris diſcipulis ad prædicandum regnum cœlorum miſit, ut demonſtraret, dona Dei pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit.

Chryſoſtomus Sermo 3. in 1. cap. ad Epheſ.

Quomodo comparebis ante tribunal Chriſti, qui manibus ac labijs immundis ipſius audes contingere corpus? Et Regem quidem nolles ore tuo fœtido adoſculari: Regem verò cœli anima graveolenti oſcularis? Contumelia res eſt illa.

Theodoretus ſuper 1. Cor. 11.

Non ſolum Apoſtolis, ſed & Iudæ proditori precioſum corpus & ſanguinem impertijt Dominus.

Bernhardus ſerm. 8. de communione.

Sanè in menſa unâ in Cœna Domini de uno pane conſecrato Petrus & Iudas accepit: Bonus in vitam: peſſimus in pœnam: Bonus in beneficium: peſſimus in Teſtimonium: Bonus in ſalutem: peſſimus in mortem: Quod totum usq; adhuc completur in Sacramento altaris: Bonis quidem in bonum ſumentibus: Canibus verò & immundis non ſic.

LXXXV. Sed urgent & ipſi Antagoniſtæ autoritatem Patrum, & inprimis Auguſtini, qui indignos Sacramentum quidem percipere concedit: Sed non *rem Sacramenti*, quo termino illi corpus & ſanguinem Chriſti notari contendunt.

LXXXVI. Verùm fallunt & falluntur ὁμωνυμίᾳ, illius termini. Per rem enim Sacramenti Auguſtinus alijq; Patres intellexerunt ipſam Cœnæ ſubſtantiam integrum ϛ; Sacramentum ex re terreſtri & Cœleſti conſtans: Interdum verò ſalutarem Cœnæ fructum. 3. Ut in loco Auguſtini jam modò allegato, aſtipulante nobis Bernhardo inſigni hâc ſententiâ:

De modo benè vivendi ad ſororem Serm. 28.

Alius carnem Chriſti ſpiritualiter manducat, & ſanguinem bibit, alius verò non, ſed tantùm Sacramentum, hoc eſt, corpus Chriſti ſub Sacramento, & non rem Sacramenti.

LXXXVII. Ex *Luthero* annotamus hæc observatione digna, *II. Tom. Isleb. f. 366.* In Articulis Concordiæ *Anno 1536.* Witebergæ sancitæ Articulo III.

Demnach halten sie / das die Einsetzung dieses Sacraments durch Christum beschehen / kräfftig sey in der Christenheit / vnd das sie nicht stehet oder lieget an der Wirdigkeit deß der es reichet oder selber empfehet. Darumb wie S. Paulus sagt / das auch die Vnwirdigen das Sacrament niessen / halten sie auch / das den Vnwirdigen auch warhafftig dargereicht werde / der Leib vnd das Blut Christi / vnd das die Vnwürdigen solchs warhafftig empfahen / wo man deß HErrn Christi Wort vnd Einsetzung halte: Aber solche empfahens zum Gericht / wie S. Paulus sagt / denn sie mißbrauchen das Heilige Sacrament / dieweil sie es ohn ware Buß vnnd Glauben empfahen. Denn das Heilige Sacrament ist darumb eingesetzt / das es bezeuge / das allen denen / so wahre Buß thun / vnd sich wiederumb durch den Glauben an den HErrn Christum trösten / die Gnad vnd Wolthat Christi zugeeignet / sie dem HErrn Christo eingeleibet vnd durchs Blut Christi gewaschen werden.

Tom. III. Jenensi Germ. in II. parte Libr. contra Cœlestes Prophetas fol. 74.

Der Text zwingets mit gewalt / das die Sünde geschehe am Essen vnd Trincken / weil er spricht / wer Vnwirdig Isset vnd trincket / vnd spricht doch / das dieselbe Sünde geschehe am Leib vnd Blut des HErrn / das laut gewaltiglich / das er im Essen vnd Trincken / den Leib vnd Blut Christi hat beleidigt / vnd vbel mit jhm vmbgangen.

LXXXIX. Legantur plura de hoc argumento *Tom. III. Ien. Germ. fol. 74. 75. 76.* Et iterum: *In eodem Tomo f. 502. 503. 504. 505.*

PROBLEMA IX.

An Lutherus plures de Cœna DOMINI foverit opiniones.

XC. Quæ fuerit magni illius Germaniæ Vatis Lutheri de Cœna Domini ſententia: ex quinta Catecheſeωs ipſius parte, de qua hactenus, ſatis clarum eſt & perſpicuum.

XCI. Tanta tamen eſt Gentis Sacramentariæ impudentia, ut non vereatur, conſtantiſſimum hunc veritatis Aſſertorem, in Vertumnum transformare inconſtantiſſimum; eiq; plures, de Sacramento iſto ſacratiſſimo, affingere opiniones.

XCII. Diſtribui poſſunt illi, quibus Zwinglio-Calvinianis, hac in parte, præ cæteris, operam quaſi militarem præſtare volupe, in *duas* claſſes, quarum *priori Veteres: poſteriori Recentiores*, aſſcribimus.

Luthero falſas tribuunt opiniones Sacramentarij.

XCIII. *Veteres* ſunt pſeudo-Theologi, qui *Anno 1565.* peculiari ſcripto, grande de Luthero mendacium diſſeminarunt, de quo Oſiander.

1. Veteres.

Centuriâ XVI. fol. m. 796.

Hoc anno Calviniſtæ grande & impudentiſſimum mendacium (ipſorum ſpiritu omnino dignum) publico edito ſcripto, ſparſerunt. Finxerant enim, D. Lutherum, non ita multò antè ultimam ſuam profectionem, quam in patriam ſuam, Islebium, ſuſcepit, peregrinatum eſſe cum D. Philippo. Atq; in mutuo colloquio incidiſſe mentionem de re Sacramentaria, ibi faſſum eſſe Lutherum Philippo, quòd modum & limites exceſſiſſet in oppugnandis Cinglianis itaq; rogaſſe Philippum, ut ipſe (Philippus) moderato aliquo ſcripto, poſt Lutheri mortem, mitiget Controverſiam Sacramentariam: ſibi enim (Luthero) id non licere, ne totam ſuam doctrinam, tali revocatione & retractatione, de errore ſuſpectam redderet.

XCIV. Non puduit Pezelium idem enorme ac deforme mendacium repetere, & è (g) Pezelio, paucis abhinc annis *Heidelbergenſes* juxtà & *Embdenſes*.

(g) *in L. c. de Cœn. Domini.*

XCV. Verùm enim verò refutatum iſtud eſt mox à γνησίῳ Lutheri Diſcipulo, Doctore *Ioachimo Morlino*, ſcripto gravi & nervoſo,

voso, quod insertum *Historiæ Augustanæ Confessionis edit. Lat. pag. 622, 623. & seq.*

Capita Refutationis.

XCVI. Nos præcipua saltem Refutationis capita strictim notamus, propter eos, quibus libros hac de re editos videre non contingit.

I.

XCVII. I. Aperta Lutheri *protestatio* magno Zeli fervore (*h*) proposita & (*i*) solenniter repetita.

(*h*) Tom. III. Jen. Germ. fol. 509.
in Confessione Majore.

Weil ich sehe/ das des Rottens vnd Jrrens je lenger je mehr wird/ vnd kein auffhören ist deß Tobens vnd Wütens des Sathans/ damit nicht hinfort bey meinem Leben / oder nach meinem Tode/ der etliche zukünfftig / sich mit mir behelffen/ vnd meine Schrifft in Jrrthumb zu stercken/ felschlich führen möchten/ wie die Sacraments vnd Tauffschwermer anfiengen zu thun/ so wil ich mit dieser Schrifft / für Gott vnd aller Welt meinen Glauben von stück zu stück bekennen / darauff ich gedencke zu bleiben biß in den Todt/drinnen (des mir Gott helffe) von dieser Welt zu scheiden / vnd für vnsers HErrn Jesu Christi Richterstuel kommen. Vnd ob jemand nach meinem Tode würde sagen / wo der Luther jtzt lebete/ würde er diesen oder diesen Artickel anders lehren oder halten/ denn er hat diesen nicht gnugsam bedacht / etc.

Dawieder sage ich jetzt als denn/ vnd denn als jetzt/ das ich von Gottes gnaden/ alle diese Artickel habe auffs fleissigst bedacht/ durch die Schrifft vnd wieder herdurch offtmals gezogen/ vnd so gewiß dieselben wolt verfechten / als ich jtzt habe das Sacrament deß Altars verfochten.

I. Tom. VIII. Jen. in Conf. Minori fol. 17.

Jch/ als der ich nu auff der Gruben gehe / wil diß zeugnüß vnd diesen Ruhm mit mir für meines lieben HErrn vnd Heylandes Jesu Christi Richtstuel bringen/ das ich die Schwermer vnd Sacramentsfeinde / Carlstad / Zwingel / Ecolampad/ Stenckfeld/ vnd jhre Jünger zu Zürich vnd wo sie sind/ mit gantzem Ernst verdampt vnd gemidden habe / nach seinem Befehl/ Tit. 3.

Ibi-

Ibidem fol. 178.

Ich mus sie fahren lassen vnd meiden/als die αὐτοκατακρίτους, die wissentlich vnd muthwillig verdampt sein wollen/vnd mit jhr keinem einicherley gemeinschafft haben / weder mit Brieffen/ Schrifften/ Worten/ noch Wercken / wie der HErr gebeut/ Matth. 18. er heisse Stenckfeld / Zwingel / oder wie er wolle/ denn ich rechen sie alle in eine Kuchen / wie sie auch sind/ die nicht gläuben wollen / das deß HErrn Brot im Abendmal sey sein rechter natürlicher Leib/ welchen der Gottlose oder Judas eben so wol mündtlich empfehet/ als S. Petrus vnd alle Heiligen. Wer das (sage ich) nicht gläuben wil/ der lasse mich nur zu frieden/ mit Brieffen / Schrifften oder Worten / vnd hoffe bey mir keiner Gemeinschafft / da wird nichts anders aus.

XCIIX. 2. *Conciones Lutheri*, quas brevi ante obitum vel abitum potiùs ex hac Vita beatissimum habuit *1. VViteberga. 2. Halæ. 3. Islebij.*

XCIX. *VViteberga* Dominica II. Epiphaniæ ultimam habuit Concionem, ex *Epistola Pauli ad Rom. c. 12.* ubi gravissimè invehitur in Sacramentarios.

Tom. VIII. Jen. f. 283.

Item / vom Abendmal sagen die Schwermergeister die Sacramentirer/ was sol Brot/ Wein? Wie kan Gott der Allmechtige seinen Leib im Brot geben? Ich wolt das du müssest mit dem Hindermaul/ etc.

Iterum f. 284.

Wenn du einen Sacramentschwermer hörest / der daher lestert/ Im Sacrament deß Altars / ist nur Brot vnd Wein/ Item solte Christus auff dein Wort/ vom Himmel steigen in dein Maul vnd Bauch. Ey es gefellet mir wol / was du sagest/ Ey hat der Teuffel so ein gelerte Braut. Aber was sagstu mir hierzu. Diß ist mein geliebter Sohn / den jhr höret/ vnd der saget / Diß ist mein Leib. Troll dich mit deinem Dünckel auff das heimlich Gemach / höre auff du verfluchte Hure/ wiltu Meister sein vber den Glauben / welcher saget/ das im Abendmal deß HErrn sey der wahre Leib vnd das wahre Blut.

C. *Halæ.*

O *Halæ*, in transitu, *26. Ianuarij* concionatus est, ex historia de conversione Pauli, ubi itidem non absq; gemitu Sacramentariorum meminit, hisce verbis:

Tom. VIII. Jen. f. 278.

Es sein dennoch/ Gott erbarm es/ sonst allzuviel die es anfeinden/ verfolgen/ vnd lestern/ wie die Sacramentschender in Schweitz/ vnd Widertäuffer im Niederland thun/ da jtzt auffs jämmerlichst vnd erbärmlichst/ das Wort geschendet/ verfolget/ vnd gelestert wird.

CI. *Islebij 15. Februarij*, triduo ante obitum, postremam habuit concionem *ex Matth. c. 11.* de sapientia mundana, in qua iterum Sacramentariorum, non absq; Heroica indignatione, mentionem facit, hoc illis obvertens *διπτύχια*.

Tom. VIII. Jen. f. 305.

Das sihet man von anbegin der Welt an allen Ketzern/ Arius vnd Pelagius, vnd jetzt zu vnser zeit die Widertäuffer vnd Sacramentirer/ vnd alle Schwermer vnd Auffrührer/ die sind nicht damit zu frieden/ was Gott gemacht vnd eingesetzt hat/ können es nicht lassen bleiben/ wie ers geordnet/ Meinen/ sie müssen auch etwas machen/ auff das sie etwas bessers sein/ für andern Leuten/ vnd rühmen können/ Das hab ich gemacht/ Es ist zu schlecht vnd gering/ ja zu kindisch vnd närricht/ was GOtt macht vnd stifftet/ Ich mus etwas darzu thun.

3. CII. 3. *Affirmativa* Lutheri *responsio* paulo ante obitum, data ad interrogationem D. Justi Jonæ, & M. Celij.

Reverende Pater: Vis ne in Christo & doctrina, quam concionando tradidisti, constanter mori?

Tom. VIII. Jen. f. 386.

II. Inter Recentiores Lampadius IV. opiniones Luthero tribuit.

CIII. Inter *Recentiores* porrò paucis abhinc annis in theatrum Orbis Christiani prodijt, homo quidam obscurus, *Iohannes Lampadius.*

CIV. Is è Libro Embdensium *quatuor* diversas, imò partim etiam contrarias de Cœna Domini opiniones, Luthero assignare non veretur.

CV. Ita enim, in *Censura Vbiquitatis fol. 20.* expresse, &, absq; omni rubore, scribit:

Constat, Lutherum sæpè sententiam variasse, & impetu disputationum affectuumq; fluctibus abreptum, modò huc, modò illuc animum applicasse. Vnde quadruplex de verbis Cœnæ Lutheri reperitur opinio.

CVI. Ac *primò* quidem fabulatur: Lutherum cum Sacramentarijs de Cœna Domini sensisse, tum in *genere* tum in *specie*.

CVII. *In genere*, 1. quòd & ipse Sacramentum appellet (k) *externum signum*; 2. quòd (l) *Sacramentum à corpore Christi distinguat*; 3 quòd denique scribat: (m) *manere eandem fidem in unum DEVM, qui per diversa signa & verba, diversis temporibus, eandem fidem & Spiritum det.*

(k) *Tom. 1 Ien. Ger. f. 321. in Serm. de N. T.*

(l) *Tom. II. Ien. p 3 in Serm. de fraternit.*

(m) *Dominica sept. super Epist 1. Cor. 10.*

CVIII. *In specie* autem, 1. quòd & ipse affirmet (n) *Sacramentum oportere externum & visibile esse*, 2. quòd dicat: (o) *Panem super altari tantum esse Signum, & nihil prodesse, nisi panis jam intus manducatus sit, videlicet Christus, qui Non detur in os*; 3. quòd asserat: (p) *sicut sumendo corporalem panem & vinum in altari, edamus ac bibamus verum Christum Spirtiualiter*, id est, *edendo ac bibendo externè, exerceamus fidem internè*; 4. quòd statuat; (q) *Corpus Domini & panem Domini pro eadem accipi figurâ sermonis*; 5. quod edisserat (r) *non Sacramentum: sed fidem Sacramenti justificare*; 6. quòd (s) *sicut Circumcisio fuerit signaculum pacti: sic panis pignus sit promissionis.*

(n) *Tom. I. Ien. Germ. f. 202. in Serm. de Sacr.*

Anno 19.

(o) *Serm. super Ioh. c. 6. Anno 23.*

(p) *Serm. super 1. Cor. 10.*

(q) *in Cap. VI. Esaiæ.*

(r) (s) *Tom. II. Ien. Lat. f. 311.*

CIX. *Secundò* objicit Luthero commentum *transsubstantiationis*, quod istud ab illo canonizatum in Magna Confessione. 2.

CX. *Tertiò* tribuit ei συυσίαν seu *consubstantiationem* ex VIII. Tomo Jenensi f. 375. 3.

4. CX. *Quartò* garrit, quòd tandem arripuerit quàsi tabulam è naufragio, *ubiquitatem*, & hinc præsentiam Corporis ac Sanguinis Christi in Cœna evincere coactus fuerit.

CXI. Verùm-enim verò ut profana vanitas, & vana profanitas Spiritûs Calviniſtici, etiam hac in parte, in lucem protrahatur: ad ſingula ordine: ſed concisè nobis reſpondere decretum eſt, facto initio ab opinione *prima*.

Reſponſio ad ſingulas opiniones.

1. CXII. De hac in *genere tria* afferebantur; ad quorum 1. facilis eſt reſponſio. Nam dicit quidem Lutherus, quod Sacramentum ſit *externum ſignum*; ſed *non* ait, quod illud res ſpirituales *tantum ſignificet*: *ſed* expreſsè eodem in paragrapho addit, quòd *res ſpirituales HABEAT*.

CXIII. Ad 2. quòd *diſtinguit Sacramentum à corpore* Chriſti, tenenda eſt explicatio ὁμωνυμίας in voce Sacramentum, quæ bifariam accipi ſolet: 1. ὁλικῶς de toto Sacramento ex re terrena & cœleſti conſtante, ut paſſim: 2. μερικῶς de parte tantùm viſibili & terrena, in uſu Sacramentali, ut hîc à Luthero.

CXIV. Ad 3. de *ſignis* ſciendum, quod *quædam* tantum ſint σημαντικὰ: *quædam etiam ſimul* μεταδοτικὰ, cujuſmodi Sacramenta, quibus fides & Spiritus ſanctus aliæq; res ſpirituales non nudè ſignificantur: ſed etiam conferuntur.

CXV. *In ſpecie* adducebantur *ſex*: ad quorum 1. quod Sacramentum oporteat eſſe *externum & viſibile*, in promptu eſt reſponſio, ex explicatione ὁμωνυμίας jam traditâ.

CXVI. In 2. Lutherus requirit ad ſalutarem Euchariſtiæ uſum, *internam vel ſpiritualem manducationem*, cujus inſtrumentum utique non eſt os: ſed fides.

CXVII. In 3. itidem agit non de Sacramentali manducatione ſed, ut ex adverbio Spiritualiter, & verbo Prodeſſe liquidò elucet, de *ſpirituali* ſive *ſalutari*, cujus objectum propriè non corpus & ſanguis Chriſti diſtinctè: ſed totus Chriſtus cum omnibus ſuis beneficijs integrè.

CXVIII. 4. *Figura ſermonis*, uti vel ſonus iſtius vocis arguit, Luthero *non* eſt: *Metonymia Rhetorica*: *ſed Synecdoche Grammatica*, interprete eo ipſo.

CXIX. In 5. res plana est. Verè enim non *Sacramentum: sed fides Sacramenti justificat*; id quod oppositum operi operato Pontificiorum.

CXX. Ita & 6. respicit non partem Sacramenti Cœlestem: sed totius Sacramenti, Circumcisionis & Cœnæ Domini, fructum, quod utrumq; Sacramentum illius signaculum & pignus verè est & dicitur.

CXXI. Neq; est ut aliquem offendat appellatio panis, cum ex priore parte comparationis, ubi *non præputij*: sed integri Sacramenti *Circumcisionis* fit mentio, cuivis legenti obvium: illâ phrasi Paulinâ, totum Cœnæ Sacramentum indigitari.

CXXII. Tantum de *prima* opinione: *Secundam*, id est, *Transsubstantiationem Papisticam*, quod attinet: negari sanè non potest, Lutherum, (cum Φωταγωγία ejus fuerit non momentanea: sed successiva) prioribus annis, adhuc statuisse transsubstantiationem, non diffitente ipso, in præfat. 2.

in I. Tom. Ien. Germ. f. 2.

CXXIII. Quod autem, in Majori Confessione, commentum illud à Luthero fuerit canonizatum: id oppidò mentitum & falsum est.

CXXIV. Neq; potest evinci indè, quòd commendet phrasin *Verum corpus Christi dentibus atteri.*

CXXV. Quòd enim illam non de corpore Christi per se: sed respectu Sacramentalis unionis cum pane intelligendam velit: testis est plana & perspicua ipsius interpretatio.

Tom. III. Ien. Germ. f. 487.

CXXVI. *Tertia* opinio de σωμοσία & consubstantiatione falsò tribuitur Luthero; cum is non σωμοσίαν: sed Unionem Sacramentalem (*k*) propugnavit, adeò ut Bucerus ipse eum ab hoc errore liberum pronunciârit, ad Comandrum Pastorem Curiensem hunc in modum scribens: 3.

Argentorati Anno 1538.

In hoc Levitatis & nos & Bullingerum condemnamus, quòd ut ipse adhuc, ita & nos aliquando, Luthero & Alijs sententiam adscripsimus, in qua ille Nunquam fuit.

(k) *Tom. III. Ien. Germ. f. 487.*

CXXVII. Ad loca quæ è Luthero afferri solent, facilis est responsio, per distinctionem inter rem & modum rei. *Illam* non *hunc* exprimere voluit Lutherus.

4. CXXVIII. *Quartò* quâ occasione & quo respectu Lutherus veram & essentialem corporis ac sanguinis Christi in Cœna præsentiam, ex articulo de omnipræsentia Carnis Christi, assertum iverit: notum est, è *Majore ejus Confessione, & Libro Christ. Concord. Articulo VIII. ab initio.*

CXXIX. Remotis igitur ijs opinionibus, quæ falsò tribuuntur Luthero, *remanet vera & sincera ejus sententia*, quam Catechesi suâ perspicuè exposuit, de qua nos hactenus.

PROBLEMA X.

An certamen Eucharisticum tanti sit momenti, ut ob id ipsum Calvinianis deneganda fraternitas.

CXXX. Ut in eo, unde cepit, nostrum hoc Disputationum de Cœna Domini, terminetur Collegium: placet & hoc Colophonis loco, extremis modò labellulis attingere & perstringere ζήτημα.

I. *Negativæ Zvvinglio-Calvinianorũ.*

CXXXI. Sacramentarij tum quoad θεωρίαν: tum quoad πρᾶξιν stant pro *Negativa*, attestantibus id tum *Veterum* tum *Recentium* Conatibus, quibus nostratium fraternitatem expetierunt: licèt diversum de Cœna Domini sentiant.

CXXXII. E *Veteribus* id maximè attentatum fuisse, certum & exploratum est: *A Zvvinglio & Oecolampadio, in Colloquio Marburgensi Anno 1529.* nec non à *Bucero*, partim per Philippum Landgravium Hassiæ: Anno 1530. partim per Ducem Lunæburgicum. Anno 1531.

Videatur Historia Augustanæ Confessionis.

CXXXIII. *Recentiorum* Catalogo adscribimus, partim *Bezam* ejusq; Socios, (t) qui, sub finem Colloquij Mompelgartensis, apud Wirtebergenses Theologos institerunt, ut dextras fraternitatis ipsis porrigere velint: partim *Heidelbergenses*, qui, peculiari Scripto, nostratium fraternitatem ambire sudârunt.

(t) *in Coll. Mompel. m. f. 566.*

CXXXIV. In illo Scripto hoc potissimùm agunt, ut, licèt diversum à nobis sentiant, in eo, qui est de Cœna Domini, articulo, nos tamen nihilominus ipsos pro fratribus habeamus.

Trewhertzige vermahnung &c. f. 51, 52, 53, 54, 55, 56.

CXXXV. Verùm enim verò posito: sed non concesso, quod Zwinglio-Calviniani tantùm in doctrina Eucharistica à nostris dissentiant: pro fratribus tamen, nullo eos pacto, agnosci posse ac debere, constanter & intrepidè asserimus, propter rationes, quas, ὡς ἐν τύπῳ, subjicimus. II. *Affirmativa Lutheranorum.* *Rationes.*

CXXXVI. *Prima* est *Articuli istius sublimitas*, de qua, in ἐπιδέσει I. Probl. Disp. de Sacramento Cœnæ. I.

CXXXVII. II. συνεχείας *articulorum fidei indissolubilitas*, de qua scitè Lutherus. II.

Tom. VIII. Jen. f. 1. 9.

Der Teuffel kan nicht feyren / wo er eine Ketzerey stifftet / da mus er mehr stifften / vnd kein Jrrthumb alleine. Wenn der Ring an einem ort entzwey ist / so ist er nicht mehr ein Ring / Helt nicht mehr / vnd bricht jmmer fort / etc.

CXXXIIX. III. *Exempli Lutheri autoritas.* Quippe qui & τῷ λόγῳ: & τῷ ἔργῳ Sacramentariorum fraternitatem repudiavit. III.

CXXXIX. Τῷ λόγῳ quidem *1. Anno 1528.*

Tom. III. Jen. Germ. f. 339. f. 341. f. 533.

Das wollen wir aber gerne thun / Weltlich wollen wir mit jhnen eins sein / das ist / leiblichen zeitlichen Friede halten / aber Geistlich wollen wir sie meiden / verdammen vnd straffen / weil wir Athem haben / als die Götzer / Gotteswort verkehrer / Lesterer vnd Lügener.

CXL. *2. Anno 1531.* consultus an Zwingliani cooptandi in fœdus contra Pontificios.

Hist. August. Confes. p. 195.

CXLI. *3.* In literis ad (u) Argentinenses, itemq; ad (x) Senatum Isnensem.

(u) *Hist. August. Conf. p. 196*

(x) *Tom. II. Isleb. f. 369.*

CXLII. Τῷ ἔργῳ autem *1. Anno 1529.* in *Colloquio Marburgensi*, ubi Zwinglio & Oecolampadio negavit dexteram fraternitatis, licet in uno de Cœna Domini articulo inter ipsos adhuc esset dissensus.

CXLIII. 2. *Anno* 1536. ubi cum Bucero & Socijs concordiam inire noluit, antequam, veram & ſinceram de Cœna DOMINI ſententiam, amplecterentur.

Tom. II. Isleb. f. 364.

IV. CXLIV. IV. *Principum Proteſtantium pietas*, quibus quippe religio, cum ijs inire fœdus, qui diverſum de Cœna Domini ſequebantur dogma.

Sleidanus in Hiſt. anni 1531.

V. CXLV. V. *Zeli* Theologorum verè Lutheranorum *ἀξιουίμητ& dignitas v. g. Philippi & Brentij*, in Comitijs Auguſtæ habitis, *Anno 1530. VVirtebergenſium*, in Colloquio Maulbronnenſi *Anno 1564. & iterum* in Colloquio Mompelgartenſi *Anno 1586. Saxonicorum pariter & Suevicorum*, in Reſponſionibus ad Scriptum Palatinorum, de fraternitate.

CXLVI. Eò Theologiæ Studioſos remittimus. Et quod ſupereſt: Filio Dei Jeſu Chriſto, *Fratri noſtro dilectiſſimo, in quo ſola vera ac ſincera fraternitas, gratias agimus, & agemus ſeculis infinitis*, AMEN.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.



BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Förster, Johann,

Thesaurus Catecheticus sive decades duae de-viginti problematum partim theō rētikōn, partim praktiokōn Ex quinque Catecheseos Lutheranae partibus, distinctis disputationum exercitiis explicatae atque ventilatae in Electorali ad Albim Adademia

Wittebergae 1614

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Past.21
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11069452-4